


201
11 G
22





M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA

TOM. VI.

M. TVLLII
CICERONIS
OPERA



EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHÜTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS SEXTVS .



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXVII.



M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

TOM. III.

DE

LEGE AGRARIA

ORATIONES TRES

CONTRA

P. SERVILIVM RVLLVM



SVMMARIVM

P. Servilius Rullus tribunus plebis quum A. V. C. 689, IV. Id. Dec. magistratum iniisset, legem agrariam promulgavit plus quam XL capita complexam (*de leg. Agr. III, cap.* 2). Praecipua autem, quorum Cicero mentionem fecit, fuerunt ista: 1, ut tribunus plebis, qui eam legem tulerit, per XVII tribus decemviros creet agris dividundis, ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit. 2, ut item eodem modo creentur, ut comitiis pontifices maximi; scilicet pontifex maximus item non ab omnibus tribubus, sed tantum a septemdecim sorte ductis creabatur. 3, ut lege curiata decemviri ornentur; h. e. ut iis in comitiis curiatis tribuatur imperium militare, et quae ad illud gerendum necessaria sint, assignentur (quod genus erant apparitores, scribae, praecones, muli, tabernacula); utque eam legem praetor ferat, qui primus praetor factus sit; siu is ferre non possit, qui postremus; sin autem legem neque primus praetor, neque postremus tulerit, ut si forte intercessione tribunus, aut magistratus alius auspiciis comitia impedierit, ut decemviri tamen eodem iure sint, quam qui optima lege. 4, ut auspicii coloniarum deducendarum causa pullarios habeant (qui ex pullis gallinaceis, qui in cavea alebantur, iubente imperatore, vel eo qui cum potestate erat, auspicium captabant), eodem iure quo habuerint tresviri lege Sempronia (scil. agraria Tib. Gracchi,

quae tamen non est perlata, ne quis agri plus quam D. iugera possideret, et ut tresviri crearentur qui agros plebi dividerent, quos quis ultra istum numerum possideret). 5, ut liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis SCta facta sint M. Tullio Decula Cn. Cornelio Dolabella coss. (A. V. C. 672) quique agri, quae loca, quae aedificia, aliudve quid extra Italiam, quod publicum populi romani factum sit L. Cornelio Sulla Q. Pompeio Rufo Coss. (A. V. C. 665) aut postea. 6, ut liceat eis vectigalia in lege nominata, omnesque agros publicos extra Italiam vendere, aut iis vectigal imponere, cum hac tamen exceptione, ne vectigal imponatur agro in Sicilia Recentorico, neve ii agri vendantur, de quibus foedere cautum sit, et ut cognitio decemvirum sit, qui publici agri, qui privati. 7, ut quod ad quemque pervenit, pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario (quod imperatoribus dari solebat ad coronam auream triumphalem, si triumphus iis esset decretus), quod neque consumptum in monumento, neque in aerarium relatum sit, id quicumque ex provincia decesserit, uno Pompeio excepto, apud decemviros profiteatur. 8, ut quam pecuniam decemviri coëgerint, ea pecunia agros quo plebes deducatur, ab iis, qui vendere voluerint, emant, ab invitis nihil tangant; eos autem agros in Italia emant, qui arari et coli possint, et ut quae in municipia, quasque in colonias velint, colonos quos veliut, deducant, iisque agros assignent quibus in locis velint, et ut Capuam in coloniam deducant quinque colonorum millia, iisque et agrum Campanum, et Stellatem agrum dividant. Denique 9 capite XL, ut quae post C. Marium Cn. Papirium Carbonem consules aedificia, agri, lacus, stagna, loca, possessiones publice data, assignata, vendita concessa sint, ea omnia eo iure sint, ut quae optimo iure privata sint.

Hanc igitur legem Cicero consulatum aggressus Kalendis Ianuariis (Gell. N. A. XIII, 24) A. V. C. 690 in Senatu dissuasit

Oratione prima contra Rullum

cuius principium non exstat, duobus foliis olim a codice, e quo recentiores fluxerunt, abscissis. In ea parte, quae superest, primum Cicero ostendit iniquum esse regnum Aegypti decemviris tradi, etsi dicant, post consules Sullam et Pompeium hoc regnum regis Ptolemaei Alexandri III testamento populi romani

esse factum. Deinde reprehendit Rullum quod lege sua vectigalia, et auctionem publicorum bonorum proscribat; quod silvam Scantiam, Italiae et Siciliae possessiones vendere velit; quod iubeat venire agros Attalensium, et Olympenorum (in Pamphylia) agros in Macedonia regios, agrum Corinthium, agros in Hispania apud Carthaginem novam, agros veteris Carthaginis, agros denique quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit, cap. 1, 2. Iniquissimum vero esse quod decemviris eius auctionis locus certus non definiatur, sed quibus in locis ipsis videatur vendendi potestas lege permittatur. Ex quo omnibus in provinciis, regnis, liberis populis concursationem decemviralem acerbam, formidolosam, quaestuosam futuram esse, multas magnasque spoliationes, pactiones, nundinationes iuris ac fortunarum fore praedicit. Porro exprobratur Rullo, quod lege sua iubeat decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, iisque concedere ut possint agros liberare a vectigalibus, et quos libeat publicare, h. e. quasi publici essent, vectigalibus onerare, cap. 3. In vectigali imponendo eum excepisse agrum Recentoricum Siciliensem; in vendendis agris, eos de quibus cautum sit foedere, hoc est eos qui in Africa ab Hiempsale possideantur. Vtramque exceptionem docet non tam iniquam esse, quam suspiciosam. Maximam vero praedam Rullum sperare ex illo legis capite, quo quidquid ad quemque pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumptum in monumento neque in aerarium relatum sit, ad decemviros referri iubeat; itemque ut in posterum etiam quod quisque imperator habeat pecuniae, protinus ad decemviros deferat. Quod autem Pompeium excipiat, eam exceptionem similem esse illi, qua in lege Papia, qua peregrini urbe expellebantur, Glaucippus exceptus sit, cap. 4. Non minui autem ostendit decemviralis pecuniae istis modis constructae invidiam, quod in agrorum emptionibus consumatur. Nam fieri posse ut nemo agros velit vendere, tumque pecuniam lege Rulli nec referri in aerarium, nec a decemviris exigi licere, cap. 5. Sin autem emantur agri, magna esse incommoda et pericula in coloniis deducendis, praesertim iis, quos Capuam deduci velit, cap. 6. His igitur machinationibus se vehementer atque acriter restiturum consul denuntiat, cap. 7; simul errasse Rullum ostendit, et nonnullos collegas eius, qui speraverint, se posse contra consulem veritate, non ostentatione popularem, in evertenda republica populares existimari. Itaque se eos in

concionem vocare, et populo romano disceptatore uti velle ostendit, cap. 8. Postremo ceteros tribunos adhortatur, ut collegam perniciosae legis auctorem deserant et communem rempublicam communi studio defendant; itemque Senatui pollicetur, si ipse studium ad communem dignitatem defendendam profiteatur, se perfecturum, ut vetus huius ordinis auctoritas longo intervallo reipublicae restituta esse videatur, cap. 9.

In oratione secunda

aliquot diebus post primam in Senatu, pro Rostris ad Quirites habita, orator primum populo gratias agit, quod se perlongo intervallo temporum primum hominem novum consulem fecerit, quem honorem tanto maiorem esse quod ipse consulatum petierit quum primum licitum sit, consul factus sit quum primum petierit, et quod in comitiis non prius tabella, quam voce universi populi consul declaratus sit. Itaque profitetur se in hoc magistratu et in omni vita popularem esse futurum. Sed ad huius verbi vim et interpretationem opus esse sibi populi sapientia. Magnum enim in eo errorem versari, propter nonnullorum simulationes, qui quum populi commoda et salutem oppugnent et impediant, tamen oratione assequi velint, ut populares esse videantur. Nihil autem esse tam populare, quam pacem, quam libertatem, quam otium; non autem illa popularia esse existimanda, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutionem damnatorum; nec largitionem promulgatam, quae nisi exhausto aerario fieri non possit, popularem esse habendam; cap. 1–4. Iam primum se non omnino genus ipsum legis agrariae vituperare ostendit, narratque se quum primum sibi designato consuli nuntiatum esset, legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiisse, quid cogitarent, cognoscere; illos autem, quum ostenderet, si lex utilis plebi Romanae sibi videretur, auctorem atque adiutorem futurum, tamen hanc liberalitatem suam aspernatos esse, et, quod agerent, celasse. Tandem quum legem agrariam, cuius princeps Rullus esset, in publicum propositam legisset, facile intellexisse, nihil aliud a primo capite legis usque ad extremum cogitari et agi, nisi ut decem reges aerarii, vectigalium, provinciarum omnium totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur, legis agrariae simulatione atque nomine; c. 5, 6. — Itaque demonstrat statim primo capite legis

libertatem populi romani imminui, quod iubeat Rullum, qui legem tulerit, non per universum populum, sed per XVII tribus decemviros creare, ita ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit. Intolerabilem sibi Rullum hac ratione potentiam arrogare, simulque malitiosa quadam astutia usum, quod Cn. Pompeium exceperit, ne is decemvir inter ceteros fieri possit, quem custodem fore libertatis populi romani videat; cap. 7-10. Deinde ipsa decemviros eligendi ratione, quam lex proponat, multum iuribus populi romani derogari ostendit, quippe quos nec veris comitiis, hoc est populi suffragiis, nec illis (curiatis, recentiorum temporum more) ad speciem per XXX lictores (pro numero XXX curiarum) auspiciorum causa adumbratis constitui iubeat; cap. 11, 12. Tum Cicero ostendit Rulli legem decemviros istos maioribus ornamentis afficere, quam omnes affecti sint, quibus populus amplissimas potestates dederit. Primum enim iis eodem iure, quo tresviri lege Sempronia (non tamen XVII, sed XXXV tribuum suffragiis creati) habuerint, pullarios auspicii causa in coloniis deducendis concedere, eorum potestatem verbo praetoriam et quinquennalem, revera regiam, et sempiternam esse; postremo ornari apparitoribus, scribis, librariis, architectis, mulis, tabernaculis, supellectili, item ducentis ex equestri ordine ministris et satellitibus potestatis; cap. 13. Infinitam vero hanc potestatem esse docetur, quum iis concedatur ius innumerabilis pecuniae de vectigalibus alienandis conficiendae; cognitionis sine consilio, poenae sine provocatione, animadversionis sine auxilio; ius magistratus gerendi, causam non dicendi, agros a quibus velint, quo velint magno pretio emendi, colonias reducendi, liberos populos agris multandi, regna denique vel dandi vel alienandi; cap. eod. In quibus primum Cicero graviter reprehendit illud, quod lex decemviris permittat infinite omnia vendere, de quibus vendendis SCta facta sint M. Tullio, Cn. Cornelio coss.; deinde quod in illo legis carmine: *qui agri*, *quae loca*, *quae aedificia*, *aliudve quid*, his verbis *aliudve quid* significetur, nihil exceptum esse quod decemviri vendere non possint. Hoc enim capite omnes gentes, nationes, provincias, regna decemvirorum ditioni, iudicio et potestati permitti et condonari; cap. 14-17. Accedere quod Rulli lex vectigalia pop. romani tollat, et nervos reipublicae incidat; cap. 18-20; quod decemviris permittatur, ut agros et aedificia vendant, quibuscumque in locis videatur, ut omnes agros extra Italiam infinito ex tempore vendant (in quo duplex exceptio

agri in Sicilia Recentorici, et agrorum de quibus foedere cautum sit diiudicatur) cap. 21, 22; quod aurum, argentum ex praeda, ex manubiis, ex coronario, ad quoscumque pervenerit, neque relatum sit in publicum, neque in monumento consumptum, imperatores apud decemviros profiteri, et ad eos referre iusserit; in quo etsi Pompeium exceperit, tamen quum caverit, ut si qua pecunia postbac ex novis vectigalibus recipiatur, ea decemviri utantur, simul etiam remissis Pompeio manubiis, tamen vectigalia eius virtute parta decemviris attribuantur; cap. 23. Iam quum lex Rulli agraria iubeat immensa ista pecunia agros emi, quo coloni ex plebe romana deducantur, primo reprehendit orator nec locum et situm agrorum, neque vero naturam definiri; itaque alios ut Sullanos agros, propter invidiam, alios autem incultos propter sterilitatem, alios vastos ac desertos propter pestilentiam fugiendos esse ostendit, ideoque hortatur Quirites, ut potius istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum ceterorumque commodorum retineant, quam relictis his rebus in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum pestilentiae finibus Rullo duce se collocari patiantur; cap. 24-27. Denique monet ut cogitent quum decemviri ex lege agraria omnem pecuniam, totamque Italiam suis opibus obsessuri sint, periculum esse, ne omnem populi libertatem suis praesidiis et coloniis teneant interclusam; cap. 28. Quod autem Rullus lege sua agrum Campanum se divisurum denuntiet, et Capuam coloniam deducturum, id nec ad commodum aliquod plebis nec ad amplitudinem ac dignitatem reipublicae pertinere. Quinque millia enim colonorum lege Rulli Capuam scribi; integris, quietis, otiosis hominibus in hoc numero locum non fore, sed V hominum millibus ad vim, facinus caedemque delectis locum atque urbem, quae bellum facere possit, quaeri; cap. 29. Ac si posset ager Campanus ad universam plebem pervenire, exspectandum tamen esse, ut Quirites eum totum in patrimonio populi romani remanere malint, quam fundum illum pulcherrimum, caput pecuniae publicae, pacis ornamentum, praesidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae disperire patiantur; cap. 30. Homines enim hunc agrum, si divisus fuerit, possessuros, ad vim promptos et ad seditionem paratos; eosque paucos esse, opibus et copiis affluentes; reliquis glebam nullam de paternis atque avitis possessionibus relictum iri; cap. 31. Immo si Campanus ager dividatur, exturbari po-

tius et expelli plebem ex agris, quae nunc eum conduxerit et locatione perpetua vectigalem colat, non constitui in eo et collocari; cap. 32. Denique periculosum esse Capuam urbem expulsis aratoribus, et effusis ac dissipatis vectigalium fructibus quasi sedem novae reipublicae constituere, et tanquam molem contra veterem rempublicam comparare; cap. 33-35.

In conclusione breviter omnia incommoda repetit ex lege Rulli agraria metuenda, eiusque stultam importunitatem castigat, seque fortiter ei resistendo, paci, tranquillitati, otio populi diligenter provisurum esse pollicetur; cap. 36 37.

In oratione tertia

Cicero calumniam refutat, qua tribuni plebis animos auresque populi compleverant, quum dicerent, Ciceronem gratificantem Sullanarum assignationum possessoribus agrariae legi et commodis plebis obsistere; cap. 1. Itaque docet Rulli lege nemini Sullanum agrum adimi, cap. 2, sed potius id agi, ut Sullani agri meliore iure sint, quam ii quos quisque hereditate acceptos possideat; praeterea Rullum aliud genus donationis inducere, nec solum Sullanas possessiones sancire, verum etiam novas assignationes instituere, inprimis Valgii socari sui commodis inservire; cap. 3. Postremo ostendit se non passurum populum romanum, de suis possessionibus, se consule, demoveri, praesertim quum plebi nihil Rulli lege quaeratur, sed potius libertas ac tranquillitas populi in summum discrimen adducatur.

Ceterum quaesitum est utrum brevis haec oratio in Rullum, quae nunc tertia nominatur, ultima fuerit, an Cicero quartam etiam dixerit. Ipse enim ad Att. lib. II, epist. 1, de orationibus in consulatu habitis ita scribit: « Oratiunculas autem, et quas postulas et plures etiam, mittam; quoniam quidem ea, quae nos scribimus, adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Facit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare ut meae quoque essent orationes quae consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Kal. Ian., altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis; sexta quum provinciam in concione deposui: septima qua Catilinam emisi; octava quam habui ad populum postridie, quam

Catilina profugit; nona in concione, quo die Allobroges involgarunt; decima in senatu, nonis Decembr. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. » Hic non erat quod Corradus suspicaretur, Ciceronem per haec ἀποσπασμάτια legis agrariae fortassis oratiunculas adversus legem agrariam a L. Flavio trib. pl. promulgatam intelligi voluisse, quarum mentionem facit ad Att. I, 19. Quum enim Cicero illa ἀποσπασμάτια ad orationes consulares referat, eaque cum ceteris eodem σώματι comprehenderit, dubium esse non potest, quin breves hae orationes adversus Rulli legem agrariam habitae sint. Itaque prima earum est illa, quae nunc tertia nominatur; altera vero periit. Atque in extremo tertiae orationis capite Rullum eiusque collegas provocat, ut doceant, num ipse quem possessorem defendat, quum legi eorum agrariae resistat; totamque orationem hisce verbis concludit: *Veniant coram, et quoniam me in vestram concionem, vobis flagitantibus, convocaverunt, disserant.* Itaque sive Rullus a Cicerone lacessitus aliquid contra dixerit, sive ausus non sit in concione Ciceronem refutare, probabile est, eum iterum contra Rullum ad populum dixisse, eumque coëgisse, ut illam suam legem agrariam abiiceret, neque eam ad populum ferre auderet. Etenim ipse videtur L. Caecilio, qui fuit Rulli in tribunatu collega, ut eius legi intercederet persuasisse. Nam in orat. pro Sulla, cap. 23: *Ex illo tempore*, inquit, *L. Caecilius multa e republica egit; agrariae legi, quae tota a me reprehensa et abiecta est, intercessorem fore professus est.* Quibus ex verbis intelligitur, Rullum ne ausum quidem esse legem ad populum ferre; et quod Plinius hist. nat. VII, cap. 30, ubi Ciceronem laudat, his verbis utitur: *Te dicente, legem agrariam, hoc est alimenta sua, abdicaverunt tribus*, id iam Manutius non ad suffragia in comitiis, sed tantum ad significationem voluntatis in concione factam referendum esse, vere iudicavit.

Deest principium.

I.

* quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. Dicent enim decemviri, id quod et dicitur a multis, et saepe dictum est: post eosdem consules, regis Alexandri testamento, regnum illud populi romani esse factum. Dabitis igitur Alexandriam clam petentibus iis, quibus apertissime pugnantibus restitistis? Haec, per deos immortales! utrum esse vobis consilia siccorum, an vinolentorum somnia, et utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum vi-

Quae res aperta petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur) Significat Alexandriam, et Aegyptum, quae ab Alexandro Rege, qui Cotta et Torquato coss. Tyri mortuus est, testamento populo romano relictae dicebantur. Quod quum Romae percrebuisset, multi extiterunt, qui aperte dicerent, adeundam esse regiam haereditatem, Aegyptum Ptolemaeo adimendam esse, qui eam tenebat, quod non esset nec genere, nec animo regio. Qua de re apertius agitur in sequenti oratione. Vsus est autem translatione e re militari ducta. Nam *petebatur* a gladiatorum, aut proeliatorum petitionibus sumptum est, cui translationi respondet illa altera a bellicis clandestinis oppugnationibus hausta, *cuniculis oppugnatur*; quod quid sit, expressit in secunda, quum dixit: *Nunc tetris tenebris et caligine, Alexandriam se perventuros arbitrati sunt.* Sunt enim cuniculi fossae subterraneae hominum ingenio ad cuniculorum animantium imitationem fabrefactae, ut clam moenia urbium hostilium suffodiant, atque imprudentibus hostibus in eorum oppidum erumpant, quales quondam Camillus in capiendis Veiis machinatus est. Contrariis autem his haec est ornata oratio, *aperte peti, et clam cuniculis oppugnari.* Lavr.

Decemviri) qui lege Rulli creati erant. Ad agrorum assignationem et coloniarum deductionem persaepe triumviri creabantur, nonnunquam quinqueviri. Rullus sua lege decemviros creari iubebat: Caesar in consulatu agros per xx viros assignavit. Tvrn.

Consules) L. Cornelium Sullam, Q. Pompeium Rufum A. V. 665. Nam in lege Rullus quae publicabat et vendebat, ex horum consulatu definiebat. Id.

Regis Alexandri) Ptolemaei (XI), Alexandri (III), qui Ptolemaei (IX) Alexandri I, filius non legitimus fuerat, unde Iustino lib. XXXIX prol. Ptolemaeus Nothus dicitur.

dentur? Videte nunc, proximo capite, ut impurus heluo turbet rempublicam, ut a maioribus nostris possessiones relictas disperdat et dissipet, ut sit non minus in populi romani patrimonio nepos, quam in suo. Proscribit in sua lege vectigalia, quae decemviri vendant, hoc est, proscribit auctionem publicorum bonorum. Agros emi vult, qui dividantur; quaerit pecuniam. Videlicet excogitabit aliquid, atque afferet. Nam superioribus capitibus dignitas populi romani violabatur, nomen imperii in commune odium orbis terrae vocabatur, urbes pacatae, agri sociorum, regum status decemviris donabantur; nunc praesens, certa, pecunia numerata quaeritur. Exspecto, quid tribunus plebis vigilans et acutus excogitet. Veneat, inquit, silva Scantia. Vtrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? Si quid est, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum est, consume sane, quoniam commodum est, quoniam quidem tu

Proximo capite) legis suae. Multa enim capita multasque sententias complectebatur Rulli lex. Capita enim vocantur legum partes a iurisconsultis. TVRN.

Proscribit) *Perscribit* codd. quinque Oxx. *praescribit* ed. Ven. 1480. Lallem. e codd. *proscribit — hoc est proscribit.*

Excogitabit) Quod si faceret, excusandus esset. Verum nihil excogitat. *Veneat*, inquit, *Silva Scantia.* MAN.

Violabatur) Quia caput legis erat, ut decemviri tantum a XVII tribubus crearentur.

Vocabantur) Quasi populus romanus omnia regna appeteret.

Donabantur) *Condonabantur* Lambin. e coniectura Puteani.

Silva Scantia) Silvam Scantiam censores publicanis pecuariis locabant. *Cic. in Bruto* cap. 22. Suspicor illic fuisse Scantias aquas, ubi, ut inquit Plinius, lib. II, cap. 107, *e petra flamma exibat, quae pluviis accenderetur.* TVRN.

Relictis possessionibus) Locis sterilibus, quae quod locari non possint, idcirco in tabulis censoriis scripta non erant, sed negligebantur. Virgilius libro 4 Georg. *cui pauca relicti iugera ruris erant.* ID.

Pascuis) Plinius: *Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat;* XVIII, cap. 3. ID.

attulisti. Silvam vero tu Scantiam vendas, nobis consulibus atque hoc senatu? tu ullum vectigal attingas? tu populi romani subsidia belli? tu ornamenta pacis eripias? Tum vero hoc me inertiorem consulem iudicabo, quam illos fortissimos viros, qui apud maiores nostros fuerunt, quod, quae vectigalia, illis consulibus, populo romano parta sunt, ea, me consule, ne retineri quidem potuisse iudicabuntur. Vendit Italiae possessiones ex ordine omnes. Sane est in eo diligens: nullam enim praetermittit. Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam. Nullum aedificium, nullos agros relinquit. Audistis auctionem populi romani proscriptam a tribuno plebis, constitutam in mensem Ianuarium: et, credo, non dubitatis, quin idcirco haec, aerarii causa, non vendiderint ii, qui armis et virtute pepererunt, ut esset, quod nos, largitionis causa, venderemus.

II. Videte nunc, quoad fecerit iter apertius, quam antea. Nam superiore parte legis quemadmodum Pompeium oppugnarent, a me indicati sunt: nunc iam se ipsi indicabunt. Iubent venire agros Attalensium atque Olympenorum. Hos populo romano Servilii, fortissimi viri, victoria adiunxit. Deinde agros in

Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam) Haec etiam videntur esse ab oratore subiecta voci praeconis, quum post Italicas possessiones Siculas quoque recitasset, quas ita persequutus erat in lege Rullus, ut in tabulis censoriis inveniebantur. LAUR.

Audistis auctionem populi romani proscriptam) Satis haec verba docent, possessiones proscriptas ex lege per praeconem recitatas fuisse, quum inquit, *audistis*. Invidiose autem vocat *auctionem*, non possessionum, sed *populi romani*, et addit *proscriptam a trib. plebis*, quasi qui defensor commodorum populi romani est constitutus: est enim hoc etiam vehementius, quam si *a Rullo* dixisset. ID.

Quoad fecerit iter) Aldus nepos et alii quidam, *quo adfectarit iter*.

Servili) P. Servilii Isaurici. Garatonus praenomen P. praescribi vult.

Deinde agros in Macedonia regios) Qui Regis Philippi, et eius filii Persis fuerunt: quorum illum T. Quintius Flamininus, hunc L. Aemilius Paulus devicit. Auctor Livius, et Florus, et Plutarchus. LAUR.

Macedonia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Paulli, qui Persen vicit, virtute parti sunt; deinde agrum optimum et fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummii imperio ac felicitate ad vectigalia populi romani adiunctus est; post autem agros in Hispania apud Carthaginem novam, duorum Scipionum eximia virtute possessos; tum vero ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam tectis ac moenibus, sive ad notandam Carthaginiensium calamitatem, sive ad testificandam nostram victoriam, sive ad oblatam aliquam religionem, ad aeternam hominum memoriam consecravit. His insignibus atque infulis imperii venditis, quibus ornatam vobis maiores vestri rempublicam tradiderunt, iubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque possederit. Num obscure videntur, prope hasta praeconis, insectari Cn. Pompeii exercitum, qui venire iubeant eos ipsos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat atque versetur?

III. Hoc vero cuiusmodi est, quod eius auctionis, quam constituunt, locum sibi nullum definiunt? Nam decemviris, quibus in locis ipsis videatur, vendendi potestas lege permittitur. Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi romani non licet. His ven-

Optimum) Duo codd. ap. Lauredan. *opimum.*

L. Mummii imperio) Qui bellum Achaicum confecit, Corinthum diruit, quod ibi legati populi romani violati fuerant. TVRN.

Carthaginem novam) Carthago nova in Baetica Hispania ad litus fuit ab Asdrubale Poeno condita. LAVR.

Consecravit) Consecrare nihil aliud erat, quam a privato cultu sacro aliquo carmine vindicare; ut Romae Sp. Melii, et M. Ciceronis area consecrata est. Consecrasse autem Carthaginem Africanum docet etiam Appianus in Lybica extrema. Hac de consuetudine loquitur Cicero lib. II de Legibus. ID.

Atque versetur) Aut hic aut in loco ante cap. 1 deperdito posita fuerunt, quae apud Gellium XIII, 24, commemorantur: *praedam, manubias, sectionem, castra denique Cn. Pompeio sedente imperatore decemviri vendent.*

dere vel in ultimis terris licebit? At hoc etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis, aut in compitis auctionentur. Hic permittit sua lege decemviris, ut, in quibus commodum sit tenebris, ut, in qua velint solitudine, bona populi romani possint divendere. Iam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quam acerba, quam formidolosa, quam quaestuosa concursatio decemviralis futura sit, non videtis? Hereditatum obeundarum causa, quibus vos legationes dedistis, qui et privati, et privatum ad negotium exiernnt, non maximis opibus, neque summa auctoritate praediti, tamen auditis profecto, quam graves eorum adventus sociis vestris esse soleant. Quamobrem quid putatis impendere hac lege omnibus gentibus terroris et mali, quum mittantur in orbem terrarum decemviri summo cum imperio, summa cum avaritia, infinitaque omnium rerum cupiditate? quorum quum adventus graves, quum fasces formidolosi, tum vero iudicium ac potestas erit non ferenda. Licebit enim, quod videbitur, publicum iudicare; quod iudicarint, vendere. Etiam illud, quod homines sancti non facient, ut pecuniam accipiant, ne vendant,

In atriis auctionariis) Atria quaedam erant in foro, in quibus consessus praeconum erat, auctionesque fiebant. Sententia est: Etiam nepotes adesa re familiari et perdita, ut creditoribus solvant, non in triviis, neque passim, sed certis et constitutis in locis, ut in atriis auctionariis, solent auctionari. TVRN.

Privati) Legatos significat, eos qui legationes liberas obibant, quas Romani Senatores a senatu saepe impetrabant vel vitandi periculi, vel voti solvendi, vel negotii privati procurandi, vel hereditatis obeundae, vel pecuniae exigendae causa. LAVR. Vide de Leg. III, 8.

Graves eorum adventus) Proinde in consulatu has legationes tollere tentavit Cicero, quamquam ad senatus commodum pertinere videbantur, fecissetque, nisi levissimus tribunus plebis impedisset: postea lex Iulia quinquennio definiit. TVRN.

Quum mittantur) Cod. Erf. *quum immutantur*, unde Graev. coni. legendum *quum immutantur*.

tamen iis id ipsum per legem licebit. Hinc vos quas spoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem iuris ac fortunarum fore putatis? Etenim quod superiore parte legis praefinitum fuit, Sulla et Pompeio consulibus, id rursus liberum infinitumque fecerunt. Iubet enim eosdem decemviros omnibus agris publicis pergrande vectigal imponere, ut iidem possint et liberare agros, quos commodum sit, et, quos ipsis libeat, publicare. Quo in iudicio perspici non potest, utrum severitas acerbior, an benignitas quaestuosior sit futura.

IV. Sunt tamen in tota lege exceptiones duae, non tam iniquae, quam suspiciosae. Excipit, in vectigali imponendo, agrum Recentoricum Siciliensem; in vendendis agris, eos agros, de quibus cautum sit foedere. Hi sunt in Africa, qui ab Hiempsale possidentur. Hic quaero, si Hiempsali satis est cautum foedere, et Recentoricus ager privatus est, quid attinuerit excipi? Sin et foedus illud habet aliquam dubitationem, et ager Recentoricus dicitur nonnumquam esse publicus: quem putet existimaturum, duas causas in orbe terrarum repertas, quibus gratis par-

Iis id ipsum) Sic Lamb. et al. Plerique *id iis ipsum*.

Spoliationes) *Sponsiones* est in Pet. Pith. excerptis, quod Graevius ferri posse statuit, ut intelligatur ista pecunia, quam deposituri essent tamquam sacramenta apud decemviros, ad probandum agros quos possiderent, non esse publicos sed privatos.

Iubet enim) Addidi *enim* auctoritate cod. Erf.

Suspiciosae) Nam suspicio est tribunos a Siculis et ab Hiempsale pecunia corruptos, exceptionem legi adiecisse. LAVR.

Sit foedere) Cod. Erf. *sunc foedere*; unde Graev. coni. legendum *in foedere*.

Hic quaero, si Hiempsali etc.) Vtramque harum exceptionum reprehendit dilemmate. Hoc modo: Recentoricus ager aut privatus est, aut publicus. Si privatus, non fuit excipiendus: nam vectigal agris publicis tantum imponitur. Si publicus, non gratis parcit ei agro, sed pecunia corruptus. Item: Hiempsalis agris aut satis est cautum foedere, aut non. Si satis, non attinuit eum excipi. Si non satis, ergo pecunia inductus ei agro cavet, ne vendatur. LAVR.

Duas causas) Nempe Hiempsalis et agri Recentorici causae sunt res, πρά-

ceret? Nunc quisquam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti huiusce legis olfecerint? Provincias, civitates, liberas socios, amicos, reges denique exhauriunt; admovent manus vectigalibus populi romani. Non est satis. Audite, audite vos, qui amplissimo populi senatusque iudicio exercitus habuistis, et bella gessistis. QVOD AD QVEMQVE PERVENIT, PERVENERIT, EX PRAEDA, EX MANVBIIS, EX AVRO CORONARIO, QVOD NEQVE CONSVMPTVM IN MONVMENTO, NEQVE IN AERARIVM RELATVM SIT, ID AD DECEMVIROS REFERRI iubet. Hoc capite multa sperant; in omnes imperatores heredesque eorum quaestionem suo iudicio comparant; sed maximam pecuniam se a Fausto ablaturos arbitrantur. Quam causam suscipere iurati iudices noluerunt, hanc isti decemviri susce-

γματα, quae ad certos homines pertinet. ERN.

Ex manubiis) Favorinus apud Gellium N. A. XIII, 24, ubi hic locus citatur, *praedam* intelligebat corpora ipsa rerum quae capta erant, *manubias* vero pecuniam a quaestore ex venditione praedae redactam. Sed vid. Ind. v. *Manubiae*.

Ex manubiis) A. Gellius lib. XIII, cap. 24: *Sed quaero*, inquit, *an M. Tullius, verborum homo diligentissimus, in oratione, quam dixit, de lege Agraria, Kalendis Ianuariis contra Rullum, inani, et illepida geminatione iunxerit manubias, et praedam, si duo haec verba idem significant, neque ulla re dissident*. Haec ille. Sed alibi in his ad Tullium notis, docui ex Asconio, per *manubias* saepe significari partem praedae captae, quae imperatoribus, qui bellum aliquod feliciter et e republica gesserant, a republica dabatur, quam illi plerumque impendebant in opus aliquod publicum. Unde illa inscriptio, de qua Gellius, templo praefixa: *ex manubiis*. GRAEV.

Coronario) Quod conferebatur a provincialibus in coronas ad ornamentum triumphi. Itaque nisi decreto triumpho, coronarium exigi non licebat. Cic. in Pisonem: *Mitto aurum coronarium, quod lex decerni et accipi vetat, nisi decreto triumpho*. Cap. 37. TVRNEB.

In monumento) In templis deorum immortalium, porticibus, basilicis, ornamentisque publicis, quae hoc loco monumentorum nomine veniunt. ID.

A Fausto) Cicerone praetore Faustus Sulla, Sullae dictatoris filius, de residuis pecuniis, ut causam diceret apud Orchivium magna contentione pugnatum est a tribuno. Sulla enim qui diu exercitibus praefuerat, et rempublicam tenuerat, ex aerario et vectigalibus magnam vim pecuniae sumpserat: causa tamen recepta non est. TVRN. Vide pro Cluent. 34.

Suscipere — iudices noluerunt) Quum accusaretur Faustus de pecu-



pere. Idcirco a iudicibus fortasse praetermissam esse arbitrantur, quod sit ipsis reservata. Deinde etiam in reliquum tempus diligentissime sancit, ut quod quisque imperator habeat pecuniae, protinus ad decemviros deferat. Hic tamen excipit Pompeium; simillime, ut mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur. Non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, sed unus privatur iniuria. Sed cui manubias remittit, huius in vectigalia invadit. Iubet enim pecuniam, si qua post nos consules ex novis vectigalibus recipiatur, hac uti decemviros. Quasi vero non intelligamus, haec eos vectigalia, quae Cn. Pompeius adiunxerit, vendere cogitare.

V. Videtis iam, Patres conscripti, omnibus rebus et modis constructam et coacervatam pecuniam decemviralem. Minuetur huius pecuniae invidia. Consumetur enim in agrorum emptionibus. Optime. Quis ergo emet agros istos? Iidem decemviri; tu Rulle (missos enim facio ceteros) emes, quos voles; vendes quos voles; utrumque horum facies, quanti voles. Cavet enim vir optimus, ne emat ab invito. Quasi vero non intelligamus, ab invito emere, iniuriosum esse; ab non invito, quaestuosum. Quantum tibi agri vendet,

niis residuis, apud Orchivium praetorem A. V. C. 687.

In illa lege) Papia scilicet.

Peregrini Roma eiiciuntur) Cotta et Torquato coss. Caius Papius omnes peregrinos, qui Itali non essent, quod eorum nimia frequentia esset moresque importarent a Romanis institutis alienos, urbe eiecit lege lata. Auctor Dion. Eius legis meminit Cicero in Officiis, quam et improbat, ut hoc loco. TVRN.

Huius in vectigalia) Vulgo *huius vectigalia*. Beckius e MSS. recepit *in huius vectigalia*. Ordine autem meliure scribendum esse *huius in vectigalia* vidit Goërenz. ad Cic. de legg. p. 59.

Omnibus rebus) Lamb. edidit *omnibus rationibus*.

Emptionibus) Ea pecunia emerentur agri, qui plebi Romanae assignentur. TVRNEB.

Vir optimus) Qui nemini iniuriam facere vult. Locus in ironia est. Caverat autem in lege Rullus, ne Decemviri agros ab invitis tangerent: hoc enim erat usus verbo. ID.

ut alios omittam, socer tuus? et, si ego eius aequitatem animi probe novi, vendet non invitus. Facient idem ceteri libenter, ut possessionis invidiam pecunia commutent; accipiant, quod cupiant; dent, quod retinere vix possint. Nunc prospicite omninm rerum infinitam atque intolerandam licentiam. Pecunia coacta est ad agros emendos: ii porro ab invitis non ementur. Si consenserint possessores non vendere, quid futurum est? Referetur pecnnia? non licet. Exigetur? vetat. Verum esto: nihil est, quod non emi possit, si tantum des, quantum velit venditor. Spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus aerarium, ut, locupletatis aut invidiae aut pestilentiae possessoribus, agri tamen emantur. Quid tum? quae erit in istos agros deductio? quae totius rei ratio atque descriptio? Deducentur, inquit, coloniae. Quot? quorum hominum? in quae loca? Quis enim non videt, in coloniis esse haec omnia consideranda? Tibi nos, Rulle, et istis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, totam Italiam inermem tradituros existimasti, quam praesidiis confirmaretis, coloniis occuparetis, omnibus vinclis devinctam et constrictam teneretis? Vbi enim cavetur, ne in Ianiculo coloniam constituatis? ne urbem hanc

Eius aequitatem) In hoc etiam salse, atque εἰρωνικῶς Valgii improbitatem insectatur. *Aequitatem* autem *animi* virtutem eam, quam Graeci ἀδιαφορίαν appellant, nominavit, quum animus nulla re vehementius afficitur. LAVRED.

Facient idem ceteri) Sullani, qui magna laborant invidia, quod proscriptionibus sint locupletati, et quod possessiones multas nullo iure occuparint. TVRN.

Cupiant — possint) Sic Ern. Vulgo *cupiunt — possunt.*

Aut invidiae aut pestilentiae) Vel ii agri vendentur, inquit, qui ex assignatione Sullana retineri non possunt sine invidia, vel qui ob sterilitatem et pestilentiam sunt inutiles. FERR.

Quot) Sic et Bernh. Lauredani coniectura editum a Lambin. Grut. Ern. aliis, pro olim vulgato *quo.*

Vrbem hanc urbe alia premere) Exemplum erit Alba, quam Romani coloni sibi finitimam deleverunt. LAVR.

urbe alia premere atque urgere possitis? Non faciemus, inquit. Primum nescio; deinde timeo; postremo non committam, ut vestro beneficio potius, quam nostro consilio salvi esse possimus.

VI. Quod vero totam Italiam vestris colonis complere voluistis, id cuiusmodi esset, neminemne nostrum intellecturum existimastis? Scriptum est enim: QVAE IN MVNICIPIA, QVASQVE IN COLONIAS DECEMVIRI VELINT, DEDVCANT COLONOS QVOS VELINT: ET IIS AGROS ASSIGNENT, QVIBVS IN LOCIS VELINT: ut, quum totam Italiam militibus suis occuparint, vobis non modo dignitatis retinendae, sed ne libertatis quidem recuperandae spes relinquatur. Atque haec a me suspicionibus et coniectura coarguuntur. Iam omnis omnium tolletur error; iam aperte ostendent, sibi nomen huius reipublicae, sedem urbis atque imperii, denique hoc templum Iovis optimi maximi, atque hanc arcem omnium gentium displicere. Capuam deduci colonos volunt; illam urbem huic urbi rursus opponere, illuc opes suas deferre, et imperii nomen transferre cogitant. Qui locus, propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, superbiam et crudelitatem genuisse dicitur, ibi nostri coloni, delecti ad omne facinus, a decemviris collocabuntur. Et, credo, qua in urbe homines, in veteri dignitate fortunaque nati, copiam rerum moderate ferre non potuerunt, in ea isti vestri satellites modeste insolentiam suam continebunt. Maiores nostri Capua magistratus, senatum, consilium com-

Existimastis) Olim perperam edebatur *existimatis*. Grut. ex Pal. 2, *existimavistis*.

Hoc templum Iovis optimi maximi) in quo Cicero hanc orationem habebat.

Insolentiam) Insolentia est hoc loco, quum quis rei alicui non assuevit, quae ἀήθεια graece dicitur. Eodem modo loquutus est in 2 oratione: *Non solum copia, verum etiam insolentia commovebantur*. Alias arrogantia est, insolentia. TVRN.

Maiores nostri) Quod scribit a

mune, omnia denique insignia reipublicae sustulerunt, neque aliud quidquam, nisi inane nomen Capuae reliquerunt; non crudelitate (quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis hostibus victis sua saepissime reddiderunt?) sed consilio; quod videbant, si quod reipublicae vestigium illis moenibus contineretur, urbem ipsam imperio domicilium praebere posse. Vos haec, nisi evertere rempublicam cuperetis, ac vobis novam dominationem comparare, credo, quam perniciosa essent, non videretis? Quid enim cavendum est in coloniis deducendis? Si luxuries: Hannibalem ipsum Capua corrupit. Si superbia: nata inibi haec ex Campanorum fastidio videtur. Si praesidium: non praeponitur huic urbi ista colonia, sed opponitur. At quemadmodum armatur? dii immortales! Nam bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipsa per sese. Nunc omnes urbes, quae circum Capuam sunt, a colonis per eosdem decemviros occupabuntur. Hanc enim ob causam permittit ipsa lex, IN OMNIA, QVAE VELINT, OPPIDA, COLONOS VT DECEMVIRI DEDVCANT, QVOS VELINT. Atque his colonis agrum Campanum et Stellatem campum dividi iubet.

VII. Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturae atque damni; praetermitto illa, quae nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit, nos caput patrimonii publici, pulcher-

maioribus factum esse, id bello Punico II post receptam Capuam factum est. De qua re vide Livium lib. XXVI. LAVR.

Quid enim cavendum) Lamb. maluit: *quid enim non cavendum est.*

Capua) Sic recte MSS. Pall. edd. pr. Gruter.; alii olim ut Victor. *Capuae.* At male Graevius e cod. Franc. I, *Capuana.*

Haec) Sic cum Beckio edidi e Franc. I, Pith. V, codd. oxx. utraque ed. Ven. — Legitur tamen *esse* pro *haec* in editione Lipsiensi. TYP.

At quemadmodum armatur) Quibus oppidis instruitur et munitur in nos Capua. Nam in omnia etiam Campaniae oppida deducebat colonias Rullus. TVRN.

rimam populi romani possessionem, subsidium annonae, horreum belli, sub signo claustrisque reipublicae positum vectigal, servare non potuisse; eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese et Sullanae dominationi et Gracchorum largitioni restitisset. Non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod amissis aliis remaneat, intermissis non conquiescat; in pace niteat, in bello non obsolescat; militem sustentet, hostem non pertimescat. Praetermitto omnem hanc orationem, et concioni reservo; de periculo salutis ac libertatis loquor. Quid enim existimatis integrum vobis in republica fore, aut in vestra libertate ac dignitate retinenda, quum Rullus, atque ii, quos multo magis quam Rullum timetis, cum omni egentium atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento et auro, Capuam et urbes circa Capuam occuparint? His ego rebus, Patres conscripti, resistam vehementer atque acriter, neque patiar, homines ea, me consule, expromere, quae contra rempublicam diu cogitarint.

VIII. Errastis, Rulle, vehementer et tu et nonnulli collegae tui, qui sperastis, vos contra consulem, veritate, non ostentatione popularem, posse in evertenda republica populares existimari. Lacesso vos; in concionem voco; populo romano disceptatore uti volo. Etenim, ut circumspiciamus omnia, quae populo grata atque iucunda sunt, nihil tam populare,

Sub signo claustrisque) Signo anuli multa Romani a rapina familiae vindicabant. Ita sportae, lagenae, cistae, loculi signabantur. Claustra hic sunt, quae Graeci κλεῖθρα vocant, id est, serae: interdum fores ipsae. ID.

Concioni reservo) Nam quum populus utilitate potius ducatur, quam honestate, quippe qui ex imperita fere et inerudita multitudine constet, propterea haec utilitatis amplificatio concioni erit aptior, ut, quae est dignitatis, orationi in senatu accommodatior. LAVRED.

Circa Capuam) *Capuam* e glossa irrepsisse arbitrantur Graev. Ern.

quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus. Sollicitam mihi civitatem suspicione, suspensam metu, perturbatam vestris legibus et concionibus et seditionibus tradidistis; spem improbis ostendistis; timorem bonis iniecistis; fidem de foro, dignitatem de republica sustulistis. Hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum, quum populo romano vox et auctoritas consulis repente in tantis tenebris illuxerit; quum ostenderit, nihil esse metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium novum, nullum regnum decemvirale, nullam alteram Romam, neque aliam sedem imperii, nobis consulibus, futuram, summamque tranquillitatem pacis atque otii: verendum, credo, nobis erit, ne vestra ista praeclara lex agraria magis popularis esse videatur. Quum vero scelera consiliorum vestrorum, fraudemque legis, et insidias, quae ipsi populo romano a popularibus tribunis plebis fiant, ostendero, pertimescam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione consistere; praesertim quum mihi deliberatum et constitutum sit, ita gerere consulatum, quo uno modo geri graviter et libere potest, ut neque provinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod aut commodum, neque rem ullam, quae a tribuno plebis impediri possit, appetiturus sim. Dicit frequentissimo senatu consul, Kalendis Ianuarii, sese, si status hic reipublicae maneat, neque aliquod negotium exstiterit, quod honeste subterfugere non possit, in provinciam non iturum. Sic me in hoc magistratu geram, Patres conscripti, ut possim tribunum

Neque aliquod) Sic in duobus MSS. legi testatur Goërenzius ad Cic. de Fin. V, 6, idque recte praefert vulgato *aliud*.

Patres conscripti) Hoc recte Beckius post Graevium recepit aucto-

plebis reipublicae iratum coërcere, mihi iratum contemnere.

IX. Quamobrem, per deos immortales! colligite vos, tribuni plebis, deserite eos, a quibus, nisi prospicitis, brevi tempore deseremini; conspirate nobiscum; consentite cum bonis; communem rempublicam communi studio atque amore defendite. Multa sunt occulta reipublicae vulnera, multa nefariorum civium perniciosa consilia; nullum externum periculum est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est; inclusum malum, intestinum ac domesticum est. Huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. Erratis, si senatum probare ea, quae dicuntur a me, putatis, populum autem esse in alia voluntate. Omnes, qui se incolumes volunt, sequentur auctoritatem consulis, soluti a cupiditatibus, liberi a delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quod si* quis vestrum spe ducitur, se posse turbulenta ratione honori velificari suo, primum, me consule, id sperare desistat; deinde habeat me ipsum sibi documento, quem equestri ortum loco consulem videt, quae vitae via facillime viros bonos ad honorem dignitatemque perducat. Quod si vos vestrum mihi studium, Patres conscripti, ad communem dignitatem defendendam profitemini, perficiam profecto id, quod maxime respublica desiderat, ut huius ordinis auctoritas, quae apud maiores nostros fuit, eadem nunc longo intervallo reipublicae restituta esse videatur.

ritate cod. Franc. I. Atque sic iam antea Manut. et Lambin. ediderunt. Olim erat *populi romani*, e quo Gruterus fecit *populo romano*.

DE

LEGE AGRARIA

CONTRA

P. SERVILIVM RVLLVM

ORATIO SECVNDA AD POPVLVM

I.

Est hoc in more positum, Quirites, institutoque maiorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant. Qua in oratione nonnulli aliquando digni maiorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum maioribus eorum debitum esse

Est hoc in more positum — consequuti sunt) Nobiles intelligit, qui eosdem, atque maiores sui, quorum imagines haberent, honores populi beneficio adepti sunt. Nobilitas enim non ex conditione, sed ex imaginibus maiorum apud Romanos comparabatur. Erat autem imago (auctore Polybio, lib. VI) simulacrum oris similitudinem affabre miroque artificio confectam, coloribus pigmentisque adumbratam referens, quam insigniori ac celebriori domus in parte collocabant. Imaginis autem suae ponendae ius consequebantur ex curulibus magistratibus, quorum primus erat curulis aedilitas, ut ostendit Cicero lib. V in Verrem, cap. 14, quum ait, se ob aedilitatem delatam adeptum esse *antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem*, ius imaginis *ad memoriam posteritatemque prodendam*. Quare consequi imagines familiae, est magistratus curules a maioribus suis gestos item capere, quod nobilitatis erat. Hos ergo nobiles consuevisse ait primam concionem habere, qua gratias populo agerent, ita tamen, ut suos maiores laudarent. Lavs.

videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur: non, quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso, vereor, ne arrogantis sit, apud vos dicere; ingrati, tacere. Nam et quibus studiis hanc dignitatem consequutus sim, memetipsum commemorare, perquam grave est, et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur a me certa ratio moderatioque dicendi, ut, quid a vobis acceperim, commemorem; quare dignus vestro summo honore singularique iudicio sim, ipse modice dicam, si necesse erit: vos eosdem existimáturos putem, qui iudicavistis. Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum, primum hominem novum consulem fecistis, et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce, rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis. Neque me tantummodo consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis, quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo.

Si necesse erit) *Vt si necesse erit, vos* Graev. e cod. Franc. I, quod Ern. improbavit, Beckius recepit.

Hominem novum) Plutarchus in Catone maiore *novos* dictos fuisse scribit, qui ex genere noti non essent, sed qui ipsi primi sua virtute cognoscerentur. Recte: nam ut nobiles eos diximus, qui maiorum imagines habebant, aut quorum maiores magistratus curules gesserant, sic, qui ipsi primi magistratum curulem ceperant, novi nuncupabantur; qualis fuit Cicero, ante Ciceronem Ti. Coruncanius, M. Cato, M. Caelius, T. Didus, proxime autem C. Marius. Lavr.

Novus ante me nemo) Nam Marius etsi magna plebis voluntate, non tamen tanto studio consulatum est adeptus, nec suo anno, sed occasione belli Iugurthini multis post praeturam annis. Tvrn.

II. Nam profecto si recordari volueritis de novis hominibus, reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sint, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, quum multis annis post petissent, quam praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem ac per leges liceret; qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos; me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possimus, qui consulatum petierim, quum primum licitum sit; consul factus sim, quum primum petierim; ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occasionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. Est illud amplissimum, quod paulo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis post annis [1], affecistis; quod prima petitione; quod anno meo; sed tamen magnificentius atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam, vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; neque singulae voces praeconum, sed una voce universus populus romanus consulem declaravit. Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, quum ad animi

Facti sint) Sic Ern. Vulgo *sunt.* Idem postea dedit *possimus*, pro vulgato *possumus.*

Non ad alienae petitionis) Observato anno, quo viri parum clari peterent. FERR.

1. Alii *multis posthabitis.* TYP.

Tabellam) Nam Gabinia lege in magistratibus mandandis, populus tabella, non voce suffragium ferebat. Tabella autem dabatur a diribitoribus populo suffragium ferenti: in qua notis erant omnia, ut opinor, candidatorum nomina scripta, quorum ratio habebatur. Ad eorum autem nomina quos facerent, puncta notabant: quos non facerent, non notabant. Idque est quod Horatii interpretes in eum locum scribunt: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.* TURN.

mei fructum atque laetitiam duco esse permagnum, tum ad curam sollicitudinemque multo maius. Versantur enim, Quirites, in animo meo multae et graves cogitationes, quae mihi nullam partem neque diurnae, neque nocturnae quietis impertiunt: primum tuendi consulatus; quae quum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi praeter ceteros; cui errato, nulla venia; recte facto, exigua laus et ab invitis expressa proponitur: non, dubitanti fidele consilium, non, laboranti certum subsidium nobilitatis ostenditur.

III. Quod si solus in discrimen aliquod adducerer, ferrem, Quirites, animo aequiore: sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio, verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. Mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem, qua superioribus consulibus, lege et conditione utendum esse decrevi: qui aditum huius loci conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer sequuti sunt. Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem, prima mea illa oratione Kalendis Ianuariis dixi. Neque enim ullo modo facere possum, ut, quum me intelligam, non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed uni-

Cui errato) *Cuius errato* cod. Pal. 1, 2 et Pith.

versi populi romani iudicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita sim popularis. Sed mihi ad huiusce verbi vim et interpretationem vehementer opus est vestra sapientia. Versatur enim magnus error, propter insidiosas nonnullorum simulationes: qui quum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnant et impediunt, oratione assequi volunt, ut populares esse videantur. Ego qualem Kalendis Ianuariis acceperim rempublicam, Quirites, intelligo; plenam sollicitudinis, plenam timoris; in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi exspectarent. Omnia turbulenta consilia contra hunc reipublicae statum, et contra vestrum otium partim iniri, partim, nobis consulibus designatis, inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac perturbatione iudiciorum, infirmatione rerum iudicatarum; novae dominationes, extraordinaria, non imperia, sed regna, quaeri putabantur.

IV. Quae quum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem (neque enim obscure gerebantur); dixi in senatu, in hoc magistratu me popularem con-

Sim popularis) Sic Lamb. Ern. Olim *essem*.

Versatur enim magnus error) Lambin. coni. *versatur in eo m. e.*

De foro fides) Vt superiore oratione, fides hic solutio est creditae pecuniae. Novarum enim tabularum spes improbis et obaeratis erat. Proinde creditae pecuniae non solvebantur. TVRN.

Novae calamitatis) Vt multi interdum calamitate belli, aut caeli, aut aliquo postremo casu, coguntur cedere foro, omnibus repente eversis fortunis. ID.

Suspicione ac perturbatione) Debitores, qui novas tabulas fore auspicabantur, aes alienum non dissolvebant, eas exspectantes. Novarum autem tabularum inductio, iudiciorum est perturbatio, quum creditori in debitorem ius non dicatur. ID.

Extraordinaria) Ordinaria enim et usitata imperia sunt Consulum, et Praetorum, decemvirorum autem extraordinaria, nec legitima, nec solita. ID.

sulem futurum. Quid enim est tam populare, quam pax? qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi laetari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quam otium? quod ita iucundum est, ut et vos, et maiores vestri, et fortissimus quisque vir, maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, praesertim in imperio ac dignitate; qui idcirco etiam maioribus nostris praecipuam laudem gratiamque debemus, quod eorum labore est factum, ut impune in otio esse possemus. Quare qui possum non esse popularis, quum videam haec omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis vestri, otium domesticum, denique omnia, quae vobis cara atque ampla sunt, in fidem et quodam modo in patrocinium mei consulatus esse collata? Neque enim, Quirites, illud vobis iucundum aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quae verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto aerario, nullo pacto potest. Neque vero illa popularia sunt existimanda, iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutio damnatorum: qui civitatum afflictarum, perditis iam rebus, extremi exitiorum solent esse exitus. Neque si qui agros populo romano pollicentur, si aliud quiddam obscure moliuntur, aliud spe ac specie simulationis ostentant, populares existimandi sunt.

V. Nam vere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possum. Venit enim mihi in

Extremi exitiorum solent esse exitus) Lambino delendum videbatur *exitiorum*. Ego vero legere malim: *quae civitatum afflictarum perditis iam rebus extrema exitiorum solent esse.*

mentem, duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebis romanae viros, Ti. et C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer, Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia, legibus, multas esse video reipublicae partes constitutas. Itaque, ut initio mihi, designato consuli, nuntiabatur, legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam, quid cogitarent, cognoscere. Etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos reipublicae bene administrandae societatem. Quum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar: et quum ostenderem, si lex utilis plebi romanae mihi videretur, auctorem me atque adiutorem futurum, tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam; negabant, me adduci posse, ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei, ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex vestra sollicitudine, in qua illis temporibus fuistis, facile assequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magistratus tribuni plebis. Concio exspectata P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis, et truculentius se gerebat, quam ceteri. Iam designatus, alio vultu, alio

Quid cogitarent) Sic Ern. ex edd. pr. Vulgo *quod cogitarent*.

Reipublicae bene administrandae) Voc. *bene* spurium iudicavit Ern. et a glossatore profectum.

Quibus rebus) Graev. *quibus in rebus*, ut est in aliquot MSS. et edd. pr.

Concio) Vulgo hic repetitur *tandem*, errore librarii. Itaque expunxi.

Exspectata) Guilielm. coni. *exspectatur*.

vocis sono, alio incessu esse meditabatur: vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior, quam ante, barbaque maiore: ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam, et minitari reipublicae videretur. Legem hominis concionemque exspectabam. Lex initio nulla proponitur; concionem in primis advocari iubet; summa cum exspectatione concurritur. Explicat orationem sane longam, et verbis valde bonis. Vnum erat, quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset, quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiae delectetur, nescio. Tamen, si qui acutiores in concione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere, suspicabantur. Aliquando tandem, me designato, lex in publicum proponitur. Concurrunt iussu meo plures uno tempore librarii; descriptam legem ad me afferunt.

VI. Omni hoc vobis ratione confirmare possum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem cognoscendamque venisse, ut, si eam vobis accommodatam atque utilem esse intelligerem, auctor eius atque adiutor essem. Non enim natura, neque discidio, neque odio penitus insito, bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni et fortes consules obstiterunt, et quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari. Non potestatum

Suspicabantur) Quintilian. Inst. or. VIII, 4, sic h. l. laudat: *pauci tamen, qui proxime adstiterant, nescio quid illum de lege agraria voluisse dicere suspicabantur.*

In publicum) Lambin. sine libris edidit *in publico.*

Omni — ratione confirmare) *Asseveratione* nulla librorum auctoritate scripsit Lambin.

Neque discidio) Idest tanquam diversi generis homines seiuncti simus ac separati. GRAEV.

dissimilitudo, sed animorum disiunctio dissensionem facit. Itaque hoc animo legem sumpsi in manus, ut eam cuperem esse aptam vestris commodis, et eiusmodi, quam consul, re, non oratione popularis, et honeste et libenter posset defendere. Atque ego a primo capite legis, usque ad extremum, reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum, nisi ut decem reges, aerarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius reipublicae, regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum domini constituerentur, legis agrariae simulatione atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege agraria, pulcra atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia; ostentari populo romano agros, eripi etiam libertatem; privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri; denique, quod est indignissimum, per tribunum plebis, quem maiores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt, reges in civitate constitui. Quae quum exposuero, si falsa vobis videbuntur esse, sequar auctoritatem vestram, mutabo meam sententiam. Sin insidias fieri libertati vestrae, simulatione largitionis, intelligetis, nolitote dubitare, plurimo sudore et sanguine maiorum vestrorum partam vobisque traditam libertatem, nullo vestro labore, consule auctore defendere.

VII. Primum caput est legis agrariae, quo, ut illi putant, tentamini leviter, quo animo libertatis vestrae deminutionem ferre possitis. Iubet enim TRIBVNVM

Per tribunum plebis — voluerunt) Cod. Erf. minus bene *per tribunos plebis quos maiores praesides libertatis custodesque esse voluerunt.*

Vobisque traditam) Codd. Pall. ed. Grut. *nobisque.*

Consule auctore) Recte Ern. ita scribendum esse indicavit, pro vulg. *adiutore.* Nam si *nullo suo labore* defendere debet populus, consul non *adiutor* esse potest, sed *auctor.*

Deminutionem ferre) Ita praeeunte Beckio scripsi. Vulg. *diminutionem.*

PLEBIS, QVI EAM LEGEM TVLERIT, CREARE DECEMVIROS PER TRIBVS SEPTEMDECIM, VT, QVEM NOVEM TRIBVS FECERINT, IS DECEMVIR SIT. Hic quaero, quam ob causam initium rerum ac legum suarum hinc duxerit, ut populus romanus suffragio privaretur? Toties legibus agrariis curatores constituti sunt, triumviri, quinqueviri, decemviri: quaero a populari tribuno plebis, ecquando, nisi per XXXV tribus creati sint? Etenim quum omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo romano proficisci convenit, tum eas profecto maxime, quae constituuntur ad populi fructum aliquem et commodum; in quo et universi deligant, quem populo romano maxime consulturum putent, et unusquisque studio et suffragio suo viam sibi ad beneficium impetrandum munire possit. Hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem, populum romanum universum privare suffragiis, paucas tribus, non certa conditione iuris, sed sortis beneficio, fortuitu, ad usurpandam libertatem vocare. ITEM, inquit, EODEMQVE MODO, capite altero, VT COMITIIS PONTIFICIS MAXIMI. Ne hoc quidem vidit, maiores nostros tam fuisse populares, ut, quod per populum creari fas non erat, propter religionem sacrorum, in

Tribuno plebis) Hoc recte restituit Beckius. Nam e Gruteriana in alias edd. venit *tribuno plebeio*, quum edd. antiquiores habeant *trib. pl. trib. pleb.* id est, *tribuno plebis* vel *plebei*.

Fortuitu) Hanc formam iure recepit Beckius e cod. Pith. Franc. eamque aliis exemplis defendit Goërenz. ad Cic. de Fin. V, 11. Vulg. *fortuito*.

Vocare) Beckius interrogandi signo distinxit. Fortius vero res asseveratur, sine interrogatione.

Eodemque modo) Haec Lauredan. et Lambin. pro glossa habent, probante Graevio. At recte Ern. defendit similium formularum exemplis.

Vt comitiis pontificis maximi) Creabantur pontifices maximi a populo non universo, sed tantum a tribubus XVII ex vetere instituto: reliqui sacerdotes a collegiis. Postea ipsi quoque lege Domitia a populo creari coepti sunt. MANVT.

Creari fas non erat) Pollui enim visa essent sacra, si sacerdotium a promiscua plebe mandatum fuisset potius, quam cooptatione traditum. Tamen propter amplitudinem sacer-

eo tamen, propter amplitudinem sacerdotii, voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clarissimus, tulit: quod populus, per religionem, sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur. Videte, quid intersit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, hominem nobilissimum, et P. Rullum, qui tentavit, ut opinor, patientiam vestram, quum se nobilem esse diceret. Domitius, quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione assequutus est, ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret: hic, quod populi proprium semper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutavit, quin ii, qui populo agros essent assignaturi, ante acciperent a populo beneficium, quam darent, id totum eripere vobis atque e manibus extorquere conatus est. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit: hic, quod adimi nullo pacto poterat, potestate quadam ratione eripere conatur.

dotii eius, cui res omnes humanae divinaeque subiectae sunt, placuit Pontificem Maximum comitiis creari. Errant qui pontificatum magistratum appellant, quum sacerdotium sit. TUR.

Populo supplicari) A populo peti. Temporis causa usus est verbo populi maiestatem indicante, quo magis Rullum in odium adduceret, qui comitia e solis XVII tribubus constituens, populum tribunus plebis contemnere videtur. MANUT.

De ceteris sacerdotiis) De Pontificibus minoribus, auguribus, quindecimviris Sibyllinis, triumviris epulonum. ID.

Cn. Domitius tribunus plebis) Ahenobarbus, Q. Catuli minoris avunculus. Qui tribunus plebis fuit, auctore Pediano, C. Mario II, C. Fimbria coss. Is quum augur esse non potuisset, iratus, tanquam accepta iniuria, cooptandorum sacerdotum potestatem, lege lata, a collegiis ad populum transtulit: ut ita crearentur a populo, id est a XVII tribubus, quemadmodum pontifex max. creari solitus erat. ID.

Populi ad partes daret) Partes populi sunt tribus: ad partes igitur populi, ad trib. XVII, non ad universum populum. Suspectus locus e novitate sermonis. ID.

Potestate) scil. *tribunicia*. Beckius

VIII. Quaeret quispiam, in tanta iniuria tantaque impudentia quid spectarit. Non defuit consilium; fides erga plebem romanam, aequitas in vos libertatemque vestram vehementer defuit. Iubet enim, comitia decemviris habere creandis eum, qui legem tulerit. Hoc dicam planius. Iubet Rullus, homo non cupidus, neque appetens, habere comitia Rullum. Nondum reprehendo, video fecisse alios. Illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quo pertineat, videte. Habebit comitia; volet eos renuntiare, quibus regia potestas hac lege quaeritur. Vniverso populo neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse. Sortietur tribus idem Rullus. Homo felix educet, quas volet, tribus. Quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductae, hos omnium rerum (ut iam ostendam) dominos habebimus. Atque ii, ut grati ac memores beneficii esse videantur, aliquid se novem tribuum notis hominibus debere confitebuntur: reliquis vero sex et xx tribubus, nihil erit, quod non putent posse suo iure denegare. Quos tandem igitur decemviros creari vult? se primum. Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eae consulares, si quid interesse hoc arbitramini, sed tribuniciae, vobis maioribusque vestris vehementer gratae atque iucundae. Licinia est lex, atque altera Aebutia; quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur.

voc. *potestate* uncis inclusit: mihi hoc genuinum, et si quid mutandum sit, potius *quadam ratione* delendum videtur. — Alii commate post *potestate* distinguunt.

Non defuit consilium) Id vero positum in eo fuit, ut et paucis hominibus, et sibi gratificaretur. LAVR.

Renuntiare) Codd. plerique et edd. ante Lamb. *denuntiare*.

Quod non putent) Graev. e cod. Franc. *quod non se putent*.

Creari vult) Codd. Erf. Franc. Pith. *fieri vult*, quod recepit Graev.

Etenim, si populo consulis, remove te a suspicione alicuius tui commodi; fac fidem, te nihil, nisi populi utilitatem et fructum quaerere; sine ad alios potestatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire. Nam hoc quidem vix est liberi populi, vix vestrorum animorum ac magnificentiae.

IX. Quis legem tulit? Rullus. Quis maiorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus? Rullus. Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? idem Rullus. Quem principem renuntiavit? Rullum. Vix, mehercule, servis hoc eum suis, non vobis, omnium gentium dominis, probaturum arbitrarer. Optimae leges igitur hac lege sine ulla exceptione tollentur. Idem sibi sua lege curationem petet: idem, maiore parte populi suffragiis spoliata, comitia habebit; quos volet, atque in iis se ipsum renuntiabit; et videlicet collegas suos, adscriptores legis agrariae non repudiabit, a quibus ei locus primus invidiae in praescriptione legis concessus est: ceteri fructus omnium rerum, qui in spe legis huius

Sine ad alios) *Sine ad illos* codd. Pith. Franc. quinque Oxx. ed. Ven. utraque.

Privavit) Codd. Pall. Erf. Franc. ed. 1481, *prohibuit*.

Vocavit) Cod. Erf. *evocavit*.

Nullo custode) Custos enim si non adsit, fraudem faciet, et quas volet tribus educet, aliis circumventis. Custodes sortientibus tribus apponebantur: apponebantur et suffragiis. Cicero in Pisonem: *Tu misericors me affinem tuum, quem comitiis praerogativae primum custodem praefeceras*. TURN.

Sortitus? Rullus) *Rullus*, quod in codd. exciderat, ab Ernestio additum.

Non vobis) Gulielm. coni. *ne vobis* aut *nedum vobis*.

Adscriptores legis) Ex eius collegis quidam legi favebant, et ab eo lege Agraria consulti quaedam capita adscripserant. Nam inde fluxit *adscriptoris* significatio: quum quis adiicit: quod qui facit etiam probat. At *subscriptor* est, qui subscribit se probare. TURN.

Locus primus invidiae in praescriptione legis) Quia in legis titulo nomen Rulli futurum erat, qui legem ferebat, quum essent tantum adscriptores alii, ac Servilia de nomine eius esset vocata. Est igitur *praescriptio*, titulus legis, in quo nomen la-

positi sunt, communi cautione, atque aequa sibi parte retinebuntur.

At videte hominis diligentiam, si aut Rullum cogitasse, aut si Rullo potuisse in mentem venire arbitramini. Viderunt ii, qui haec machinabantur, si vobis ex omni populo deligendi potestas esset data, quaecumque res esset, in qua fides, integritas, virtus, auctoritas quaereretur, vos eam sine dubitatione ad Cn. Pompeium principem delaturos. Etenim, quem unum ex cunctis delegissetis, ut eum omnibus omnium gentium bellis terra et mari praeponeretis, certe in decemviris faciendis, sive fides haberetur, sive honos, et committi huic optime, et ornari hunc iustissime posse intelligebant. Itaque excipitur hac lege, non adolescentia, non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus ullus aliis negotiis ac legibus impeditus, reus denique, quo minus decemvir fieri possit, non excipitur. Cn. Pompeius excipitur, ne cum P. Rullo, taceo de ceteris, decemvir fieri possit. Praesentem enim profiteri iubet, quod

toris ponitur, quia praescribitur legi. Id.

Communi cautione) Cautio est, quum vel verbis, vel scriptis, vel pignoribus datis paciscimur interque nos cavemus. Pro syngrapha ponitur a iurisconsultis, ut: *Lecta est in auditorio Papiniani praefecti praetoris huiusmodi cautio.* Igitur communi quadam obligatione et pactione communia erunt inter eos commoda. Id.

Retinebuntur) Sic Ern. Vulgo *retinentur.*

Non excipitur — decemvir fieri possit) Haec in antecedentibus edd. aberant; e codd. Pith. Pal. 2, Erf. primus recte supplevit Graevius.

Praesentem enim) Sic recte e cod. Pal. 2, quinque Oxx. et utraque Ven. reposuit Beck. (et ita legendum esse iam censebat Turneb. ex veteri libro. Typ.) Vulgo *praesentem eum.*

Profiteri iubet) *Profiteri* est declarare se petitorem esse, nomenque suum inter candidatos dare. Quod autem hic reprehendit, usitatum fere erat, ut Plutarchus in Caesare dicit: quem ex Hispania reversum, omittere triumphum scribit coactum esse, quod praesentem profiteri iuberent. Caesarem quoque Tranquillus scribit petiisse, ut legibus solveretur, nec obtinuisse tamen. Postea etiam lege Pompeia, et iure magistratuum, absentes a petitione honorum summoti sunt. Turn.

nulla alia in lege unquam fuit, ne in his quidem magistratibus, quorum certus ordo est. Timebat enim, Pompeius si adesset, ne ferri non posset; aut ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam adscriberetis, custodem ac vindicem cupiditatum.

X. Hic, quoniam video vos hominis dignitate, et contumelia legis esse commotos, renovabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, libertatem vestram hac lege funditus tolli. An vos aliter existimabatis, quum ad omnia vestra pauci homines cupiditate oculos adiecissent? non eos in primis id acturos, ut ex omni custodia vestrae libertatis, ex omni potestate, curatione, patrocinio vestrorum commodorum Cn. Pompeius depelleretur? Viderunt, et vident, si per imprudentiam vestram, negligentiam meam, legem incognitam acceperitis, fore, uti postea, cognitis insidiis, quum decemviros creaaritis, tum vitiis omnibus et sceleribus legis, Cn. Pompeii praesidium opponen-

Quod nulla alia in lege unquam fuit) Non habet eam vim, ut significet, lege concessum fuisse, ut absentibus mandari magistratus posset, quod lege prohibitum fuisse iam diximus, sed ne vetitum quidem fuisse, ne quis per amicos absens profiteretur; quamquam eius ratio non haberetur, nisi comitiis interfuisset: professio enim statim post edicta comitia fiebat. Itaque antequam ea haberentur, accurrere qui absens professus fuerat ad diem comitiorum poterat. Quod ne fieri quidem hac lege Servilia licuisse arguit Cicero. Cur autem excludant professione Pompeium, post aperit. LAUR.

Quorum certus ordo est) In aedilitate, praetura, consulatu: qui magistratus quotannis certo ordine creantur. Decemviratus autem et triumviratus extraordinarii sunt. TURN.

Timebat — aut ne) Verba in edd. pr. omissa. Primus explevit lacunam Victorius hoc modo: *timebat enim Pompeius ne si adesset, ferri non posset, aut ne* — Recte particulam *ne* sic transposuit Ern.: *Timebat enim, Pompeius si adesset, ne ferri non posset*, scil. *lex*.

Cupiditate oculos adiecissent) Vulgo *cupiditatis oculos adiecissent*. Iure Guilielm. et Graevium offendit illud *cupiditatis oculos*. Itaque Guilielm. emendabat: *hominis cupidi atque audaces oculos adiecissent*. Ego vero faciliore correctione reposui *cupiditate*. Nam eadem forma dicendi usus est Cic. Philipp. XI, 5: *in cuius possessiones atque fortunas non impudentissimos oculos spe ac mente defigere*.

dum putetis. Et hoc parvum argumentum vobis erit, a certis hominibus dominationem potestatemque omnium rerum quaeri, quum videatis, eum, quem custodem vestrae libertatis fore videant, expertem fieri dignitatis?

Cognoscite' nunc, quae potestas decemviris, et quanta detur. Primum lege curiata decemviros ornat. Iam hoc inauditum, et plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, qui nullis comitiis ante sit datus. Eam legem ab eo praetore, qui sit primus factus, ferri iubet. At quomodo? ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit. Oblitus est, nullos

Curiata lege — detur, qui) In aliquot codd. MSS. et edd. pr. est *cui*. Lambino placebat *ut ei curiata — detur cui*, vel *ut is curiata — detur qui*.

Curiata lege) Lex curiata erat, quae curiatis comitiis rogabatur. Curiata comitia, quibus populus per curias suffragia inibat. Curiae erant triginta urbis partes, iam inde a Romulo rege factae, in quas totus populus ita divisus erat, ut unaquaeque curia propria sacra, ac proprios sacerdotes haberet. Atque haec quidem curiata comitia prima Romae instituta sunt, quibus reges ante centuriata a Ser. Tullio rege instituta, creari soliti sunt, itemque tribuni pleb. quousque lege Publilia tributis creari coepti sunt. Lex autem curiata fuit, quae de imperio magistratus rogaretur, et ostendit Livius lib.V quum ait: *Curiata comitia rem militarem continuisse*; at Cicero paulo post: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet*. Ergo, quum ornabat decemviros lege curiata, potestatem dabat eis exercitum habendi et belli gerendi, quae duo uno imperii verbu Latini comprehenderunt. Hoc autem iniquum ostendit, quia contra mores est, ut aliquis curiata lege ornetur, qui nullis ante comitiis magistratum adeptus sit. Neque enim decemviros aliquibus comitiis creatos ait, quum a minore parte populi sint creati: quae vere comitia non possunt appellari. Lavr.

Eam legem ab eo praetore, qui sit primus factus, ferri iubet) Praetor primus dictus est, qui primus legitima suffragia confecerit, et in quem maior populi favor inclinaverit, idcirco primo loco renuntiatus sit. Hic enim gradus renuntiationis est, non honoris. Quare Cicero dixit in Pompeiana: *Ego propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum*. Quaeret quispiam, cur a tribuno plebis hanc legem ferri iussit? Quia tribuni, nisi tributa comitia habere, quae inauspicato habebantur, nec patricios advocare, qui curiatis suffragium ferebant, poterant. Auctor Gellius. Huius autem rei reprehensionem ad alium locum reservat. Facc.

Quos plebs) Erravit Rullus, merito que reprehenditur, qui decemviros

ab plebe designari. Et is orbem terrarum constringit novis legibus, qui, quod in secundo capite scriptum est, non meminit in tertio? Atque hic perspicuum est, quid iuris a maioribus acceperitis, quid ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur.

XI. Maiores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam quum centuriata lex censoribus ferebatur, quum curiata ceteris patriciis magistratibus; tum iterum de eisdem iudicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret. Nunc, quia prima illa comitia tenetis, centuriata et tributa, curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem tribunus plebis, quia videbat, potestatem neminem iniussu populi aut ple-

scripserit a plebe designatos: populum enim dicere debuit. Nam tributis comitiis suffragia fert populus, non sola plebs. Turn.

Ab plebe) Sed a populo. Quod enim plebem, non populum dixerit, reprehendit. Id.

Qui quod) Sic Lambin. Beek. Vulgo *qui quid.*

De omnibus) Graev. e codd. Pall. Pith. Franc. recepit *de singulis.*

Quum centuriata lex) Primis reipublicae temporibus duobus comitiis magistratus dabantur, centuriatis et curiatis: excepta censura, de qua non habebantur, nisi centuriata. Postquam tributa in usu esse coeperunt, alii ex patritiis magistratibus dabantur comitiis *centuriatis*, alii *tributis:* utrisque deinde addebantur *curiata*, quae ad speciem vetustatis, auspiciorum causa retenta sunt, in quibus non populus suffragia dabat, sed populi, hoc est, XXX curiarum vicem triginta lictores supplebant, ut infra habet Cicero. Sensus itaque est:

Nam quum centuriata ... Censores quidem creabantur comitiis tantum centuriatis.

Quum curiata ... Reliqui magistratus patritii centuriatis simul et curiatis.

Tum iterum ... Eo tempore, quum illa duo comitia tantum in usu erant, bis populus indicabat.

Nunc, quia ... Nunc, quia ex illis duobus comitiorum generibus, centuriata solum habetis, et pro curiatis tributa inventa sunt; curiata quidem adhuc adhibentur, sed solum ad speciem vetustatis, et auspiciorum gratia, quod tributa maxime non fierent auspicato. Ferrat.

Censoribus) Lambinus Gruchium et Holomannum sequutus rescripsit *consulibus.*

Quum curiata) Voc. *curiata* mihi ponendum videtur inter *tum* et *iterum.*

Prima illa) Haec verba hic delenda et ante *curiata tantum* ponenda videntur.

bis posse habere, curiatis ea comitiis, quae vos non sinitis, confirmavit: tributa, quae vestra erant, sustulit. Ita, quum maiores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus iudicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis religionem et diligentiam. Vidit et perspexit, sine curiata lege decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti. Iubet ferre de his legem curiatam: praetori imperat, quam id ipsum absurde, nihil ad me attinet; iubet enim, QVI PRIMVS SIT PRAETOR FACTVS, EVM LEGEM CVRIATAM FERRE: SIN IS FERRE NON POSSIT, QVI POSTREMVS SIT: ut aut lusisse in tantis rebus, aut profecto nescio quid spectasse videatur. Verum hoc, quod est aut ita perversum, ut ridiculum, aut ita malitiosum, ut obscurum sit, relinquamus: ad religionem hominis revertamur. Videt, sine lege curiata nihil agi per decemviros posse. Quid postea, si ea lata non erit? attendite ingenium. TVM II DECEMVIRI, inquit, EODEM IVRE SINT, QVO QVI OPTIMA

Non sinitis) Quae vos confirmari non sinitis curiatis comitiis. Nam curiatis comitiis Rullus non auspicium tantum tribuit, sed potestatem etiam decemvirum confirmat nullis comitiis designatorum, privato suffragiis populo. Lambin. maluit *tenetis*. Lauredan. *initis*.

Praetori imperat) Legem enim curiatam ferre tribunus non poterat, propter auspicium, quod nullum plebis est. TVRNEB.

Absurde) Absurde enim iubet Rullus, qui imperet primo praetori ferre legem curiatam, sin is ferre non possit, ei qui postremus factus sit. Ineptum enim est a primo ad postremum transire, quum ad secundum debuerit. Id tamen fecerat, ut reor, Rullus, imperans omnino praetoribus lationem legis curiatae, ut si alii non possent, saltem postremus ferret. Qui peccasse Rullum censent, quod praetori maiori et patritio magistratui imperarit, et in eo a Cicerone reprehendi, aberrant a sententia. ID.

Possit) Graev. e cod. Erf. *posset*.

Ad religionem) Quam contempsit sublata lege curiata. Nam si ea non ferretur, voluit tamen eodem iure ac potestate decemviros esse, ac si lata esset. TVRN.

Eodem iure sint, quo qui optima lege) Formula est romani iuris: sic in Philip. V: *Sit propraetor eo iure, quo qui optimo*. Hoc autem quid sit,

LEGE. Si hoc ferri potest, ut in hac civitate, quae longe iure libertatis ceteris civitatibus antecellit, quisquam nullis comitiis imperium aut potestatem assequi possit, quid attinet, tertio capite legem curiatam ferre iubere, quoniam quarto permittas, ut sine lege curiata idem iuris habeant, quod haberent, si optima lege a populo essent creati? Reges constituuntur, non decemviri, Quirites: iique ab his initiis fundamentisque nascuntur, ut non modo quum gerere coeperint, sed etiam quum constituentur, omne vestrum ius, potestas, libertasque tollatur. At videte, quam diligenter retineat ius tribuniciae potestatis. Consulibus legem curiatam ferentibus, a tribunis plebis saepe est intercessum. Neque tamen nos id querimur, esse hanc tribunorum plebis potestatem. Tantummodo, si quis ea temere est usus, existimamus. Hic tribunus plebis lege

declarat Festus, quum ait: *Optima lege quum dicebatur in magistro populi faciendo, qui vulgo dictator appellatur, quam plenissimum posset, ius esse significabatur. Postquam vero provocatio ab eo magistratu ad populum data est, quae antea non erat, desitum est dici, ut optima lege, utpote imminuto iure priorum magistrorum.* Reprehendit autem hoc caput, tanquam id quod tertium tollat. Nam *si* sine lege curiata plenissimum ius assequi decemviri possunt, quod quarto capite permittitur, quid attinet afferre tertium, in quo de curiata lege ferenda scribitur? LAUR.

Si hoc ferri potest) Lauredano et Schellero auctoribus rescripsi *ferri* pro vulg. *fieri*. Est enim insolens: *fieri potest ut — assequi possit.* Verba *si hoc ferri potest* significant i. q. si cui hoc lege ferre, aut hoc in lege lata proponere licet.

Iique ab iis initiis) Beckius auctoritate utriusque cod. Pal. Pith. Franc. quinque Oxx. reposuit *itaque ab his initiis.*

At videte, quam diligenter retineat ius tribunitiae potestatis) Reprehendit aliam Rulli cautionem. Vetabat enim quemquam praetori legem curiatam ferenti intercedere. Quod et ipsum iniquum esse ostendit, primum quia minuit tribunitiam potestatem, deinde, quis impudenter, si intercessum fuerit, eandem potestatem instituit, quam nisi intercessum esset. Vt ergo, inquit, hic retineat ius tribunitiae potestatis, attendite. LAUR.

Existimamus) Pantagathus legendum putabat *exaestuamus.* Aliis visum est excidisse *reprehendendum* vel *querendum*, ante *existimamus.* Lambinus vulgatum defendit hac ratione, ut sit, iudicamus tribunum temere potestate sua usum esse.

curiata, quam praetor ferat, adimit intercedendi potestatem. Atque hoc quum in eo reprehendendum est, quod per tribunum plebis tribunicia potestas minuitur, tum in eo deridendum, quod consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: hic potestatem, etiamsi intercessum sit, tamen eandem constituit, quam si lata esset lex; ut non intelligam, quare aut hic vetet intercedere, aut quemquam intercessurum putet, quum intercessio stultitiam intercessoris significatura sit, non rem impeditura.

XII. Sint igitur decemviri, neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque ad usurpationem vetustatis, per xxx lictores, auspiciorum causa, adumbratis, constituti. Videte nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint, quanto maioribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis. Iubet auspicii coloniarum deducendarum causa decemviros habere pullarios. EODEM IVRE, inquit, QVO HABVERVNT TRESVIRI LEGE SEMPRONIA. Audes etiam, Rulle, mentionem facere legis Semproniae? nec te ea lex ipsa

Hic potestatem) Sic Ernestins h. l. coustituit. Vulgo *huic qui vetat intercedendi potestatem.*

Ad usurpationem vetustatis per XXX lictores) Quum Gellius auctor sit, curiata comitia olim per lictorem curiatim creata fuisse, facile suspicari possumus, longo temporis intervallo evenisse, ut, quum curiae a singulis lictoribus more maiorum vocatae non venirent, XXX ipsi lictores, qui eas vocaverant, pro curiis, ad speciem vetustatis, ut auspicia, quae in eis habendis observari licebat, retinerentur, suffragia inisse, maxime in lege curiata de imperio ferenda. LAVRED.

Iubet auspicii) Scripsit Cicero, mea sententia: *Iubet ad auspicia coloniarum deducendarum decemviros habere pullarios. Auspicii* sane non video ut possis tueri, nisi *causa* respiciat et *auspicii* et *coloniarum*, quod non probabunt Tullianae castitatis deliciis imbutae aures. GRAEV. Pullarius erat, qui pullis e cavea eductis, obiectaque eis offa, auspicabatur.

Auspicii) *Auspicia* codd. Pall. Fr. Erf. quinque Oxx. *auspicii* Ern. uncis inclusit ut spurium; Lambin. tamen defendit, cui cum Garatono assentior.

commonet, tresviros illos xxxv tribuum suffragio esse creatos? et, quum tu a Ti. Gracchi aequitate ac pudore longissime remotus sis, id quod dissimillima ratione factum sit, eodem iure putas esse oportere? Dat praeterea potestatem, verbo praetoriam, re vera regiam: definit in quinquennium, facit sempiternam. Tantis enim confirmat opibus et copiis, ut invitis eripi nullo modo possit. Deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis; praeterea mulis, tabernaculis, supellectili; sumtum haurit ex aerario, suppeditat a sociis; ex equestri loco ducentos in annos singulos stipatores corporis constituit, eosdem ministros et satellites potestatis. Formam adhuc habetis, Quirites, et speciem ipsam tyrannorum; insignia videtis potestatis, nondum ipsam potestatem. Dixerit enim fortasse quispiam: quid me ista laedunt, scriba, lictor, praeco, pullarius? Omnia sunt haec huiusmodi, Quirites, ut ea qui habeat sine vestris suffragiis, aut rex non ferendus, aut privatus furiosus esse videatur.

XIII. Perspicite, quanta potestas permittatur: non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis. Primum permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniae conficiendae de vestris vectigalibus,

Architectis) Ad metiendum, assignandum agrum, oppida condenda, in coloniarum deductione: partim enim hic fungentur vero architecti munere, partim eius, qui γεωδαίτης, id est, agrimensor dicitur. TURN.

Mulis) Clitellariis, ad vehenda impedimenta et supellectilem. Ista autem adscribi solebant magistratibus ex aerario, vasarii nomine. Cicero in Pisonem: *Nonne sestertium centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti?* ID.

Tabernaculis) Vulgo additur *centuriis*, quod Graevius putabat de centuriis fabrum intelligi posse. Turnebus corrigebat *tentoriis*; Pantagathus *canteriis*. Equidem arbitror glossatorem adscripsisse *tentoriis*, ex quo deinde factum sit *centuriis*. Itaque hoc delevi. Atque, hoc eiecto, locus hic illustratur illo Liviano lib. XLII, c. 1: *Magistratus mulis, tabernaculis, et omni alio instrumento militari ornabantur.*

Ex equestri loco) Vulgo edebatur

non fruendis, sed alienandis: deinde orbis terrarum gentiumque omnium datur cognitio sine consilio, poena sine provocatione, animadversio sine auxilio. Iudicare per quinquennium, vel de consulibus, vel de ipsis tribunis plebis poterunt. De illis interea nemo iudicabit. Magistratus his gerere licebit; causam dicere non licebit. Emere agros, a quibus volent, vel quos volent, quam volent magno, poterunt; colonias deducere novas, renovare veteres, totam Italiam suis coloniis complere ut liceat, permittitur; omnes provincias obeundi, liberos populos agris multandi, regnorum vel dandorum vel adimendorum summa potestas datur, quum velint; Romae esse, quum commodum sit; quaecumque velint summo cum imperio, iudicioque omnium rerum vagari ut liceat, conceditur. Interea dissolvant iudicia publica; de consiliis abducant, quos velint; singuli de maximis rebus iu-

ianitores ex equestri loco. Sed *ianitores* spurium esse recte monuit Ern. — Ant. Augustinus pro eo reponendum censuit *finitores*.

Cognitio sine consilio) Praeterea datur iis, inquit, cognitio sine consilio. Quum tamen praetor, aut iudex quaestionis in urbe causam non cognoscat, nisi iudicibus advocatis, et imperator in castris nisi legatis, et tribunis in consilium adhibitis, quid opus facto sit, non statuat. Lavr.

Sine provocatione) At Romae, si quis damnatus est, ad populum provocat. Turn.

Sine auxilio) Romae licet appellare tribunos, si magistratus in aliquam pro imperio animadvertere velit, praestoque est auxilium tribunitium. Id.

Magistratus his gerere licebit) Magistratus gerere poterunt, causam dicere, id est rationem magistratus reddere cogi non poterunt. Lavr.

Vel adimendorum) Hoc addidit Ern. nulla codd. auctoritate ad sensum supplendum. Graevius malebat *vel eripiendorum*. Camerar. coniecit legendum *multandi*, *agrorum vendendorum*. Lambin. *multandi*, *regnorum vendendorum*.

Dissolvant iudicia publica) Iudicia publica sunt, quae criminalia vocamus, quae a quaesitoribus exercebantur Romae. Dissolvent autem iudicia publica, quum ipsi de publicis quaestionibus cognoscere volent, adempta praetoribus Romanis cognitione. Turn.

De consiliis abducant) Ambigue est loquutus. Nam et abducit de consiliis, qui de iudicum decuriis aliquem abducit: quae res iudicia dis-

dicent; quaestori permittant; finitorem mittant; ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit. Verbum mihi deest, Quirites, quum ego hanc potestatem regiam appello; sed profecto maior est quaedam. Nullum enim regnum fuit unquam, quod non, si minus iure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. Hoc vero infinitum est, quo et regna omnia, et vestrum imperium, quod latissime patet, et ea, quae partim libera a vobis, partim etiam ignorata vobis sunt, permissu legis continentur.

XIV. Datur igitur eis primum, ut liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis senatusconsulta facta sunt, M. Tullio, Cn. Cornelio consulibus. Cur hoc tam est obscurum atque caecum? Quid? ista omnia, de quibus senatus censuit, nominatim in lege perscribi nonne potuerunt? Duae sunt huius obscuritatis causae, Quirites: una pudoris, si quis pudor esse potest in tam insigni impudentia; altera sceleris. Nam neque ea, quae senatus nominatim vendenda censuit, audet appellare; sunt enim loca publica urbis, sunt

solvit, quum quaesitor ad numerum iudices non habeat, nonnullis abdoctis. Nam consilia coetus sunt, et decuriae iudicum. Abducit etiam de consiliis, qui iudicibus reos adimit, ut ipse cognoscat, quem sensum potius sequor. ID.

Quaestori permittant) Etiam iudicium delegent, si cognoscere ipsi graventur, mandentque cognitionem quaestori suo. Quaestor autem magistratibus dabatur. ID.

Finitorem mittant) Interdum ne quaestori quidem mandent, sed sine iudicio finitorem mittant, cuius arbitrio privatum, aut publicum agrum pronuntient. Finitores, inquit Nonius, dicebantur, quos nunc agrimensores dicimus, sic dicti quod fines dividerent; adfertque Plauti ex Poenuli prologo auctoritatem, ut id probet. ID.

Verbum mihi deest — quaedam) Ernestius putabat Ciceronem scripsisse: *Verbum mihi deest, quo ego hanc potestatem appellem; regiam appello, sed profecto maior est quaedam.* Beckio facilior medela placebat, ut ante *deest* suppleretur *gravius*, vel simile aliquod vocabulum.

Partim libera) Ern. coni. *liberata*. *Liberari* dicuntur agri, quum immunes fiunt a vectigalibus; sic c. 21.

Ut liceat eis) Alterum hoc eis Ernestius delendum putabat.

sacella, quae post restitutam tribuniciam potestatem nemo attigit, quae maiores in urbe partim periculi perfugia esse voluerunt. Haec lege tribunicia decemviri vendent. Accedet eo mons Gaurus; accedent salicta ad Minturnas; adiungetur etiam illa via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, et magnae pecuniae; permulta alia, quae senatus propter angustias aerarii vendenda censuit, consules propter invidiam non vendiderunt. Verum haec fortasse propter pudorem in lege reticentur. Sed illud magis est cavendum et pertimescendum, quod audaciae decemvirali, corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumque senatusconsultorum, quae facta nunquam sunt, quum ex eo numero, qui per eos annos consules fuerunt, multi mortui sint, magna potestas permittitur. Nisi forte nihil est aequum vos de eorum audacia suspicari, quorum cupiditati nimium angustus orbis terrarum esse videatur.

XV. Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo; sed attendite animos ad ea, quae consequuntur: hunc quasi gradum quendam atque aditum ad cetera factum intelligetis. QVI AGRI,

Tribunitiam potestatem) Aliud est tribunatus, aliud tribunitia potestas. Tribunatum reliquerat Sulla: tribunitiam potestatem sustulerat. TVRN.

Quae maiores — esse voluerunt) Lamb. *quae maiores in urbe partim periculi et perfugia.* Lauredanus pro *partim* legi voluit *passim*. Pantagath. *parati*; sed mutatione nihil opus est, quum *partim*, ut alibi, semel positum sit i. q. *ex parte*.

Partim periculi) Id est, quorum quaedam non tantum sacra sunt, verum etiam asyla et periculi perfugia. Is enim est loci sensus, ut satis indicat *partim*, quod semel positum aliquid subaudiendum significat. Non enim omnia loca sacra, perfugia erant periculi. TVRN.

Herculanea) Viam septem stadiorum, ut Strabo scribit, ad Lucrinum Hercules exaggeravit. Eam vendibilem dicit propter amoenitatem Lucrini lacus et Baiarum: ac quum viam dicit, significat ea, quae propter viam sunt, ut et Lucrinum. ID.

Cavendum) Hoc e cod. Franc. et codd. Pariss. Lallemandus et Beckius receperunt pro vulg. *credendum*. Ernestio in mentem venerat *verendum*.

Factum) Recte hoc recepit Beckius

QVAE LOCA, QVAE AEDIFICIA. Quid est praeterea? multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veste, supellectili, ceteris rebus. Quid dicam? invidiosum putasset hoc fore, si omnia nominasset? non metuit invidiam. Quid ergo? longum putavit, et timuit, ne quid praeteriret: adscripsit, ALIVDVE QVID. Qua brevitate rem nullam esse exceptam videtis. Quidquid ergo sit extra Italiam, quod publicum populi romani factum sit, L. Sulla, Q. Pompeio consulibus, aut postea, id decemviros iubet vendere. Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, provincias, regna, decemvirum ditioni, iudicio potestatique permissa et condonata esse dico. Primum enim hoc quaero, qui tandem locus usquam sit, quem non possint decemviri dicere publicum populi romani esse factum. Nam, quum idem possit iudicare, qui dixerit: quid est, quod non liceat ei dicere, cui liceat eidem iudicare? Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralles, Ephesum, Miletum, Cyzicum, totam denique Asiam, quae post L. Sullam, Q. Pompeium consules recuperata sit, populi romani factam esse dicere. Vtrum oratio ad eius rei disputationem deerit, an, quum idem et disseret et iudicabit, impelli non poterit, ut falsum iudicet? An, si condemnare Asiam nolet, terrorem damnationis et minas non quanti volet aestimabit? Quid, quod disputari contra nullo pacto potest, quoniam statutum a vobis est et iudicatum, quam

post Manut. Lamb. pro vulg. *iactum* quod Ern. quoque ineptum indicavit.

Invidiosum putasset) Lambin. e Puteani coniectura scripsit *putasse*. Vulgatum defendit Graevius, ut subaudiatur *num*.

Disputationem) Ita codd. Pith. Fr. alii, et receperunt Graev. Ern. cum edd. pr. usque ad Iunt.; *disceptationem* dederunt Ald. Lamb. Grut.

Asiam nolet) Sic codd. Pith. Fr. recte receptum a Lall. et Beck. Vulg. *volet*. Sensus est: etiamsi noluerit Asiam condemnare, tamen damnationem minabitur, indeque grandem efficiet pecuniam.

hereditatem iam crevimus, regnum Bithyniae? quod certe publicum est populi romani factum; nunquid causae est, quin omnes agros, urbes, stativa, portus, totam denique Bithyniam decemviri vendituri sint? Quid Mitylenae? quae certe vestrae, Quirites, belli lege, ac victoriae iure, factae sunt: urbs et natura et situ et descriptione aedificiorum et pulcritudine in primis nobilis; agri iucundi et fertiles: nempe eodem capite inclusi continentur.

XVI. Quid Alexandria, cunctaque Aegyptus? ut occulte latet? ut recondita est? ut furtim tota decemviris traditur? Quis enim vestrum hoc ignorat, dici illud regnum testamento regis Alexandri populi romani esse factum? Hic ego consul populi romani non modo nihil iudico, sed ne quid sentiam quidem profero. Magna enim mihi res non modo ad statuendum, sed etiam ad dicendum videtur esse. Video, qui testamentum factum esse confirmet: auctoritatem senatus exstare hereditatis aditae sentio, tum quando, Alexandro mortuo, legatos Tyrum misimus, qui ab illo pecuniam depositam recuperarent. Haec L. Philippum saepe in senatu confirmasse memoria teneo:

Regnum Bithyniae) Si Asiam non vendent, vendent certe Bithyniam, quae post hos coss. populi Romani facta est, ut de ea dubitari non possit: praesertim adita hereditate. Nicomedes enim rex Bithyniae, moriens populum Romanum heredem fecerat, cuius regnum in provinciae formam redactum fuerat. TVRNEB.

Regnum Bithyniae — pop. Romani factum) Ernestio haec oratio durior videbatur. Itaque suspicabatur corrigendum esse: *quoniam hereditatem iam crevimus; regnum Bithyniae certe publicum est pop. R. factum.* At post *Bithyniae* eodem modo claudenda est interrogatio, ut postea in verbis *quid Mitylenae?*

Stativa) Hanc lectionem defendit Graevius, ut intelligantur stagna, lacus marini, aut palustres, piscosi qui care venduntur propter piscium copiam. Varro enim apud Nonium V. *Puteı* 3, 185 *de stativis aquis, ut sunt lacus, et stagna et putea et maria.* In cod. Pith. et Erf. est *stagna.* In cod. Franc. *stativa.*

Pecuniam depositam) Vulgo addebatur *nostris*, pro quo Lamb. Lall. dederunt *nobis.*

L. Philippum) Intelligendus est

eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque animo regio esse, inter omnes fere video convenire. Dicitur contra, nullum esse testamentum; non oportere populum romanum omnium regnorum appetentem videri; demigraturos in illa loca nostros homines, propter agrorum bonitatem, et omnium rerum copiam. Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris decemviris, collegis suis, iudicabit? et utrum iudicabit? Nam utrumque ita magnum est, ut nullo modo neque concedendum, neque ferendum sit. Volet esse popularis? populo romano adiudicabit. Ergo idem ex sua lege vendet Alexandriam, vendet Aegyptum; urbis copiosissimae, pulcherrimorumque agrorum iudex, arbiter, dominus, rex denique opulentissimi regni reperietur. Non sumet sibi tantum, non appetet? iudicabit, Alexandriam regis esse, a populo romano abiudicabit. Primum populi romani hereditatem decemviri iudicent, quum vos volueritis de privatis hereditatibus centumviros iudicare? deinde quis aget causam populi romani? ubi res ista agetur? qui sunt isti decemviri, quos perspiciamus regnum Alexandriae Ptolemaeo gratis adiudicaturos? Quod si Alexandria petebatur, cur non eosdem cursus hoc tempore, quos, L. Cotta, L. Torquato consulibus, cucurrerunt? cur non aperte, ut antea? cur non item, ut quum directo et palam regionem illam petierunt? an, qui etesiis, qui per cursum rectum re-

L. Philippus qui cos. fuit cum Sex. Iulio A. V. 662.

Et utrum iudicabit) Sic Lambin. edidit. Recte. Nam respicitur id quod statim sequitur: *nam utrumque ita magnum est*. Vulgo *et verum iudicabit*.

Ut quum directo) Sic edidit Lam. Vulg. *decreto*.

Etesiis) Sic vere et ingeniose h. l. emendavit Guilielmus, de quo ipse plura in quaestion. Plautin. Casin. c. 5. Vulgo *quietis iis* — Haec Guilielmi coniectura laudatur etiam a Grutero. At Graevius eam audacem esse dicit, et nemini probatum iri affirmat. Ipse vero *quetis iis* sic accipit, ut signifi-

gnum tenere non potuerunt, nunc tetris tenebris et caligine se Alexandriam perventuros arbitrati sunt?

XVII. Atque illud circumspicite mentibus vestris, Quirites! Legatos nostros, homines auctoritate tenui, qui rerum privatarum causa legationes liberas obeunt, tamen exterae nationes ferre vix possunt. Grave est enim nomen imperii, atque id etiam in levi persona pertimescitur, propterea quod vestro, non suo nomine, quum hinc egressi sunt, abutuntur. Quid censetis, quum isti decemviri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum iuventute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo miseras nationes futuras? Est in imperio terror; patientur. Est in adventu sumtus; ferent. Imperabitur aliquid muneris; non recusabunt. Illud vero quantum est, Quirites, quum is decemvir, qui aliquam in urbem aut exspectatus, ut hospes, aut repente, ut dominus, venerit, illum ipsum locum, quo venerit, illam ipsam sedem hospitalem, in quam erit deductus, publicam populi romani esse dicet?

cet: quum hi quiescaut, qui ante palam Aegyptum petebant, et decretum senatus in hanc rem abstulerant. Qui illi fuerint, obliteravit tempus. Typ.

Tetris tenebris) Caliginem et tenebras ad id retulit, quod tribuni clam et obscure ac per caliginem petebant, ad navigationem alludens, qua peti solet Aegyptus. Turneb.

Mentibus vestris Quirites!) Vulgo *v. m. unaque lege.* Laured. et Manut. corrigi inseruut *animisque*, Turneb. *una Quirites.* Lambinus post *unaque* excidisse quaedam verba censuit, in hanc sententiam: *quantum mali exteris nationibus comparetur, considerate.* Idem probat Ern. putatque Ciceronem dixisse huiusmodi quid: *cognoscite labem reipublicae.* Mihi omnia integra videntur, si legatur: *Atque illud circumspicite mentibus vestris, Quirites.* Sic orat. pro Sulla c. 25: *Circumspicite paulisper mentibus vestris, ut alia omittamus, hosce ipsos homines.* Ceterum verbis *Legatos nostros* novam sententiam incipere recte iudicavit Beckius.

Quum is decemvir) Ostendit porro decemviro, si dixerit sedem illam publicam esse, sociis calamitosum; si negarit, ipsi fructuosum. Nam si dixerit, socios sede spoliabit: si negarit, pecunia augebitur, quam socii decemviro, ne dicat, facile dabunt. Laured.

quanta calamitas populi, si dixerit? quantus ipsi quaestus, si negarit? Atque iidem, qui haec appetunt, queri nonnunquam solent, omnes terras Cn. Pompeio atque omnia maria esse permissa. Simile vero est, multa committi, et condonari omnia? labori et negotio praeponi, an praedae et quaestui? mitti ad socios liberandos, an ad opprimendos? denique, si quis est honos singularis, nihilne interest, utrum populus romanus eum, cui velit, deferat, an is impudenter populo romano per legis fraudem surripiatur?

XVIII. Intellexistis, quot res et quantas decemviri, legis permissu, vendituri sint. Non est satis. Quum sese sociorum, quum exterarum nationum, quum regum sanguine implerint, incidant nervos populi romani, adhibeant manus vectigalibus vestris, irrumpant in aerarium. Sequitur enim caput, quo capite ne permittit quidem, si forte desit pecunia, quae tanta ex superioribus recipi potest, ut deesse non debeat, sed plane, quasi ea res vobis saluti futura sit, ita cogit atque imperat, ut decemviri vestra vectigalia vendant nominatim. Quam tu mihi ex ordine recita de legis scripto populi romani auctionem, quam mehercule ego praeconi huic ipsi luctuosam et acerbam praedicationem futuram puto. AVCTIO. Vt in suis

Quanta calamitas) *Ad quanta calam.* ed. 1580.

Labori) Edd. Vict. Manut. *vel labori.*

Nihilne interest) *Nihil* cod. Erf.

Populi Romani) Graev. e cod. Fr. edidit *populo Romano.* Ceterum legendum opinor *incident — adhibebunt — irrumpent.*

Irrumpant in aerarium) Quod vectigalibus venditis spoliatur et exhauritur. Itaque quum vectigalia vendunt, quae aerarium replent, perinde est, ac si in aerarium impetu facto clanstrisque refractis, quidquid pecuniae est raperent. TVRNEB.

Ne permittit quidem) Ita plerique codd. MSS. et receperunt Graev. Beck. Vulgo *non permittit quidem.* Sensum lectionis *ne permittit quidem* bene Beckius exponit: *ne id quidem facit, ut tantum permittat.*

Recipi) Lambin. sine libris edidit *refici.*

Vt in suis rebus) Perbelle notat luxuriosam Rulli vitam, qui dissolu-

rebus, ita in republica luxuriosus est nepos, qui prius silvas vendat, quam vineas. Italiam percensuisti; perge in Siciliam. AVCTIONIS PARS EA, QVAE AD SICILIAM PERTINET. Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis, aut in agris maiores vestri proprium vobis reliquerint, quin id venire iubeat. Quod partum recenti victoria maiores vobis in sociorum urbibus ac finibus, et vinculum pacis, et monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum, hoc auctore, vendetis?

XIX. Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis, quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrentur contra Cn. Pompeii dignitatem. Et mihi, quaeso, ignoscite, si appello talem virum saepius. Vos mihi praetori, biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco, personam hanc imposuistis, ut, quibuscumque rebus possem, illius absentis dignitatem vobiscum una tuerer. Feci

lus et intemperantia perditus res a maioribus ad dignitatem tuendam relictas, turpium voluptatum explendarum causa, profuderit. Ex quo concludit, quod is de re privata fecit, idem de publica esse facturum. Vinositatis porro eum arguit, quum studio bibendi vineas amarit magis, quam silvas, atque has vendat, illas ad postremum relinquat. LAVRED.

Luxuriosus est) *Est* omittitur in quatuor codd. Oxx. et edd. ante Lamb.

Vestri proprium vobis) Ita Graev. e cod. Turnebi et Franc. Vulgo *nostri proprium nobis*.

Et vinculum pacis) Hic vinculum pacis est, quod populus, qui populo Romano bellum fecerat, hac conditione in deditionem receptus esset, ut agro, aut agri parte mulctaret. Ager enim sic datus vinculum erat pacis, pacemque conciliabat et astringebat. Erat et monumentum belli. Argumentum enim erat belli ab illo populo cum Romanis gesti, agrorum mulctatio, aut vectigalis impositio. Nam a quibus in bello adiuvabantur Romani, eorum agros liberabant, fines amplificabant, urbes contribuebant. *Fines* autem quum dicit, agrum, et, ut vulgo dicimus, territorium intelligit. TVRNEB.

Hic mihi parumper) Probabilis est coniectura Garatoni ante haec verba excidisse alius cuiusdam legis Serviliae capitis titulum, quod praeconi Cicero recitandum dederit. Nam locum qui sequitur cum proxime antecedentibus non cohaerere. Idem autem viderat Lauredanus.

Vobiscum una tuerer) Significat tempus illud, quo, Lepido et Tullo

adhuc, quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec spe honoris atque amplissimae dignitatis: quam ego, etsi libente illo, tamen absente illo per vos consequutus sum. Quamobrem quum intelligam, hanc totam fere legem ad illius opes evertendas, tanquam machinam, comparari: et resistam consiliis hominum, et perficiam profecto, quod ego video comparari, ut id vos universi non solum videre, verum etiam tenere possitis. Iubet venire, quae Attalensium, quae Phaselitum, quae Olympenorum fuerint, agrumque Agerensem, et Oroandicum, et Gedusanum. Haec P. Servilii imperio et victoria, clarissimi viri, vestra facta sunt. Adiungit agros Bithyniae regios, quibus nunc publicani fruuntur: deinde Attalicos agros in Cherroneso: in Macedonia, qui regis Philippi sive Persae fuerunt, qui item a censoribus locati sunt, et certissimum vectigal. Adscribit idem auctioni Corinthios agros, opimos et fertiles, et Cyrenenses, qui Apionis fuerunt; et agros in Hispania propter Carthaginem novam, et in Africa ipsam veterem Carthaginem vendit; quam videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetu-

coss. praetor suasit legem C. Manilii tribuni pl., qua bellum Mithridaticum Cn. Pompeio mandabatur. Lavr.

Illo) Alterum *illo* post *absente* delendum putabat Lauredanus; recte, opinor.

Agerensem) Graev. legi iubet *Sagalessensem* aut *Agalessensem*.

Oroandicum) Ita rescripsi cum Beckio, auctore Garatono. Vulgo *Orindicum*. Graevius corrigebat *Orondicum*.

Attalicos agros) Id est, quos Attalus rex Pergami possederat in Chersoneso: qui agri, postquam Asia provincia facta est, publici populi Romani facti sunt. Sic Horatius dixit:

— — *Attalicis conditionibus*.

Lavred.

Qui Appionis fuerunt) Ptolemaeus cognomento Appio rex Cyrenarum, moriens heredem populum Romanum reliquerat, cuius regni civitates liberas esse senatus iusserat. Hoc factum est Cn. Domitio, C. Cassio coss. Id.

Non propter religionem sedium illarum) Atqui dubitat oratione superiore, cap. 2, num ob oblatam aliquam religionem Africanus eam consecrarit. Sed id, de quo dubitavit,

statis, de consilii sententia consecravit, sed ut ipse locus eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, vestigia calamitatis ostenderet. Sed non fuit tam diligens, quam est Rullus; aut fortasse emptorem ei loco reperire non potuit. Verum iste ad hos agros regios, captos veteribus bellis virtute summorum imperatorum, adiungit regios agros Mithridatis, qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt, ut eos decemviri vendant.

XX. Itane vero? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nondum denique bello confecto, quum rex Mithridates, amisso exercitu, regno expulsus, tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur, atque ab invicta Cn. Pompeii manu, Maeotide, et illis paludibus et itinerum angustiis, atque altitudine montium defendatur: quum imperator in bello versetur, in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum sit: eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompeium omne iudicium et potestas, more maiorum, debet esse, decemviri vendent? Et, credo, P. Rullus

hic aperte negat. Illic Iuno sanctissime colebatur, ut inquit Maro Aeneid. I, 19. Colebatur Saturnus, cui etiam liberos suos immolabant, ut et Aesculapius, sed omnium religiosissime Caelestus, qui etiam heres, ut Vlpianus scribit, institui poterat. TVRN.

De consilii sententia) Solebant Romani, bello confecto, decem legatos mittere, qui conditiones pacis dicerent, qui leges darent, resque ordinarent. Sic Siciliae, bello confecto, Rupilius de decem legatorum sententia leges dedit, quas Rupilias vocarunt. ID.

Vestigia calamitatis) Vt Romae domus Maelii, Flacci, Saturnini dirutae sunt. Ciceronis non diruta solum, sed etiam consecrata. LAVRED.

Verum iste ad hos) Ita rescripsi pro vulg. *verum inter hos.* Iam Lamb. negavit satis latinum esse: *inter hos agros — adiungit regios agros;* et corrigendum censuit: *Verum interim ad hos agros.*

Legibus datis) Quum illae regiones nondum in provinciae formam redactae sint, nondum sint pacatae. TVR.

Non auditis verbis imperatoris) Nondum audita conditione pacis, quam eis ferebat imperator. Quid enim, si agros eorum non publicet? quid, si liberet? Sententia est: quum illi nondum audiverint, quam conditionem pacis imperator proponat. IDEM.

(is enim sic se gerit, ut sibi iam decemvir designatus esse videatur) ad eam auctionem potissimum proficiscetur. Is videlicet antequam veniat in Pontum, literas ad Cn. Pompeium mittet: quarum ego iam exemplum ab istis compositum esse arbitror. P. SERVILIVS RVLLVS, TRIBVNVS PLEBIS, DECEMVIR, S. D. CN. POMPEIO, CN. F. Non credo adscripturum esse, MAGNO; non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, concessurus verbo. TE VOLO CVRARE, VT MIHI SINOPE PRAESTO SIS, AVXILIVMQVE ADDVCAS, DVM EOS AGROS, QVOS TVO LABORE CEPISTI, EGO MEA LEGE VENDAM. An Pompeium non adhibebit? in eius provincia vendet manubias imperatoris? Ponite ante oculos vobis Rullum, in Ponto, inter vestra atque hostium castra hasta posita, cum suis formosis finitoribus auctionantem. Neque in hoc solum inest contumelia, quae vehementer et insignis est et nova, ut ulla res parta bello, nondum legibus datis, etiam tum imperatore bellum administrante, non modo venierit, verum etiam locata sit. Plus spectant homines certe, quam

Quarum ego iam exemplum ab istis) Demosthenes Philippi, Cicero Antonii literis in concione recitatis, invidiam saepe in eos quaesiverunt, quum singula verba perpenderent, atque inde aliquid ad excitandum populum elicerent. Callide illi quidem et argute, nisi hoc sit multo callidius, fingere literas, quas verisimile sit, adversarios nostros esse scripturos, atque illis recitandis maximum invidiae in eos incendium excitare. Hanc figuram Graeci προτύπωσιν et ἠθοποιΐαν vocant. LAVRED.

Magno) Pompeius vulgo Magnus dicebatur iam inde, ex quo ab Africana victoria rediit, vivente Sulla dictatore, a quo Magnus consalutatus est. Alii dicunt illud ἐπιφώνημα fuisse militum, quod postea translatum est in cognomen, quod, ut Cic. lib. ad Attic. secundo ait, praebuit ansam increpandi Pompeium comico poëtae Diphilo. Plutarchus autem, cognomen fuisse ἐπίφθονον. ID.

Quos tuo) Lauredano placuit *quos tu tuo*.

An Pompeium non adhibebit?) Hoc illud est quod supra dixit: *Non auditis verbis imperatoris.* MANVT.

Ponite ante oculos vobis Rullum) Hunc locum laudat Aquila Romanus de figg. c. 13, ubi agit de figura διατυπώσεως.

Cum suis formosis) Sic est etiam ap. Aquilam l. l. Frustra Faërnus ap. Vrsinum corrigi voluit *famosis*.

contumeliam; sperant, si concessum sit inimicis Cn. Pompeii, cum imperio, cum iudicio omnium rerum, cum infinita potestate, cum innumerabili pecunia, non solum aliis in locis vagari, verum etiam ad ipsius exercitum pervenire, aliquid illi insidiarum fieri, aliquid de eius exercitu, copiis, gloria, detrahi posse. Putant, si quam spem in Cn. Pompeio exercitus habeat, aut agrorum, aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, quum viderit, earum rerum omnium potestatem ad decemviros esse translatam. Patior non moleste, tam stultos esse, qui haec sperent; tam impudentes, qui conentur. Illud queror, tam me ab iis esse contemptum, ut haec portenta, me consule, potissimum cogitarent.

XXI. Atque in omnibus his agris aedificiisque vendendis, permittitur decemviris, VT VENDANT, QVIBVSCVMQVE IN LOCIS VIDEATVR. O perturbatam rationem! o libidinem refrenandam! o consilia dissoluta atque perdita! Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac vestrum frequentia. Venire vestras res proprias, et in perpetuum a vobis alienari in Paphlagoniae tenebris atque in Cappadociae solitudine licebit? L. Sulla quum bona indemnatorum civium funesta illa auctione sua venderet, et se praedam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit: nec, quorum oculos offendebat, eorum ipsorum conspectum fugere ausus est. Decemviri vestra vectigalia non modo ne vobis quidem arbitris, sed ne praecone quidem publico teste vendent?

XXII. Sequitur, OMNES AGROS EXTRA ITALIAM infinito ex tempore, non, ut antea, ab Sulla et Pompeio consulibus. Cognitio decemvirum, privatus sit, an

Bona indemnatorum) Nullo iudicio damnatorum, sed ab ipso proscriptorum. MANVT,

Cognitio decemvirum) Omnes agri

publicus: sicque agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium sit, quem praeterit? posse, quibuscumque locis velint, nulla disceptatione, nullo consilio, privata publicare, publica liberare? Excipitur hoc capite ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excipi, et propter hominum necessitudinem, et propter aequitatem, Quirites, vehementer gaudeo. Sed quae haeç impudentia? Qui agrum Recentoricum possident, vetustate possessionis se, non iure, misericordia senatus, non agri conditione defendunt. Nam illum agrum publicum esse fatentur: se moveri possessionibus, amicissimis sedibus ac diis penatibus, negant oportere. At, si est privatus ager Recentoricus, quid eum excipis? sin autem publicus, quae est ista aequitas, ceteros, etiamsi privati sint, permittere ut publici iudicentur, hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur? Ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum alia ratione valuerunt: ceteri agri omnes, qui ubique sunt, sine ullo delectu, sine populi romani notione, sine iudicio senatus, decemviris addicentur. Atque etiam est alia, superiore capite,

decemvirum cognitioni subiiciuntur. Lavr.

Sicque agro) Legendum vel *huic agro*, vel *publicoque agro*. Nam publicis tantum agris vectigal imponebat Rullus. Cf. orat. I, c. 3.

Hominum necessitudinem) Scil. quae iis mecum ex quaestura mea intercedit.

Et propter aequitatem) Cur aequitatem necessitudini subiunxit? ut magis sese honestate rei, quam ullo officio, adduci iudicaret. Lavr.

Quirites vehementer) Vulgo *saepe vehementer*. At illud *saepe* prorsus ineptum est. Lambinus e Lauredani coniectura recepit *sane*, probantibus Manut. Ern.

Amicissimis) Manut. et Lauredan. coniecerunt legendum *antiquissimis*.

Fateatur) Si *fateatur* passive accipiatur, quod Schellerus Obs. p. 86. defendit, nihil opus est correctione. Ernestio tamen placebat, *qui publicum esse se fateatur*.

Atque etiam est alia superiore capite) Vt in publicandis agris excepit agrum Recentoricum; ita in vendendis agrum Hiempsalis in Africa. De Numidico agro hic nescio quis (scilicet *Petrus Ramus*) hallucinatur. Lamb.

quo omnia veneunt, quaestuosa exceptio, quae teget eos agros, de quibus foedere cautum est. Audivit, hanc rem non a me, sed ab aliis agitari saepe in senatu, nonnunquam ex hoc loco, possidere agros in ora maritima regem Hiempsalem, quos P. Africanus populo romano adiudicarit; et tamen postea per C. Cottam consulem cautum esse foedere. Hoc quia vos foedus non iusseritis, veretur Hiempsal, ut satis firmum sit et ratum. Quid? cuiusmodi est illud? Tollitur vestrum iudicium; foedus totum excipitur; comprobatur. Quod minuit auctionem decemviralem, laudo; quod regi amico cavet, non reprehendo; quod non gratis fit, indico. Volitat enim ante oculos istorum Iubae regis filius, adolescens non minus bene nummatus, quam bene capillatus.

XXIII. Vix iam videtur locus esse, qui tantos acervos pecuniae capiat. Auget, addit, accumulat: AVRVM, ARGENTVM EX PRAEDA, EX MANVBIIS, EX CORONARIO, AD QVOSCVMQVE PERVENIT, NEQVE RELATVM EST IN PVBLICVM, NEQVE IN MONVMENTO CONSVMPTVM, id profiteri apud decemviros, et ad eos referre iubet. Hoc capite etiam quaestionem de clarissimis viris, qui populi romani bella gesserunt, iudiciumque de

Teget) *Tegit* ed. Ven. 1480. MAN.

De quibus foedere cautum est) Consules et tribuni non raro solebant cum regibus et tetrarchis foedus in Capitolio ferire, et regna interdum dare. Cotta igitur consul in Capitolio foedus cum Hiempsale ferierat, et agros illos in Africa ei confirmarat. LAMB. Cotta consul anno 679.

Iubae regis filius) Pecunia regis inductos tribunos significat, quum Romae tum esset Iuba regis Hiempsalis filius. LAMB.

Bene nummatus, quam bene capillatus) *Bene nummatum* quum dicit, significat eum pecunia posse Rullum corrumpere: quum autem *bene capillatum*, innuit eum Rulli libidini inservire posse. Nam in pueris et adolescentibus amatores capillum longiorem solebant laudare. cf. Horat. Carm. III, 20, 14.

Ex manubiis) H. l. citat Gellius N. A. XIII, 24.

In monumento) Cod. Turn. et Franc. *in monumentum.*

Iudiciumque de pecuniis repetundis) Ed. Ven. 1480 *iudicium de praedis*

pecuniis repetundis, ad decemviros translatum videtis. Horum erit iudicium, quantae cuiusque manubiae fuerint, quid relatum, quid residuum sit. In posterum vero lex haec imperatoribus vestris constituitur, ut, quicumque de provincia decesserit, apud eosdem decemviros, quantum habeat praedae, manubiarum, auri coronarii, profiteatur. Hic tamen vir optimus eum, quem amat, excipit, Cn. Pompeium. Vnde iste amor tam improvisus ac tam repentinus? qui honore decemviratus excluditur prope nominatim; cuius iudicium legumque datio, captorum agrorum ipsius virtute cognitio tollitur; cuius non in provinciam, sed in ipsa castra decemviri cum imperio, infinita pecunia, maxima potestate, et iudicio rerum omnium, mittuntur; cui ius imperatorium, quod semper omnibus imperatoribus est conservatum, soli eripitur: is excipitur unus, ne manubias referre debeat. Vtrum tandem hoc capite honos haberi homini, an invidia quaeri videtur? Remittit hoc Rullo Cn. Pompeius: beneficio isto legis, benignitate decemvirali nihil utitur. Nam si est aequum, praedas ac manubias suas imperatores, non in monumenta deorum immortalium, neque in urbis ornamenta conferre, sed ad decemviros, tanquam ad dominos, deportare: nihil

repetendis: quod Garatono placebat, etsi legi etiam posse *iudicium de pecuniis residuis* concedebat. Si vera est lectio vulgata, *iudicium de pecuniis repetundis* sensu generaliore accipiendum est, ut simul *iudicium de pecuniis residuis* comprehendatur.

Horum erit iudicium) Vulgo legitur *horum erit nullum iudicium.* Sed vocabulum *nullum*, sensui aperte contrarium, quod iam Lambinus delendum esse vidit, ab Ernestio uncis inclusum delevi. Eius loco Lauredanus *nunc*, alii *liberum*, alii *solutum* reponi volebant. In ed. 1472 est *horum erit illud iudicium.*

Captorum agrorum — cognitio) Captorum agrorum, pro *cognitio de captis agris.* TVRN.

Debeat) MS. Erf. *iubeat.* Vnde Graev. coni. *iubeatur.* Verum esse *debeat* vidit Ern.

Deportare) Sic Graev. Ern. Lall. auctoritate cod. Franc. Vulgo *reportare.*

sibi appetit praecipue Pompeius, nihil; vult se in communi, atque in eodem, quo ceteri, iure versari. Sin est iniquum, Quirites, si turpe, si intolerandum, hos decemviros, portitores omnibus omnium pecuniis constitui, qui non modo reges atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant: non mihi videntur honoris causa excipere Pompeium, sed metuere, ne ille eandem contumeliam, quam ceteri, ferre non possit. Pompeius autem quum hoc animo sit, ut, quidquid vobis placeat, sibi ferendum putet: quod vos ferre non poteritis, id profecto perficiet, ne diutius inviti ferre cogamini. Verumtamen cavet, ut, SI QVA PECVNIA POST NOS CONSVLES EX NOVIS VECTIGALIBVS RECIPIATVR, EA DECEMVIRI VTANTVR. Nova porro vectigalia videt ea fore, quae Pompeius adiunxerit. Ita remissis manubiis, vectigalibus eius virtute partis se frui putat oportere. Parta sit pecunia, Quirites, decemviris tanta, quanta sit in terris; nihil praetermissum sit; omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint; accesserint in cumulum manubiae vestrorum imperatorum: quantae et quam immanes divitiae decemviris, in tantis auctionibus, tot iudiciis, tam infinita potestate rerum omnium quaerantur, videtis.

Portitores) Sunt operae publicanorum, qui portoria redemerant; quae in portu sedebant, merces excutiebant: et portorium exigebant: in quo quum iniquius et acerbius versarentur, omnibus hominibus odiosi fuere. Turnebus male *publicanos* interpretatur qui ei error cum multis communis est, et ab Asconio haustus. ERN.

Quum hoc animo sit) Opportune in laudem Pompeii egreditur. Pompeius, inquit, est ea animi aequitate, ut quaecumque a populo iussa fuerint, facile sit laturus; ea magnitudine, ut si quid populus ferre non possit, ne id invitus diutius ferat, sit perfecturus. LAVR.

Quum hoc animo sit) Vulgo aberat *quum*, quod Lauredanus addidit, probantibus Manutio, Lamb. Graev. Ern. aliter enim oratio sibi non constat.

Perficiet) Ita cum Lamb. et Beckio rescripsi pro vulg. *perficiat* quia praecedit *profecto*. Et iam in ed. 1480. legitur *perficiet*.

Nihil praetermissum sit) Sic Laur.

XXIV. Cognoscite nunc alios immensos atque intolerabiles quaestus, ut intelligatis, ad certorum hominum importunam avaritiam hoc populare legis agrariae nomen esse quaesitum. Hac pecunia iubet agros emi, quo deducamini. Non consuevi homines appellare asperius, Quirites, nisi lacessitus. Vellem fieri posset, ut a me sine contumelia nominarentur ii, qui se decemviros sperant futuros: iam videretis, quibus hominibus omnium rerum et vendendarum et emendarum potestatem permitteretis. Sed, quod ego nondum statuo mihi esse dicendum, vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare. Vnum hoc certe videor mihi verissime posse dicere: tum, quum haberet haec respublica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos; et tum, quum erant Catones, Phili, Laelii, quorum sapientiam temperantiamque in publicis privatisque, in forensibus domesticisque rebus perspexeratis: tamen huiuscemodi res commissa nemini est, ut idem iudicaret et venderet, et hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum; idemque agros vectigales populi romani abalienaret, et quum summam tantae pecuniae, nullo teste, sibi ipse ex sua voluntate fecisset, tum denique emeret, a quibus vellet, quod videretur.

XXV. Committite vos nunc, Quirites, his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemviratum

Manut. Lall. (et hic quidem e MSS.) Beck. Vulgo *nihil praetermissum: sed omnes etc.*

Vellem) Sic emendavit Ern. Vulg. *velim.*

Acidinos) Intelligit C. Fabricium Luscinum cos. A. V. 471, iterumque 475, A. Atilium Calatinum cos. A. V. 495 et 499, denique L. Manlium Acidinum A. 574 consulem.

Phili) Ita recte ex emendatione Sigonii ediderunt Laured. Man. Lamb. Vulg. *Philippi.* Intelligitur autem L. Iunius Philus cos. A. V. 617.

suspicamini: reperietis, partem esse eorum, quibus ad habendum, partem, quibus ad consumendum nihil satis esse videatur. Hic ego iam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem, Quirites: non esse hanc vobis a maioribus relictam consuetudinem, ut emantur agri a privatis, quo plebes publice deducatur: omnibus legibus ex agris publicis privatos esse deductos: huiuscemodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis exspectasse: hanc vero emendi et vendendi quaestuosissimam ac turpissimam mercaturam, alienam actione tribunicia, alienam dignitate populi romani semper putavi. « Libet agros emi? » Primum quaero, quos agros? et quibus in locis? nolo suspensam et incertam plebem romanam obscura spe et caeca exspectatione pendere. « Albanus ager est, Setinus, Privernas, Fundanus, Vescinus, Falernus, Linternus, Cumanus, Casilinas. » Audio. « Ab alia porta, Capenas, Faliscus, Sabinus, Reatinus, Venafranus, Allifanus, Trebulanus. » Habes tantam pecuniam, qua hosce omnes agros, et ceteros horum

Quo plebes — deducatur) Hanc nominativi formam pro vulg. *plebs* e codd. Franc. Erf. Pith. recepit Beck.

Ex agris publicis privatos esse deductos) Vulgo est: *omnibus legibus agris publicis privatos esse deductos.* Sed verum vidit Lambin. praepositionem *ex* ante *agris* addendam esse. Cf. c. 26 init.

Agris publicis privatos esse deductos) Quum eos nullo iure possiderent. Rullus autem contra maiorum consuetudinem emere agros a privatis decemviros iubet. Man.

Huiusmodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis expectasse) Rullum me putasse ab antiquitatis exemplis non esse discessurum, nec quicquam innovaturum, praesertim qui ita vultu truculentus est, et vestitu ita horridus et incultus, ut in eo antiquitatis imago, et maiorum severitas appareret. Turn.

Libet agros emi) Hoc tanquam a Rullo dictum accipiendum est. Lava.

Vescinus) Sic Grut. Iac. Gronov. Ern. alii de Cluverii sententia, etiam Graevio probata. Olim edebatur *Vestinus.*

Casilinas) Ita ex emendatione Camill. Peregrini in *Campania felice* edidi pro vulg. *Casinas.* Lauredanus scribi volebat *Cassinas.*

Ab alia porta, Capenas) A Flumentana porta exeunti in Flaminium non longe sunt omnes hi agri praeter

similes non modo emere, verum etiam coacervare possis: cur eos non definis, neque nominas, ut saltem deliberare plebs romana possit, quid intersit sua, quid expediat, quantum tibi in emendis et in vendendis rebus committendum putet? « Definio, inquit, Italiam. » Satis certa regio. Etenim quantulum interest, utrum in Massici radices, an in Apuliam aliove deducamini? Age, non definis locum. Quid? naturam agri? «Vero, inquit, QVI ARARI AVT COLI POSSIT.» Qui possit arari, inquit, aut coli: non qui aratus aut cultus sit. Vtrum haec lex est, an tabula Neratianae auctionis? in qua scriptum fuisse aiunt: IVGERA CC, IN QVIBVS OLIVETVM FIERI POTEST: IVGERA CCC, VBI INSTITVI VINEAE POSSVNT. Hoc tu emes ista innumerabili pecunia, quod arari aut coli possit? Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi non

Veoafranum et Allifanum, qui superioribus potius annumerari debere, ordinemque confundere videtur. TVR.

Coacervare possis) *Coacervare agros* nullo modo dici potest, postquam dictum erat *omnes emere*. Itaque nihil proficitur, si eum Graevio interpreteris; *acervatim quoscunque agros emere*. Nec Gesneri ratio placet, qui in Thes. l. l. exponit *agros acervis pecuniae implere*. Optimum videtur verba *non modo* transponere: *Habes tantam pecuniam qua non modo hosce omnes agros et ceteros horum similes emere, verum etiam* (*scil. pecuniam*) *coacervare possis*.

Vtrum in Massici radices, an in Apuliam, aliove deducamini?) Massicus mons est in Campania ob vini fertilitatem clarissimus, cuius meminit Horatius. Quare Massicum pro fertilissimo et felicissimo coloniae loco posuit. Apuliam vero pro sterili ac pestilenti: ut opponat Cicero Massico monti, et urbi satis propinquo, et vini copia praestantiaque celebri, et salubri, locum longinquum, sterilem, et paestilentem. LAVS.

Apuliam) Sic Lambin. edidit, pro vulg. *Italiam*, quod ineptissimum est, idque iam Sigonio placuerat, post etiam Manutio, Grutero probatum. Ernestio optimum videbatur *an in Italia* deleri.

Age) Recte sic e MSS. edidit Graev. Olim *age vero*.

An tabula Neratianae auctionis) Ita codd. Turn. Franc. Lall. Vulgo *Veratianae*. — Ridicula illius auctionis tabula fuit. Nam quum saltus steriles et incultos proscriberet Neratius, uti melius venderet, scripsit: *Iugera CC, ubi olivetum fieri potest.* Eam tabulam magnus sequutus est risus. TVRN.

Aratro perstringi) Quod non possit leviter aratro tanquam radi. Perstringitur, quod leviter vulneratur atque

possit? aut quod est tam asperum saxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? «Idcirco, inquit, agros nominare non possum, quia tangam nullum ab invito.» Hoc quoque multo est quaestuosius, quam si ab invito sumeret. Inibitur enim ratio quaestus de vestra pecunia: et tum denique ager emetur, quum idem expedierit emptori et venditori.

XXVI. Sed videte vim legis agrariae. Ne ii quidem, qui agros publicos possident, decedent de possessione, nisi erunt deducti optima conditione et pecunia maxima. Conversa ratio. Antea, quum erat a tribuno plebis mentio legis agrariae facta, continuo qui agros publicos, aut qui possessiones invidiosas tenebant, pertimescebant. Haec lex eos homines fortunis locupletat, invidia liberat. Quam multos enim, Quirites, existimatis esse, qui latitudinem possessionum tueri, qui invidiam Sullanorum agrorum ferre non possint? qui vendere cupiant, emptorem non reperiant? perdere iam denique illos agros ratione aliqua velint? Qui paulo ante, diem noctemque, tribunicium nomen horrebant, vestram vim metuebant, mentionem legis agrariae pertimescebant, ii nunc etiam ultro rogabuntur atque orabuntur, ut agros partim publicos, partim plenos invidiae, plenos periculi, quanti ipsi velint, decemviris tradant. Atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit. Habet

scarificatur, ut ita dicam. Contra in pingui solo alte descendit sulcus, et deprimitur vomer, quum in exili solo tantum summa terra perstringatur. TURN.

Diem noctemque) Edd. Lamb. *dies noctesque*.

Sed sibi intus canit) Intelligendum est, proverbium esse antiquum, ab Aspendio cytharista sumptum, qui carmen sinistra manu caneret, non dextra. Quorum illud est *intus canere*, hoc *foris*: illud *sibi*, hoc *aliis*. Neque enim qui sinistra manu chordas tangit, is sibi tantum canit, quia foris non auditur, sed a se solum. Unde qui multum intestinis suis commodis consulunt praeter honestatem, intus, et sibi canere dicuntur. Haec fere Pedianus in Verrinas. Causa vero,

socerum, virum optimum, qui tantum agri in illis reipublicae tenebris occupavit, quantum concupivit. Huic subvenire vult succumbenti iam, oppresso, Sullanis oneribus gravi, sua lege, ut liceat illi invidiam deponere, pecuniam condere. Et vos non dubitatis, quin vectigalia vestra vendatis, plurimo maiorum vestrorum sanguine et sudore quaesita, ut Sullanos possessores divitiis augeatis, periculo liberetis? Nam ad hanc emptionem decemviralem duo genera agrorum spectant, Quirites: eorum unum, propter invidiam, domini fugiunt; alterum propter vastitatem. Sullanus ager, a certis hominibus latissime continuatus, tantam habet invidiam, ut veri ac fortis tribuni plebis stridorem unum perferre non possit. Hic ager omnis, quoquo pretio coëmptus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum, propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum, emetur ab iis, qui eos vident sibi esse, si non vendiderint, relinquendos. Et nimirum istud est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu: urbanam plebem nimium in republica posse; *exhauriendam esse*; hoc enim verbo est usus,

cur qui dextra tangunt, audiantur, est, quod chordarum sonus cavato cytharae corpore augetur, quod idem in iugo non cavato contingere nequit. Tvan.

Sullanis oneribus gravi) Lambinus h. l. sic immutavit: *succumbenti iam atque oppresso Sullanis oneribus gravibus*. Sed *gravi* hic est i. q. *onusto*. Naugerius *gravi* cum *sua lege* copulavit, commate post *oneribus* posito.

Et vos — vendatis) Lambin. *Et vos dubitatis, quin vectigalia vestra non vendatis*. Ego malim: *Et vos dubitatis, quin vectigalia vestra vendat* (Rullus) *plurimo quaesita, ut S. p. d. augeat periculo liberet*. Sic supra: *Haec lex — locupletat invidia liberat.*

Tamen ingenti pecunia vobis inducetur) Quamvis parvo emptus, magno tamen vobis adscribetur a decemviris (emptum vobis referetur, tanquam si ingenti pretio coëmptus sit. T.). Vt autem dicitur *inducere exemplum inducere novum genus orationis, inducere novam personam*, sic hoc loco *inducere agrum* dicitur, cui casus pretii adiungitur. Nam qui *inducere* aestimare interpretantur, errant. Tvan.

quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur. Vos vero, Quirites, si me audire vultis, retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum: nisi forte mavultis, relictis his rebus, atque hac luce reipublicae, in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum pestilentiae finibus, Rullo duce, collocari.

XXVII. At dicat, quos agros empturus sit; ostendat, et quid, et quibus daturus sit. Vt vero, quum omnes urbes, agros, vectigalia, regna vendiderit, tum arenam aliquam, aut paludes emat, id vos potestis, quaeso, concedere? Quamquam illud est egregium, quod hac lege ante omnia veneunt, ante pecuniae coguntur et coacervantur, quam gleba una ematur. Deinde emi iubet: ab invito vetat. Quaero, si, qui velint vendere, non fuerint, quid pecuniae fiet? Referre in aerarium lex vetat; exigi prohibet. Igitur pecuniam omnem decemviri tenebunt; vobis ager non emetur. Vectigalibus abalienatis, sociis vexatis, regibus atque omnibus gentibus exinanitis, illi pecunias habebunt, vos agros non habebitis. Facile, inquit, adducentur pecuniae magnitudine, ut velint vendere. Ergo ea lex est, qua nostra vendamus, quanti possimus: aliena emamus, quanti possessores velint. Atque in hos agros, qui hac lege empti sint, colonias ab iis decemviris deduci iubet?

XXVIII. Quid? omnisne eiusmodi locus est, ut nihil intersit reipublicae, colonia deducatur in eum locum, necne? an est locus, qui coloniam postulet,

Veneunt) Cod. Franc. *venierunt*.

Quid pecuniae fiet) Sic codd. plurimorum auctoritate ediderunt Graev. Lall. Beck. cod. Franc. *pecunia* quod Naug. Ern. cum aliis servavit.

Referre) Codd. nonnulli ut Erf. *et referre*. Lauredanus aliorum codd. auctoritate malebat *etenim referre*.

est qui plane recuset? quo in genere, sicut in ceteris reipublicae partibus, est operae pretium diligentiam maiorum recordari: qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiae, sed propugnacula imperii viderentur. Hi deducent colonias in eos agros, quos emerint. Etiamne si reipublicae non expediat? ET IN QVAE LOCA PRAETEREA VIDEBITVR. Quid igitur est causae, quin coloniam in Ianiculum possint deducere, et suum praesidium in capite atque in cervicibus vestris collocare? Tu non definias, quot colonias, in quae loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam iudicaris? compleas numero? confirmes praesidio, quo velis? populi romani vectigalibus atque omnibus copiis ipsum populum romanum coërceas? opprimas? redigas in istam decemviralem ditionem ac potestatem? Vt vero totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitet, quaeso, Quirites, cognoscite. Permittit decemviris, ut iu omnia municipia, in omnes colonias totius Italiae colonos deducant, quos velint: iisque colonis agrum dari iubet. Num obscure maiores opes, quam libertas vestra pati potest, et maiora praesidia quaeruntur? num obscure regnum constituitur? num obscure libertas vestra tollitur? Nam quum iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem, id est, totam Italiam, suis opibus obsidebunt, iidem vestram liber-

Est qui plane recuset) Sic Lauredan. et Lambin. emendarunt h. l. qui vulgo scribitur corrupte, *est plane rectius et* * Duplex enim haec interrogatio opponitur priori *omnisne eiusmodi — necne?* Scil. alium dicit agrum eiusmodi esse, ut reipub. intersit eo coloniam deducere, alium contra eiusmodi, ut reip. obsit.

Atque in cervicibus vestris) Edd. vett. et codd. nonnulli perperam addunt *possint*.

Cogitet) *Cogitent* MSS. Franc. Pith. Erf. ed. Ven. 1480.

Nam — obsidebunt) Lauredanus coni. *quum iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem obtinebunt, id est totam Italiam suis opibus ob-*

tatem suis praesidiis et coloniis interclusam tenebunt: quae spes tandem, quae facultas recuperandae vestrae libertatis relinquetur?

XXIX. « At enim ager Campanus hac lege dividetur, orbis terrae pulcherrimus; et Capuam colonia deducetur, urbem amplissimam atque ornatissimam. Atqui quid ad haec possumus dicere? De commodo vestro prius dicam, Quirites; deinde ad amplitudinem et dignitatem revertar; ut, si quis agri aut oppidi bonitate delectetur, ne quid exspectet; si quem rei dignitas commovet, ut huic simulatae largitioni resistat. Ac primum de oppido dicam, si quis est forte, quem Capua magis, quam Roma delectat. Quinque millia colonorum Capuam scribi iubet. Ad hunc numerum quingenos sibi singuli sument. Quaeso, nolite vosmet ipsi consolari; vere et diligenter considerate. Num vobis, aut vestri similibus, integris, quietis, otiosis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? Si est omnibus vobis, aut maiori vestrum parti, quamquam me vester honos vigilare dies atque noctes, et intentis oculis omnes reipublicae partes intueri iubet, tamen paulisper, si ita commodum vestrum feret, connivebo. Sed si quinque hominum millibus, ad vim, facinus, caedemque delectis, locus atque urbs, quae bellum facere atque instruere possit, quaeritur:

sidebunt. Lambinus edidit: *quum iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem obtinebunt, iidem totam Italiam suis opibus obsidebunt*. quod sane optimum videtur, nisi quod pro *obtinebunt* concinnius hic fuerit *occupabunt*.

Atqui) Graevius cnni. *At quid.* Ernestius malebat *atqui* deleri.

Dignitas) Cod. Turn. Franc. ed. Ven. 1480, *indignitas*.

Capuam scribi iubet) Quod inest motus in deductione coloniae, idcirco *scribi Capuam* dixit, pro scribi Capuam deducenda aut mittenda. TURN.

Vosmet ipsi) Recte sic scribendum hic esse censuit Ern. Vulgo *vosmet ipsos*. Sensus est: *nolite ipsi vos falsa spe lactare.*

tamenne patiemini, vestro nomine contra vos firmari opes? armari praesidia? urbes, agros, copias comparari? Nam agrum quidem Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiverunt: deducent suos, quorum nomine ipsi teneant et fruantur: coëment praeterea: ista dena iugera continuabunt. Nam, si dicent per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. At videmus (ut longinqua mittamus) agrum Praenestinum a paucis possideri: neque istorum pecuniis quidquam aliud deesse video, nisi eiusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines, et Cumanorum ac Puteolanorum praediorum sumtus sustentare possint. Quod si vestrum commodum spectat, veniat, et coram mecum de agri Campani divisione disputet. Quaesivi ex eo Kalendis Ian. quibus hominibus et quemadmodum illum agrum esset distributurus. Respondit, a Romilia tribu se initium esse facturum. Primum, quae est ista superbia et contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur? ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes et iucunditas

Contra vos) Cod. Pal. I, *contra nos*, minus apte.

Coëment) Codd. Pith. Franc. aliique et edd. Ven. utraque, Naug. Herv. *coëmant*.

Ista dena iugera continuabunt) Iugera dena intelligit, quae singulis hominibus distribuenda erant ex lege, quibus non contentos fore significat ipsos decemviros, ut latius producere fines velint. Lamb.

Nam, si dicent per legem id non licere) Occurrit quaestioni, quae fieri poterat. At non licet agros continuare lege Servilia. At, inquit, ut lex Cornelia violata est, sic Servilia violari poterit. Violata est autem Cornelia, quia quum L. Sulla Praenestinis, qui Marium minorem recepissent, infensus eorum agros veteranis divisisset, factum tamen erat, ut is a paucis possideretur. Lamb.

Familiarum) h. e. servorum.

Ordo tribuum negligatur) Ordo enim postulabat, ut a Suburana, Palatina, Esquilina, Collina inciperet, deinde ad Romiliam, quae, ut Varro docet, quinta est, veniret. Turn.

Qui habent) In cod. Erf. legitur: *rusticis detur ager, qui emetur*, quod cur praeferendum putaret Graevius causa non erat. Nam *qui habent* opponitur sequenti, *quibus agri spes* — *ostenditur*.

ostenditur? Aut, si hoc ab se dictum negat, et satisfacere omnibus vobis cogitat: proferat, in iugera dena describat; a Suburana usque ad Arniensem nomina vestra proponat. Si non modo dena iugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis: tamenne vexari rempublicam, contemni maiestatem populi romani, deludi vosmetipsos diutius a tribuno plebis patiemini?

XXX. Quod si posset ager iste ad vos pervenire, nonne eum tamen in patrimonio vestro remanere malletis? unumne fundum pulcherrimum populi romani, caput vestrae pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae, disperire patiemini? An obliti estis, Italico bello, amissis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? an ignoratis, cetera illa magnifica populi romani vectigalia, perlevi saepe momento fortunae, inclinatione temporis pendere? Quid nos Asiae portus, quid Syriae rura, quid omnia transmarina vectigalia iuvabunt, tenuissima suspicione praedonum aut hostium iniecta? At vero hoc agri Campani vectigal tum eiusmodi est, ut domi sit, et omnibus praesidiis oppidorum tegatur: tum neque bellis infestum, nec fructibus varium, nec caelo ac loco calamitosum esse solet. Maiores nostri non solum id, quod a Campanis ceperant, non imminuerunt, verum etiam id, quod tene-

In iugera dena describat) Describat universam plebem, ita ut singulis dena iugera assignentur. LAUR.

Ad Arniensem) Id est a Suburana tribu urbana ad ultimam rusticam.

Perlevi — momento) Lambin. coni. *e perlevi* vel *e levi*. At *pendere* h. l. est *cessare*, *interrumpi*, s. *intermitti*.

Syriae rura) In MSS. nonnullis ut Franc. est *tura*.

Calamitosum esse solet) I. e. hoc vectigal semper pares atque eosdem fructus et redditus aerario praebet, nec imminuitur vel caeli calamitate, ut fit in agris qui grandine verberantur, vel loci natura, ut in agris inundationi expositis.

Verum etiam id, quod tenebant)

bant, quibus adimi iure non poterat, coëmerunt. Qua de causa nec duo Gracchi, qui de plebis romanae commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sulla, qui omnia sine ulla religione, quibus voluit, est dilargitus, agrum Campanum attingere ausus est. Rullus exstitit, qui ex ea possessione rempublicam demoveret, ex qua nec Gracchorum benignitas eam, nec Sullae dominatio deiecisset. Quem agrum nunc praetereuntes vestrum esse dicitis, et quem per eum iter qui faciunt, externi homines, vestrum esse audiunt, is quum erit divisus, neque erit, neque vester esse dicetur.

XXXI. At qui homines possidebunt? Primo quidem acres, ad vim prompti, ad seditionem parati, qui simulac decemviri concrepuerint, armati in cives, et expediti ad caedem esse possint. Deinde ad paucos, opibus et copiis affluentes, totum agrum Campanum perferri videbitis. Vobis interea, qui illas a maioribus pulcherrimas vectigalium sedes armis captas accepistis, gleba nulla de paternis atque avitis possessionibus relinquetur: ac tantum intererit inter vestram et privatorum diligentiam, quod, quum a maioribus nostris P. Lentulus, qui princeps senatus in ea loca

Sic Graev. a cod. Franc. Lauredan. corrigendum censuit, *verum etiam quod ei tenebant*, idque receperunt Lamb. Grut. Ern.

Et quem per eum) *Eum* addidi, quod vulgo abest. Nam durissima constructio est *quem per iter qui faciunt*. — Non ita dura videbitur haec constructio, modo *quem per* ita innectim pronunties, *quémper*, uti *parumper*, *tantisper* etc.; quod genus loquendi, quamquam fortasse durinsculum videri possit, dictum tamen saepe a veteribus constat, *quo de agitur*, *quas ob causas* et similia. Opus igitur non erat, cur τὸ *eum* adderetur. Typ.

Neque erit, neque vester esse dicetur) Groterus malebat *neque erit vester, neque dicetur*. Rectius fortasse *vester neque erit, neque esse dicetur*.

Concrepuerint) Cod. Turn. Franc. ed. Ven. 1480, *increpuerint*.

Concrepuerint) Minimam dederint suae voluntatis significationem. Ferr.

Perferri) Ern. hoc verum esse negat; et mavult *pervenire* ut c. 24.

Armis captas) *Armis partas* sine libris edidit Lambin.

P. Lentulus) P. Lentuli Surae qui cum Catilina coniuravit avus.

missus esset, ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coëmeret, dicitur renuntiasse, nulla se pecunia fundum cuiusdam emere potuisse: eumque, qui nollet vendere, ideo negasse se adduci posse, uti venderet, quod, quum plures fundos haberet, ex illo solo fundo nunquam malum nuntium audisset. Itane vero? privatum haec causa commovit, populum romanum, ne agrum Campanum privatis gratis, Rullo rogante, tradat, non commovebit? Atqui idem populus romanus de hoc vectigali potest dicere, quod ille de suo fundo dixisse dicitur. Asia multos annos vobis fructum Mithridatico bello non tulit; Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit; Siciliae civitatibus bello fugitivorum M' Aquillius etiam mutuum frumentum dedit. At ex hoc vectigali nunquam malus nuntius auditus est. Cetera vectigalia belli difficultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates sustentantur. Deinde in hac assignatione agrorum ne illud quidem dici potest, quod in ceteris, agros desertos a plebe atque a cultura hominum liberorum esse non oportere. Sic enim dico: si Campanus ager dividatur, exturbari et expelli plebem ex agris, non constitui et collocari. Totus enim ager Campanus colitur et possidetur a plebe, et a plebe optima et modestissima: quod genus hominum optime moratum, optimorum et aratorum et militum, ab hoc plebicola tribuno funditus eiicitur. Atque illi miseri, nati in illis agris et educati, glebis subigendis exercitati, quo se subito conferant,

Populum romanum) Hoc ex ed. Med. et seqq. ut Vict. Man. Lamb. restituit Ern. Vulgo *populus romanus.*

Difficultatibus) Sic Ern. e cod. Erf. Pal. 2, et Pith. Olim *facultatibus.*

Liberorum) Cod. Erf. *liberos*, quod Puteano quoque placuerat. Sed verum est *liberorum*, idque opponitur servis, qui tum plerumque per Italiam agros colebant.

non habebunt: his robustis et valentibus et audacibus decemvirum satellitibus agri Campani possessio tota tradetur; et, ut vos nunc de vestris maioribus praedicatis: « hunc agrum nobis maiores nostri reliquerunt: » sic vestri posteri de vobis praedicabunt: « hunc agrum patres nostri acceptum a patribus suis perdiderunt. » Equidem existimo, si iam campus Martius dividatur, et unicuique vestrum, ubi consistat, bini pedes assignentur, tamen promiscue toto, quam proprie parva frui parte maletis. Quare, etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum, qui vobis ostenditur, aliis comparatur, tamen honestius eum vos universi, quam singuli possideretis. Nunc vero, quum ad vos nihil pertineat, sed paretur aliis, eripiatur vobis; nonne acerrime, tanquam armato hosti, sic huic legi pro vestris agris resistetis? Adiungit Stellatem campum agro Campano, et in eo duodena describit in singulos homines iugera. Quasi vero paulum differat ager Campanus ac Stellatis.

XXXII. Et multitudo, Quirites, quaeritur, qua illa omnia oppida compleantur. Nam dixi antea, lege permitti, ut, quae velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt; Teanum opprimeut; Atellam, Cumas, Neapolin, Pompeios, Nuceriam suis praesidiis

Maletis) Sic e tribus codd. Oxx. rescripsi pro volg. *malletis*. Idem placuit Goërenzio ad Cic. Acad. I, 2. Ernestius correxit *malitis*.

Quasi vero paulum differat ager Campanus ac Stellatis) Fortasse legendum: *Ager Campanus a Stellati: sed multitudo quaeritur*. Nam illud *et multitudo quaeritur*, non satis cohaeret. Sententia est: Idcirco duodena tantum viritim dividit iugera, ut maiorem numerum in illa oppida deducat, et facilius dominationem decemviris comparet, quibus tantum colonorum numerum committit, quos illi suo beneficio devinctos habebunt, quibus Campana occupabant et opprimebant oppida: alioqui enim si bonitas spectetur et fructus, duodena campi Stellatis iugera, cum denis agri Campani nullo modo comparanda sunt. Tyrn.

devincient: Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo iure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventiciis copiis occupabunt. Tunc illud Campanae vexillum coloniae, vehementer huic imperio timendum, Capuae a decemviris inferetur: tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quaeretur. In id oppidum homines nefarii rempublicam nostram transferre conantur; quo in oppido maiores vestri nullam omnino rempublicam esse voluerunt: qui tres solum urbes in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuam statuerunt posse imperii gravitatem ac nomen sustinere. Deleta Carthago est, quod tum hominum copiis, tum ipsa natura ac loco, succincta portubus, armata muris, excurrere ex Africa, imminere Italiae et fructuosissimis insulis populi romani videbatur. Corinthi vestigium vix relictum est. Erat enim posita in angustiis atque in faucibus Graeciae sic, ut terra claustra locorum teneret, et duo maria, maxime navigationi diversa, paene coniungeret, quum pertenui discrimine

Tunc illud Campanae vexillum coloniae — Capuae a Decemviris inferetur) Ostendit, ubi occupata omnia Campaniae municipia colonis fuerint, tum a Capua, quae Campaniae caput est, vexillum adversus urbem Romam illatum iri, ut Annibalis tempore factum est. Alludit vero ad vexillum, quod sequuti coloni in coloniam proficiscebantur, duce ipso coloniae praeeunte, quod elici ex 2 lib. Appiani potest. Quod autem vexillum etiam in bello usurpatur, ludit in duplici eius sensu, atque ab eo periculum instare significat. Lavred.

Vexillum) Olim legebatur *exilium*. Lauredanus primus vidit scribendum esse *vexillum*.

Imminere Italiae et fructuosissimis) Ita Lambin. ex emendatione Lauredani et Ant. Augustini. Vulgo *imminere ita fructuosissimis*.

Terra claustra locorum) *Terra* est per terram. Nam si quis e Peloponneso in reliquam Graeciam terra ire vellet, aut e Graecia per Peloponnesum, per Corinthiorum fines erat transeundum. Lavr.

Maxime navigationi diversa) Alternis enim navigatio est ex Italia, Dalmatia, Epiro in Graeciam, et contra alternis e Graecia in reliquam Graeciam, Thessaliam, Macedoniam, Asiam, contraque. Id.

Navigationi) Hoc Ernestio e glossa aditum videbatur.

separarentur. Haec, quae procul erant a conspectu imperii, non solum afflixerunt, sed etiam, ne quando recreata exsurgere atque erigere se possent, funditus, ut dixi, sustulerunt. De Capua multum est et diu consultum. Exstant literae, Quirites, publicae; sunt senatusconsulta complura. Statuerunt homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent, imaginem reipublicae nullam reliquissent, nihil fore, quod Capuam timeremus. Itaque hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, ut esset urbs, quae res eas, quibus ager Campanus coleretur, suppeditare posset; ut esset locus comportandis condendisque fructibus; ut aratores, cultu agrorum defessi, urbis domiciliis uterentur: idcirco illa aedificia non esse delcta.

XXXIII. Videte, quantum intervallum sit interiectum inter maiorum nostrorum consilia, et inter istorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas rusticorum, cellam atque horreum Campani agri esse voluerunt: hi, expulsis aratoribus, effusis ac dissipatis fructibus vestris, eandem Capuam sedem novae reipublicae constituunt, molem contra veterem rempublicam comparant. Quod si maiores nostri existimassent, quemquam in tam illustri imperio, et tam praeclara populi romani disciplina, M. Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim nos

Separarentur) Graev. e cod. Turn. Franc. Erf. *separentur*.

Consultum) *Consulatum* legi iussit Lambinus; idemque placuit Ernestio. In MSS. Turn. et Franc. legitur *dubitatum*.

Comportandis) Codd. plerique et edd. vett. *comparandis*.

Intervallum) Sine causa hoc suspectum fuit Ernestio. Nam eadem loquendi forma occurrit in orat. pro Rabirio c. 5: *quantum intervallum tandem inter te atque illum interiectum putas?*

M. Bruti) Praenomen Bruti, quod abest in MS. recte adiecerunt Manut. Grut. alii. Quum enim infra c. 34 nominetur *M. Brutus*, cur hic, ubi

duos adhuc videmus, qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent), profecto nomen illius urbis non reliquissent. Verum arbitrabantur, Corintho et Carthagini, etiamsi senatum et magistratus sustulissent, agrumque civibus ademissent, tamen non defore, qui illa restituerent, atque qui ante omnia commutarent, quam nos audire possemus: hic vero, in oculis senatus populique romani nihil posse existere, quod non ante exstingui atque opprimi posset, quam plane exortum ac natum esset. Neque vero ea res fefellit homines, divina mente et consilio praeditos. Nam post Q. Fulvium, Q. Fabium consules, quibus consulibus Capua devicta atque capta est, nihil est in ea urbe contra hanc rempublicam, non dico factum, sed omnino cogitatum. Multa postea bella gesta cum regibus, Philippo, Antiocho, Persa, Pseudophilippo, Aristonico, Mithridate, et ceteris; multa praeterea bella gravia, Carthaginiense, Corinthium, Numantinum; multae in hac republica seditiones domesticae, quas praetermitto; bella cum sociis, Fregellanum, Marsicum: quibus omnibus domesticis externisque bellis Capua non modo non obfuit, sed opportunissimam se nobis praebuit et ad bellum instruendum, et ad exercitus ornandos, et tectis ac sedibus suis recipiendos. Homines non inerant in urbe, qui malis concio-

primum nominatur, Cicero praenomen omitteret? Est autem M. Brutus A. V. 670 tribunus plebis, postea a Cn. Pompeio occisus.

Videmus) Hoc recte tuetur Graevius, quod est in omnibus MSS.; *vidimus* e coni. Laurentani ediderunt Manut. Lamb. Grut. Ern.

Magistratus) Sic e certissima Graevii coniectura rescripsit Ernestius pro vulg. *magistratum*.

Capua devicta) Immo Capua capta biennio ante Cn. Fulvio Centumalo et P. Sulpicio Galba coss. A. V. C. 542. Liv. lib. XXVI. At Q. Fulvio et Q. Fabio coss. ager Campanus primum a censoribus locatus est.

Cogitatum) Ita Graev. e cod. Erf. Vulgo *excogitatum*.

Carthaginiense) Ita Beckius e cod. Ox. H. Vulgo *Carthaginiensium*.

nibus, turbulentis senatusconsultis, iniquis imperiis rempublicam miscerent, et rerum novarum causam aliquam quaererent. Neque enim concionandi potestas erat cuiquam, nec consilii capiundi publici: non gloriae cupiditate efferebantur, propterea quod, ubi honos publice non est, ibi gloriae cupiditas esse non potest. Non contentione, non ambitione discordes: nihil enim supererat, de quo certarent; nihil quod contra peterent; nihil, ubi dissiderent. Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam ratione et consilio maiores nostri ad inertissimum et desidiosissimum otium perduxerunt. Sic et crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italia pulcherrimam non sustulerunt, et multum in posterum providerunt, quod, nervis urbis omnibus exsectis, urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt.

XXXIV. Haec consilia maiorum M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda, et P. Rullo visa sunt: neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent. Nam et ipse, qui deduxit, et qui magistratum Capuae, ea lege creati, ceperunt, et qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum poenas pertulerunt. Et quoniam Bruti atque temporis illius feci mentionem, commemorabo id quod egomet vidi, quum venissem Capuam, coloniam deductam L. Considio et Sext. Saltio (quemadmodum ipsi loquebantur) praetoribus; ut intelligatis, quantam locus

Nec consilii capiundi publici) Quia non licebat habere senatum. TURNEB.

Arrogantiam) *Arrogantem* cod. Erf. IV Oxx.

Effugerunt) *Fugerunt* Gruter.

Nervis urbis — exsectis) *Nervis urbis omnibus eiectis* cod. Turn. Pith. Franc.; *nervis omnibus urbe eiectis* cod. Erf.

Capuae, ea lege creati) Vulgo corrupte *Capuae et Leocranti*, quod probabiliter sic emendavit P. Manutius, *ea lege creati*, idque cum Ern. et Beckio recepi.

ipse afferat superbiam; quae paucis diebus, quibus illo colonia deducta fuit, perspici atque intelligi potuit. Nam primum, id quod dixi, quum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se praetores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attulisset, nonne arbitramini paucis annis fuisse consulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, sed, ut hic praetoribus anteeunt, cum fascibus duobus. Erant hostiae maiores in foro constitutae, quae ab his praetoribus de tribunali, sicut a nobis consulibus de consilii sententia probatae, ad praeconem et ad tibicinem immolabantur. Deinde patres conscripti vocabantur. Iam vero vultum Considii videre, ferendum vix erat. Quem hominem vegrandi macie torridum, Romae contemptum atque abiectum videbamus, hunc Capuae campano super-

Bacillis) Erf. *baculis.*

Erant hostiae maiores in foro constitutae) Maiores hostiae sunt, quae lactentibus opponuntur. Cic. 2 de legibus: *Quibus hostiis cuique Deo immolandum, cui maioribus, cui lactentibus.* Hic perspicue lactentes maioribus opposuit. TVRNEB.

De tribunali) Lambin. coni. *tribunalis.*

Probatae) Sic ex emendatione Lauredani ediderunt Lamb. Ern. al. Vulgo *probatis.*

Ad tibicinem) Tibicines rei divinae adhibebantur, et praecinebant: eratque Romae sacrorum causa tibicinum collegium. Livius: *Eiusdem anni rem dictu parvam praeterirem, ni ad religionem visa esset pertinere. Tibicines, quia prohibiti erant a proximis Censoribus in aede Iovis vesci, quod traditum antiquitus erat, aegre passi, Tybur uno agmine abierunt: adeo ut nemo in urbe esset qui sacrificiis praecineret.* Quumque tibicines ab uno sacrificante ad alium, qui etiam rem divinam faceret, transirent, proverbium factum est, *transire tibicinis Latini modo*, quo Cicero utitur pro Murena. Romani in suis sacrificiis, Latinis tibicinibus, non Graecis utebantur. Etiam tubis utebantur ad sacra. Varro: *Tubilustrium appellatur, quod eo die tubae sacrorum in atrio sutorio lustrantur.* TVRN. Vide pro Murena, cap. 12.

Torridum) Passeratius et Puteanus malebant *horridum.* Iac. Gronov. id aeque necessarium dicit atque *retorridum* quod Pricaeo ad Apuleium in mentem venerat, h. e. neutrum esse necessarium.

Contemptum atque) Copulam *atque*, quae in compluribus MSS. abest Beckius delevit.

cilio ac regio spiritu quum videremus, Magios, Blossios mihi videbar illos videre, ac Iubellios. Iam vero qui metus erat tunicatorum illorum? et in Albana et Seplasia, quae concursatio percontantium, quid praetor edixisset? ubi coenaret? quid enuntiasset? Nos autem, hinc Roma qui veneramus, iam non hospites, sed peregrini atque advenae nominabamur.

XXXV. Haec qui prospexerint, maiores nostros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis? Quid enim viderunt? hoc, quod nunc vos, quaeso, perspicite, atque cognoscite. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci nobis ad vitae consuetudinem suppeditantur, quibus alimur et vivimus. Carthaginienses, fraudulenti et mendaces, non genere, sed natura loci, quod, propter portus suos, multis et variis mercatorum et advenarum sermonibus, ad studium fallendi studio quaestus vocabantur. Ligures, montani, duri atque agrestes. Docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura et magno labore quaesitum. Campani, semper superbi bonitate agro-

Magios, Blossios — ac Iubellios) Haec sunt nobilium familiarum nomina, quae Capuae floruerunt. Iubellii mentio est ante primum bellum Punicum, Livianarum epitoma 12; Magii, bello Punico secundo. Is enim dissuasor fuit Capuae Annibali tradendae; Blossii, apud Ciceronem in Laelio de Amicit. cap. 11. LAVRED.

Tunicatorum illorum) Tunicatos Cicero vocat infimam plebem. Quam Horatius tunicatum popellum appellavit, I, epist. 7, 65. TVRNEB.

Et in Albana, et Seplasia) Fora Capuae. *Seplasia*, inquit Asconius, *platea erat Capuae, in qua unguentarii soliti erant negotiari.* ID.

Quid enuntiasset?) Sensus: quid inter coenam retexisset aut divulgasset de consiliis. Nempe haec percontatio erat eorum qui hominibus a coena praetoris redeuntibus occurrebant. Itaque miror Ern. hanc lectionem visam esse vitiosam.

Quae ab ipsa natura loci nobis ad vitae consuetudinem) Vulgo *quae ab ipsa natura loci et a vitae consuetudine.* Quod recepimus, firmatur cod. Turo.

rum, et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulcritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, primum illa nata fuit arrogantia, quae a maioribus nostris alterum Capua consulem postulavit: deinde ea luxuries, quae ipsum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit. Huc isti decemviri quum ɪɔɔ colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint, quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romam in montibus positam et convallibus, coenaculis sublatam atque suspensam, non optimis viis, angustissimis semitis, prae sua Capua, planissimo in loco explicata, ac prae illis semitis irridebunt atque contemnent; agros vero, Vaticanum, et Pupiniam, cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet putabunt. [1] Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum ac per iocum contendent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum hercle Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus elati et inflati, fortasse non continuo, sed certe, si paulum assumpserint vetustatis ac roboris, non con-

Primum illa nata fuit) Cod. Turn. *primum illa apta fuit*. Vulgo *primum illa nata sunt*. Ex priore lectione servavi *fuit*. In vulgari autem *primum* suum locum non obtinet. Itaque Schelterus legi volebat: *illa nata sunt primum arrogantia*.

Quum ɪɔɔ colonorum) Sic edidi e Lauredani coniectura pro vulgari *quum numerum colonorum*. In cod. Egnatiano erat *quum modo colonorum*; in Laured. codd. *quum in colonorum*, unde facile colligitur librarios hic notas numerales *ɪɔɔ h. e. quinque millia* oblitterasse. Agrum Campanum quinque millia colonorum capere potuisse patet ex Cic. Att. II, 16.

Cenaculis) Quum enim Romani ob angustiam loci extendere domos non possent, erigebant: cenaculum autem dicebatur pars superior domus. Ferr.

Ac prae illis semitis) Placet lect. ed. Ven. 1480 *ac prae illius* (Capuae) *semitis* scil. *latissimis*.

Cum suis opimis) Hoc e certissima Lauredani emendatione dederunt Turn. Ern. Vulgo *optimis*.

1. Ironice. Alii *non putabunt*. T.

tinebuntur: progredientur longius, efferentur. Singularis homo, privatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis et copiis, continet: nedum isti, ab Rullo et Rulli similibus conquisiti atque electi coloni, Capuae, in domicilio superbiae, atque in sedibus luxuriae collocati, non statim conquisituri sint aliquid sceleris et flagitii. Immo vero etiam hoc magis, quam illi veteres germanique Campani, quod in vetere fortuna illos natos et educatos, nimiae tamen rerum omnium copiae depravabant: hi ex summa egestate, in eandem rerum abundantiam traducti, non solum copia, verum etiam insolentia commovebuntur.

XXXVI. Haec tu, P. Rulle, M. Bruti sceleris vestigia, quam monumenta maiorum sapientiae sequi maluisti: haec tu cum istis tuis auctoribus excogitasti, ut vetera vectigalia venderetis, et exigeretis nova; ut Vrbi Capuam ad certamen dignitatis opponeretis; ut sub vestrum ius, iurisdictionem, potestatem, urbes, nationes, provincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem subiungeretis; ut, quum omnem pecuniam ex aerario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus, gentibus, imperatoribus nostris coëgissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent; ut iidem partim invidiosos agros a Sullanis possessoribus, partim desertos ac pestilentes a vestris necessariis, a vobismetipsis emptos, quanti velletis, populo romano induceretis;

Efferentur) Ernestio suspectum est, quia praecessit *elati*.

Auctoribus) Sic e Lauredani coniectura editum a Lamb. Oliv. Garat. Beck. Vulgo *actoribus*, quod aptum non est. *Auctores legis* dicuntur qui eam suadent.

Exigeretis) Sic rescripsi pro vulg. *expleretis* quod nihili esse vidit Ern. Supra cap. 21 dixerat quibusdam agris magnum vectigal a Rullo imponi. Laured. Grut. Graev. malebant *expilaretis*, Ern. *exhauriretis*.

ut omnia municipia coloniasque Italiae novis colonis occuparetis; ut quibuscumque in locis vobis videretur, ac quam multis videretur, colonias collocaretis; ut omnem rempublicam vestris militibus, vestris urbibus, vestris praesidiis cingeretis, atque oppressam teneretis; ut ipsum Cn. Pompeium, cuius praesidio saepissime populus romanus contra acerrimos hostes et contra improbissimos cives victor exstitit, proscribere, atque horum conspectu privare possetis; ut nihil auro et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil vi ac manu perfringi posset, quod non vos oppressum atque ereptum teneretis; ut volitaretis interea per gentes, per regna omnia, cum omni pecunia; ut veniretis in castra Cn. Pompeii, atque ipsa castra si commodum vobis esset, venderetis; ut interea magistratus reliquos, legibus omnibus soluti, sine metu iudiciorum, sine periculo, petere possetis; ut nemo ad populum romanum vos adducere, nemo producere, non senatus cogere, non consul coërcere, non tribunus plebis retinere posset.

XXXVII. Haec ego vos concupiisse pro vestra stultitia atque intemperantia non miror: sperasse, me consule, assequi posse, demiror. Nam quum omnium consulum gravis in republica custodienda cura ac diligentia debet esse, tum eorum maxime, qui non in

Exstitit) Est in edit. Gothofr. aliisque, incerta tamen auctoritate. Manut. e coni. Laured. *evasit*, Victor. Lamb. *est*.

Proscribere) Refertur ad id quod supra c. 10 dixerat quum, Rullus eiusque collegae Pompeium excepissent ne decemvir fieri posset, eos *Cn. Pompeium ex omni custodia populi libertatis, ex omni potestate, curatione, patrocinio commodorum populi depellere.*

Horum conspectu privare possetis) Hoc est quod supra dixerat cap. 9: *timebat enim Pompeius, si adesset, ne lex ferri posset* etc.

Numero et suffragiis) Manut. coniicit *numero suffragantium*.

Nihil vi ac manu) Sic e cod. Oxx. duobus edidit Beck. Olim *nihil elata manu*.

Venderetis) Hoc pertinet ad ea quae cap. 20 dixerat.

Producere) *Adducere* in iudicium populi, *producere* in concionem. ERN.

cunabulis, sed in campo sunt consules facti. Nulli populo romano pro me maiores mei spoponderunt; mihi creditum est; a me petere, quod debeo, me ipsum appellare debetis. Quemadmodum, quum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: sic, si quid deliquero, nullae sunt imagines, quae me a vobis deprecentur. Quare, modo ut vita suppetat; quamquam ego sum is, qui eam possim ab istorum scelere insidiisque defendere; polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide: rempublicam vigilanti homini, non timido; diligenti, non ignavo commisistis. Ego is consul, qui concionem metuam? qui tribunos plebis perhorrescam? qui saepe et sine causa tumultuer? qui timeam, ne mihi in carcere habitandum sit, si tribunus plebis duci iussisset? Ego nondum vestris armis armatus, insignibusque amplissimis ornatus, imperio, auctoritate, non horrui in hunc locum progredi, vobisque auctoribus improbitati hominis resistere: nunc verear, ne tantis reipublicae munitus praesidiis, ab istis vinci, aut opprimi possim? Si antea timuissem, hac concione, hoc populo, certe non vererer. Quis enim unquam tam secunda concione legem agrariam suasit, quam ego dissuasi? si hoc dissuadere

Quare, modo ut vita supp. quamquam ego sum is etc.) Vulgatam revocavi. Schutzius, Graevium secutus, e vestigiis cod. Erfurtensis dedit: *Quare, si vita supp.; modo ego sim is, qui* etc. Codex vero ipse legit: *quam rem, modo si vita suppetat, quam ego sim is.* Vulgatam militem nimis gloriosum sapere, Schutzio videtur. At tanta haec Ciceronis confidentia minime abhorret a celeris quae sequuntur, et ab ipsius ingenio. Equidem puto, Erfurtensem magis vulgatae lectioni favere, quam Graevianae. Trp.

Imperio, auctoritate) Scribendum puto *imperii, auctoritatis*, ut hi genitivi pendeant a voce *insignibus.* — Non assentior; quum subintelligi possit *id est.* T.

Opprimi possim?) Sic edidi de Lambini sententia. Vulgo *ne respublica tantis munita praesidiis ab istis v. a. o. possit.* At enim praesidia hic nihil aliud significant, nisi imperium et auctoritatem ex consulatu; hoc igitur Cicero ad suam potius quam ad reipublicae securitatem ex antecedentium verborum contextu referre debebat.

est, ac non disturbare ac pervertere. Ex quo intelligi, Quirites, potest, nihil esse tam populare, quam id, quod ego vobis in hunc annum consul popularis affero, pacem, tranquillitatem, otium. Quae nobis designatis timebatis, ea ne accidere possent, consilio meo ac ratione provisa sunt. Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueritis, verum etiam istos, qui vobis otiosis negotium facesserint, otiosissimos reddam. Etenim illis honores, potestates, divitiae, ex tumultu atque ex dissensionibus civium comparari solent; vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in iudiciis et aequitate magistratuum, et res familiares in pace, omni ratione otium tenere debetis. Nam, si ii, qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem: vos qui hunc statum, quem habetis, esse

Qui vobis otiosis negotium facesserint) Vulgo: *quibus otiosi negotium facessimus*, quae scriptura si genuina esset, nihil aliud significare posset, quam hoc: *quibus ego privatos accusando negotium facere soleo.* At Cicero saepe profitetur se in defendendis potius reis eloquentiam expromere quam accusationes factitare. Ergo rescribendum putavi: *qui vobis otiosis negotium facesserint*, h. e. qui otium vestrum tumultu ac dissensionibus civium turbare voluerint. Eos inquit *otiosissimos reddam*, h. e. efficiam ut nihil eiusmodi moliri possint. Graevius corrigebat: *qui nobis negotium facessant* aut *facessissent.*

Quorum gratia in suffragiis consistit) Qui suffragiis vestris ab hominibus gratiam inire potestis. Suffragia sunt vocata a suffringendo: quod initio fractis testulis ferebantur. Livius: *Testulis datis tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est.* Suffragiis autem privabantur a Rullo, ut huius orationis initio disputatum est. TURN.

Magistratuum) Ita Beckius edidit e coniectura Lauredani et Graevii. Vulgo *magistratus.*

Vos qui hunc statum — tenueritis) Vulgo sic legebatur: *capiunt voluptatem: sub ipso otio, quo vos fortunam regitis, si hunc statum, quem habetis, esse meliorem non ignoratis, non ut quaesitum sed vita partum otium tenueritis.* Ernestius hunc locum sine melioribus libris corrigi posse negabat. Beckius legendum censuit: *vos qui hunc statum quem habetis meliorem esse non ignoratis, non ignavia quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis.* Qua in correctione cetera feliciter ei cesserunt, modo pro *ignavia* legatur *ignaviae.* Nam *ignavia* nemo potest *otium* sibi parare. Itaque scriptum est *ignaviae*; idque opponitur iis qui *propter desidiam in otio*

meliorem non ignoratis, hoc ipso fortunam tegetis, si non ignaviae quaesitum, sed virtute partum otium tenueritis. Quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega invitissimis iis hominibus, quos in consulatu nobis inimicos fore et animis et corporibus praevidi, et ceteris rebus omnibus prospexi sane et revocavi. Idem tribunis plebis denuntiavi, ne quid turbulenti, me consule, conflarent. Summum et firmissimum est illud communibus fortunis praesidium, Quirites, ut, quales vos hodierno die maxima concione mihi pro salute vestra praebuistis, tales reliquis temporibus reipublicae praebeatis. Pro certo polliceor hoc vobis, atque confirmo, me esse perfecturum, ut iam tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos universos in consule deligendo plurimum vidisse fateantur.

vivunt. Ceterum iam Lanredanus *ignavia* legi volebat; idque in aliquot codd. vestigiis latet; in quibus legitur vel *esse non ignoravi non quaesitum*, vel *esse non ignoravi an quaesitum*. Verba *sub ipso otio quo fortunam regitis* Beckius glossatori tribuit. Ego tamen defendi posse censeo sicut feci transposita et correcta. Pro *regitis* nempe rescripsi *tegetis*. Fortunam *tegere* est eam tueri. Sic *salutem tegere* dixit Cic. or. pro Planc. cap. 1. Itaque iam omnia plana atque expedita sunt. Orator enim *vos*, inquit, *qui hunc statum, quem habetis, meliorem esse non ignoratis* (quem antea descripserat, ut *gratia, libertate, honore et re familiari* frui possint) hoc ipso *hanc vestram fortunam tegetis, si otium tenueritis*, et cogitaritis hoc *vestra virtute partum, non ignaviae quaesitum*, ideoque fortiter vos iis resistere oportere, qui turbare otium vestrum turbulentis consiliis velint.

Quod ego et concordia — revocavi) Hunc quoque locum mihi sanasse videor, qui antea sic legebatur: *quod ego et concordia, quam mihi constitui cum collega invitissimis iis hominibus, quos in consulatu nobis inimicos esse et animis et corporis actibus providi, omnibus prospexi sane et revocavi.* In quo primum apparet non designari alterum membrum, quod respondeat priori *et concordia*. Cicero enim profecto dicere non poterat, sola concordia cum collega Antonio se hoc effecisse, ut otium civibus praestaretur. Ergo ante verba *omnibus prospexi*, aliquot verba interciderint necesse est, sive *et ceteris rebus*, sive *et ceteris consiliis*. Porro ut alibi M. Antonio dicitur *Gallia armis animisque infesta et inimica* Philipp. X, 10, sic Cicero h. l. dicere poterat *se praevidisse*, quosdam homines sibi *in consulatu et animis et corporibus inimicos fore*. Vulgatum autem *corporis actibus* prorsus corruptum esse nemo negaverit. In Pal. 1 est *corporis iactibus*, in Pal. 2, *corporibus actibus*, in Erf. *corporis actibus*. Beckio quoque placabat *et animis et corporibus*.

DE

LEGE AGRARIA

CONTRA

P. SERVILIVM RVLLVM

ORATIO TERTIA AD POPVLVM

I.

Commodius fecissent tribuni plebis, Quirites, si quae apud vos de me detulerunt, ea coram potius, me praesente, dixissent. Nam et aequitatem vestrae disceptationis, et consuetudinem superiorum, et ius suae potestatis retinuissent. Sed quoniam adhuc praesens certamen contentionemque fugerunt, nunc, si videtur eis, in meam concionem prodeant, et, quo provocati a me venire noluerunt, revocati saltem revertantur. Video quosdam, Quirites, strepitu significare nescio quid, et non eosdem vultus, quos proxima mea concione praebuerunt, in hanc concionem mihi retulisse. Quare a vobis, qui nihil de me credidistis, ut eam voluntatem, quam semper habuistis erga me, retineatis, peto: a vobis autem, quos leviter immutatos esse sentio, parvam exigui temporis usu-

Detulerunt) Sic Ern. pro vulg. *deferunt.*

Qui nihil de me credidistis) Qui fidem non habuistis delationi et criminationi tribunorum plebis. Turn.

ram bonae de me opinionis postulo, ut eam, si quae dixero, vobis probaro, perpetuo retineatis: sin aliter, hoc ipso in loco depositam atque abiectam relinquatis. Completi sunt animi auresque vestrae, Quirites, me gratificantem septem tyrannis ceterisque Sullanarum assignationum possessoribus, agrariae legi et commodis vestris obsistere. Haec si qui crediderunt, illud prius crediderint necesse est, hac lege agraria, quae promulgata sit, adimi Sullanos agros, vobisque dividi, aut denique minui privatorum possessiones, ut in eas vos deducamini. Si ostendo, non modo non adimi cuiquam glebam de Sullanis agris, sed etiam genus id agrorum certo capite legis impudentissime confirmari atque sanciri; si doceo, agris his, qui a Sulla sunt dati, sic diligenter Rullum sua lege consulere, ut facile appareat, eam legem, non a vestrorum commodorum patrono, sed a Valgii genero esse conscriptam: num quid est causae, Quirites, quin illa criminatione, qua in me absentem usus est, non solum meam, sed etiam vestram diligentiam prudentiamque despexerit?

II. Caput est legis XL, de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne aut refricare obductam iam reipublicae cicatricem viderer, aut aliquid alienissimo tempore novae dissensionis commovere. Neque vero nunc ideo disputabo, quod hunc statum reipublicae non magnopere defendendum putem, praesertim qui otii et concordiae patronum

Probaro) Ita correxit Ern. Vulgo *probabo.*

Septem tyrannis) Duobus, ut reor, Lucullis, Crasso, Metello, Hortensio, Philippo, Catulo, qui tempore proscriptionis Sullanae multa praedia occuparant, quibus ne expellerentur lege Rulli verebantur. TYAN.

A Valgii genero) Non in gratiam populi, sed in gratiam Valgii soceri, qui multos agros dominante Sulla occuparat. ANON.

me in hunc annum reipublicae professus sim; sed ut doceam Rullum posthac in his saltem tacere rebus, in quibus de se et de suis factis taceri velit. Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus, interrex, de Sulla tulit, VT OMNIA, QVAECVMQVE ILLE FECISSET, ESSENT RATA. Nam quum ceteris in civitatibus, tyrannis institutis, leges omnes exstinguantur atque tollantur, hic reipublicae tyrannum lege constituit. Est invidiosa lex, sicut dixi, verumtamen habet excusationem. Non enim videtur hominis lex esse, sed temporis. Quid, si est haec multo impudentior? Nam Valeria lege Corneliisque legibus eripitur, quum datur; coniungitur impudens gratificatio cum acerba iniuria: sed tamen habet in illis legibus spem nonnullam ille, cui ademptus est; aliquem scrupulum, cui datus est. Rulli cautio est haec, QVAE POST C. MARIVM, CN. PAPIRIVM, CONSVLES. Quam procul a suspicione fugit, quod eos consules, qui adversarii Sullae maxime fuerunt, potissimum nominavit? Si enim Sullam dictatorem nominasset, perspicuum fore et invidiosum arbitratus

Reipublicae) Laured. et Lamb. maluerunt, *populo romano*.

L. Flaccus) Fuit interrex L. Flaccus quum consules C. Marius C. Marii VII consulis F. Praeneste per Q. Lucretium, Cn. Papirius, Cn. F. Carbo III per Cn. Pompeium Sullanos duces occisi essent, ac resp. sine consulibus esset, et placuisset senatui interregem prodi, qui comitia subrogandis consulibus haberet. Lava.

Valeria lege — eripitur) Excidisse videtur *ager*. Aliter id quod sequitur *ademptus est*, non habet quo referatur. In Pith. et Erf. inventum *eripitur civi datur*; inde Graevius putabat Ciceronem scripsisse: *eripitur civi, civi datur*.

Aliquem scrupulum) Nam cui ager datus est, ne rescindantur acta Sullae metuit; qui amisit, id sperat futurum. Tyrn.

Quam procul a suspicione fugit) Fraudem indicat Rulli, qui quum scribere debuisset, quae post L. Sullam dictatorem, ut nominis Sullae invidiam evitaret, consules C. Marium, et Cn. Carbonem, Sullae inimicos nominavit, iu quorum consulatu, postquam uterque occisus est, Sulla dictator factus est. Lava.

est. Sed quem vestrum tam tardo ingenio fore putavit, cui post eos consules, Sullam dictatorem fuisse, in mentem venire non posset? Quid ergo ait Marianus tribunus plebis, qui nos Sullanos in invidiam rapit? QVAE POST MARIVM ET CARBONEM CONSVLES, AGRI, AEDIFICIA, LACVS, STAGNA, LOCA, POSSESSIONES (caelum et mare praetermisit, cetera complexus est) PVBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SVNT. A quo, Rulle? Post Marium et Carbonem consules quis assignavit? quis dedit? quis concessit, praeter Sullam? EA OMNIA EO IVRE SINT. Quo iure? labefactat videlicet nescio quid; nimium acer, nimium vehemens tribunus plebis Sullana rescindit. VT QVAE OPTIMO IVRE PRIVATA SINT. Etiamne meliore, quam paterna et avita? meliore. At hoc Valeria lex non dicit; Corneliae leges non sanciunt; Sulla ipse non postulat. Si isti agri partem aliquam iuris, aliquam similitudinem propriae possessionis, aliquam spem diuturnitatis attingunt, nemo est tam imprudens istorum, quin agi secum praeclare arbitretur. Tu vero, Rulle, quid quaeris? Quod habent, ut habeant? quis vetat? Vt privatum? at ita latum est, ut melior tui soceri fundus Irpinus sit, sive ager Irpinus (totum enim possidet), quam meus paternus avitusque fundus Arpinas. Id enim caves. Optimo enim iure ea sunt profecto praedia, quae optima conditione sunt. Libera meliore iure sunt,

Agri, aedificia) Recte sic Beckius post Graev. et Lall. e codd. Turn. et Franc. edidit pro vulg. *agros*. Ceterum melius fuerit sedes verborum permutare ut legatur *quae — aedificia, agri*.

Quis concessit) Puteanus legi voluit: *quis assignavit? quis dedit? quis vendidit? quis concessit?*

Imprudens) Sic Graev. ex cod. Erf. Pith. Franc. Olim legebatur *impudens*, quod nuper Garatonus defendit.

Fundus Irpinus) Id est, fundus, quem Valgius socer tuus a Sulla accepit. LAVRED. *Fundum* quum dixisset, *agrum* corrigens subiecit, quod totum fere Irpinorum territorium (id enim hic ager significat) possideret. TVRN.

quam serva. Capite hoc omnia, quae serviebant, non servient. Soluta meliore in causa sunt, quam obligata: eodem capite obligata omnia, si modo Sullana sunt, liberabuntur. Immunia commodiore conditione sunt, quam illa, quae pensitant. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia mancipio fundum accepi: si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem.

III. Video vos, Quirites, sicuti res ipsa cogit, commoveri vel legis, vel orationis impudentia: legis, quae ius melius Sullanis praediis constituat, quam paternis; orationis, quae eiusmodi causa insimulare quemquam audeat, rationes Sullae nimium vehementer defendere. At si illa solum sanciret, quae a Sulla essent data, tacerem, modo ipse se Sullanum esse confiteretur: sed non modo illis cavet, verum etiam aliud quoddam genus donationis inducit; et is, qui a me Sullanas possessiones defendi criminatur, non eas solum sancit, verum ipse novas assignationes instituit, et repentinus Sulla nobis exoritur. Nam attendite, quantas concessiones agrorum hic noster obiurgator uno verbo facere conetur. QVAE DATA, DONATA, CONCESSA, VENDITA. Patior; audio. Quid deinde? POSSESSA. Haec

Liberabuntur) Recte hoc Ern. reposuit pro vulg. *liberantur*.

Ego Tusculanis) Praedium suum Tusculanum significat, quod a Tusculanis acceperat, quibus quotannis pro usu aquae, quae Crabra dicebatur, vectigal quoddam penderet. L.

Quia mancipio fundum accepi) Sic est in compluribus edd. vett. et MSS. codd. ut in quatuor Oxx. aliisque, et hoc pro vulg. *a municipio* Gulielm. et Garatonus restituendum censuerunt, ac restituit nuper Beckius. Recte; non enim Tusculanum suum Cicero a municipio acceperat, sed emerat. — Vt quidem intelligo, recte se habet vulgata; *accepi*, scil. pactione. T.

Eiusmodi causa) Id est, ob rem huiusmodi, quum tueantur ipsi Sullanas possessiones, tamen id obiicere cuiquam ausint, quod impudentiae est maximae. TVRN.

Quoddam genus donationis) Eos agros, quos Sulla non dedit, sed quidam in illa reip. caligine occuparunt et possederunt, confirmat et sancit. Donationem appellat, quod agros illos eis sua lege Rullus donet. TVRN

tribunus plebis promulgare ausus est, ut, quod quisque post Marium et Carbonem consules possidet, id eo iure teneret, quo qui optimo privatum? Etiamne si vi eiecit? etiamne si clam, si precario venit in possessionem? Ergo hac lege ius civile, causae possessionum, praetorum interdicta tollentur. Non mediocris res, neque parvum sub hoc verbo furtum, Quirites, latet. Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati, neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidentur. His cavet, hos defendit, hos privatos facit: hos, inquam, agros, quos Sulla nemini dedit, Rullus non vobis assignare vult, sed eis condonare, qui possident. Causam quaero, cur ea, quae maiores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hispaniis, Macedonia, Asia quaesiverunt, venire patiamini, quum ea, quae vestra sunt, condonari possessoribus eadem lege videatis. Iam, totam legem, intelligetis, quum ad paucorum dominationem scripta sit, tum ad Sullanae assignationis rationes esse accommodatissimam. Nam socer huius, vir multum bonus est; neque ego nunc de illius bonitate, sed de generi impudentia disputo. Ille enim, quod habet, retinere vult, neque se Sullanum esse dissimulat. Hic, ut ipse habeat quod non habet, quae dubia sunt, per vos sancire vult: et quum plus appetat, quam ipse Sulla, quibus ego rebus resisto, Sullanas res defendere criminor. Habet agros nonnullos, inquit, socer meus desertos atque longinquos: vendet eos mea lege, quanti volet. Habet incertos, ac nullo iure possessos;

Possidet) Ernestius suspicabatur legendum esse vel *possideret*, vel *possederit*. Nihil tamen opus est mutatione.

Causam quaero, cur ea) Non delictis haec vendi permittere, quum a Rullo publica donari videatis. Nam si quid vendendum est, potius veneat quod Rullus condonat. TURN.

Tum ad Sullanae) *Tum* addidit Gruter. e Pal. Cuiac. et edd. velt. Sine causa idonea hoc reiecit Graev.

confirmabuntur optimo iure. Habet publicos; reddam privatos. Denique eos fundos, quos in agro Casinati optimos et fructuosissimos continuavit, quum usque eo vicinos proscriberet, quoad oculis conformando ex multis praediis unam fundi regionem formamque perficeret, quos nunc cum aliquo metu tenet, sine ulla cura possidebit.

Et quoniam, qua de causa et quorum causa ille hoc promulgarit, ostendi, doceat ipse, num ego quem possessorem defendam, quum agrariae legi resisto. Silvam Scantiam vendis: populus romanus possidet; defendo. Campanum agrum dividis: vos estis in possessione; non cedo. Deinde Italiae, Siciliae ceterarumque provinciarum possessiones, venales ac proscriptas hac lege video: vestra sunt praedia, vestrae possessiones; resistam atque repugnabo; neque patiar a quoquam populum romanum de suis possessionibus, me consule, demoveri; praesertim quum vobis nihil quaeratur. Hoc enim vos in errore versari diutius non oportet. Num quis vestrum ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus est? nemo. Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, et praeclara illa Capua servatur: exercitus contra vos, contra libertatem vestram, contra Cn. Pompeium constituitur: contra hanc urbem, Capua; contra vos, manus hominum audacissimorum; contra Cn. Pompeium, decem duces comparantur. Veniant coram, et quoniam me in vestram concionem, vobis flagitantibus, convocaverunt, disserant.

Oculis conformando) Olim in nunnullis erat *oculos continuando*, quod Lambin. defendit. Manut. Laured. Turn. maluerunt *oculis continuando*; Gruter. ex codd. Pall. Cuiac. recepit *oculis confirmando*. Gulielm. coniecit scribendum esse *oculis conformando*, quod cum Ernestio et Beckio recepi.

Promulgarit) Sic Graev. correxit. Vulg. *promulgavit*.

Populus romanus possidet) Ita recte e codd. MSS. (ut cod. Franc.) correctum a Laured. et Graev. Vulgo *respublica*.

Convocaverunt) Gruterus malebat *vocaverunt*, quod convocare de uno non dicatur. Recte monuit Ern.ⁱ referendum esse ad eos, qui Ciceronem communi sententia vocaverant.

PRO

C. RABIRIO

PERDVELLIONIS REO

AD QVIRITES ORATIO

ORATIO

PRO

C. RABIRIO

PERDVELLIONIS REO

SVMMARIVM

L. Apuleius Saturninus quum esset quaestor Ostiensis, ab eo rei frumentariae procuratio translata est ad principem Senatus et civitatis M. Scaurum. Quam ignominiam aegerrime ferens, dolorem suum magna contentione animi persequebatur (Cic. pro Sext. cap. 17). Itaque quum primum tribunus plebis A. V. C. 651 Marii partibus inservire coepisset, legem de maiestate tulit. Tribunatu defunctum Q. Caecilius Metellus censor senatu movere voluit, ob vitae dedecora, dissentiente autem collega hoc efficere non potuit. Apuleius hanc iniuriam ulturus A. V. 652 tribunatum iterum petiit. Adversariorum tamen studiis effectum est, ut novem iam tribunis creatis extremo loco A. Nonius Suffenas competitor ei praeferretur. Hac repulsa accepta, Saturninus, Mario consule et praetore designato Glaucia faventibus, factionem armatorum iuvenum in Nonium e comitiis redeuntem immittit, qui profugientem in caupona quadam assequuti confoderunt. Postero die summo mane, antequam frequens populus conveniret in comitium, Apuleius Saturninus iterum tribunus plebis creatur. In hoc secundo tribunatu A. V. 653, primum legem agrariam tulit, ut Gallicus ager, e quo Marius Cimbros expulerat, populo romano divideretur, et ut veteranis in Africa centena iugera dividerentur. Deinde legem promulgavit de coloniis in Siciliam, Achaiam, Macedoniamque deducendis, qua lege simul hoc Mario consuli detulit, ut in singulas colonias ternos cives romanos facere posset. Priori legi adiecta erat clausula, ut si plebs eam scivisset, senatus intra quintum diem in eam iuraret. Lex non sine tumultu ac sedi-

tione perfertur. Quo facto Marius consul ad Senatum refert de iureiurando, et quum praevideret senatum hoc recusaturum, ipse simulavit se ei assentiri, et se sua sponte iursturum esse negavit. Quinto autem die post Marius, senatu propere coacto, ait se plebem timere studiose legi faventem; itaque se iurare velle in legem, hac tamen cum exceptione, quatenus lex sit legitima (ὀμόσειν, ἧ νομός ἐστὶ, τῷδε πειθήσεσθαι τῷ νόμῳ. *Appian. de bello civ.* I. 30); facile autem postea ostendi posse non esse legem, quae per vim et Iove tonante praeter morem maiorum lata sit. His dictis Marius surgit, et ad aedem Saturni pergit, ibique primus ipse cum amicis iureiurando se obligat. Idem ceteri omnes senatores faciunt. Solus Metellus in legem iurare noluit, ac propterea exsulatum abire coactus est. Saturninus vero ut tertium tribunus plebis crearetur effecit, simulque curavit, ut L. Equitium Firmanum, quem Gracchi filium esse mentiebatur, hominem libertinum collegam nancisceretur. Quum autem comitia consularia haberentur, velletque Glauciam praetorem, seditionum socium, consulem creari, C. Memmium, competitorem, quem M. Antonius cos. des. collegam habiturus videbatur, interficiendum curavit; ac praeterea cum factione sua alia consilia iniit, quae ad seditiones in urbe ciendas spectabant. Tum SCto facto, viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet, Marius, quamvis invitus, ipse convocatis ad arma optimatibus, ad eum opprimendum ducem se praebuit. Saturninus cum Glaucia, Saufeio et Q. Labieno foro pulsus Capitolium occupavit. Vbi obsessi, fide accepta, se consuli dediderunt. Is ab irritata plebe eos defensurus in curia inclusit, quasi eos ad legitimum supplicium servare vellet. Plebs vero hunc praetextum et simulationem esse rata, tectum curiae revulsit, et Apuleium Saturninum, cum omnibus suis, quos inter erat etiam Q. Labienus, tegulis iniectis interemit. Eius igitur ex fratre nepos T. Attius Labienus XXXVI annis post C. Rabirium perduellionis reum fecit, Saturninum trib. pl., sacrosanctum, ab eo interfectum esse criminatus. A. V. C. 690. Cicerone et Antonio coss.

Ac primum quidem res acta apud Duumviros, ut erat olim in crimine perduellionis constitutum, non tamen more antiquo a populo creatos, sed a praetore sorte datos, C. Iulium Caesarem et Lucium Caesarem. Suetonius in Iulio cap. 12 C. Iulium Caesarem ipsum ait subornasse qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, eumque, sorte iudicem in reum ductum, tam cupide condemnasse, ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit.

Quum igitur Rabirius a duumviris ad populum provocasset, defenderunt eum Q. Hortensius, et post eum Cicero consul, ab accusatore in semihorae spatium inclusus. Fortasse tamen Rabirius apud populum etiam damnatus fuisset, nisi Metellus Celer augur et praetor vexillum de Ianiculo detraxisset, quod more maiorum hanc vim habuit, ut comitia centuriata dirimerentur, nec illo die quidquam decerni posset. Labienus autem, etsi iudicium hoc modo interruptum instaurare poterat, tamen abiecit accusationem, nec postea Rabirio molestus fuit. Sic ille tum hoc periculo solutus discessit.

Exordium orationis Cicero petit a causis, quae eum ad Rabirium defendendum permoverint; easque partim in amicitiae vetustate, in dignitate hominis, et ratione humanitatis, partim in officio consulis salutem reipublicae tuendi sitas esse demonstrat. Vnius enim hominis innocentis senectutem, infirmitatem, solitudinem hac accusatione idcirco tentatam esse, ut nihil posthac auctoritas senatus, consulare imperium et consensio bonorum contra perniciem civitatis valeret. Itaque laborem in defendendo Rabirio praecipue suum esse, studium vero eius conservandi commune sibi cum populo esse debere declarat; cap. 1, 2.

Sequitur brevis depulsio aliorum criminum Rabirio obiectorum, quae quum prorsus vana et futilia sint, longam orationem non desiderent. Itaque respondendum non esse de locis religiosis et lucis, quos accusator a Rabirio violatos esse dixerat, nec de peculatu facto, de tabulario incenso, de sororis filio necato, de servis alienis retentis, aut de civibus romanis verberatis, denique de impudicitia reo obiecta; cap. 3.

In refutando crimine perduellionis primum orator se ipsum defendit, quod iudicium perduellionis a se sublatum esse Labienus fuerat criminatus; cap. 4, 5.

Deinde Saturninum negat a Rabirio interfectum esse, quod quum iam satis esset ab Hortensio demonstratum, ipse in eo versatur, ut ostendat iure occidi Saturninum potuisse, et confiteatur interficiendi eius causa una cum plurimis clarissimis viris, honestissimis et optimis civibus, Rabirium arma cepisse; cap. 6—11. Huius argumentationis extrema pars una cum tota orationis conclusione desideratur.

I.

Etsi, Quirites, non est meae consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis iustam mihi causam necessitudinis esse duxi: tamen in hac defensione capitis, famae, fortunarumque omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei, propterea quod, quae iustissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. Nam me tum amicitiae vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata: tum vero, ut id studiosissime facerem, salus reipublicae, consulare officium, consulatus denique ipse, mihi a vobis una cum salute reipublicae commendatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia vitae, non denique veteres, iustae, gravesque inimicitiae civium, in discrimen capitis

Quirites) In campo Martio ad populum haec oratio habita est comitiis centuriatis, aut in concione, quae comitia antecessit. TURN.

Capitis, famae, fortunarumque) Perduellionis damnati virgis caesi et unco per urbis vias tracti, ad extremum cruci, servorum instar, suffigebantur. HOT.

Tum amicitiae vetustas) Vulgo hic scribitur *cum*.

Mihi a vobis una) Vulgo edebatur *mihi una vobiscum*, quod Ernestium iure offendit. Recepi alterum a duobus quae ei in mentem venerunt. Beckius *vobiscum* uncis inclusit.

Non enim C. Rabirium culpa delicti) Rabirius non suo, sed de reip. nomine in discrimen capitis vocatur, quod consuli paruerit ad arma vocanti et remp. salvam esse voluerit. TURN.

Invidia vitae) Sic recte cod. Franc. edd. Med. Iunt. Aliae *invidia vitaeque*

vocaverunt; sed ut illud summum auxilium maiestatis atque imperii, quod nobis a maioribus est traditum, de republica tolleretur; ut nihil posthac auctoritas senatus, nihil consulare imperium, nihil consensio bonorum contra pestem ac perniciem civitatis valeret, idcirco unius hominis senectus, infirmitas solitudoque tentata est. Quamobrem, si est boni consulis, quum cuncta auxilia reipublicae labefactari convellique videat, ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere: est etiam bonorum et fortium civium, quales vos omnibus reipublicae temporibus exstitistis, intercludere omnes seditionum vias, munire praesidia reipublicae, summum in consulibus imperium, summum in senatu consilium putare: ea qui sequutus sit, laude potius et honore, quam poena et supplicio dignum iudicare. Quamobrem labor in hoc defendendo praecipue meus est: studium vero conservandi hominis, commune mihi vobiscum esse debebit.

II. Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a tribuno plebis susceptam, neque a consule defensam, neque ad populum romanum esse delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causa, Quirites, quam

Ald. *invidia vitaeque turpitudo*, quod plerique receperunt.

Summum auxilium) Senatusconsultum illud significat, quod extremis reip. temporibus fieri solebat, ut viderent consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Turn.

Consulare imperium) Nam ex illo senatusconsulto summum imperium et iudicium consul habebat, et ad arma evocare poterat. Graev.

Idcirco unius hominis senectus) Post *idcirco* vulgo additur *in his rebus evertendis* in quoglossam verbi *idcirco* recte agnoscit Ern.

Dignum iudicare) *Iudicari* quinque codd. Oxx.

ut nullum sit posthac in republica publicum consilium, nulla bonorum consensio contra improborum furorem et audaciam, nullum extremis reipublicae temporibus perfugium et praesidium salutis. Quae quum ita sint, primum, quod in tanta dimicatione capitis, famae, fortunarumque omnium fieri necesse est, ab Iove Optimo Maximo, ceterisque diis deabusque immortalibus, quorum ope et auxilio multo magis haec respublica, quam ratione hominum et consilio gubernatur, pacem ac veniam peto; precorque ab iis, ut hodiernum diem et ad huius salutem conservandam, et ad rempublicam constituendam, illuxisse patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum potestas proxime ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obsecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miserrimi atque innocentissimi, et salus reipublicae, vestris manibus suffragiisque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam, in reipublicae salute sapientiam, quam soletis.

III. Nunc, quoniam, T. Labiene, diligentiae meae temporis angustiis obstitisti, meque ex comparato et constituto spatio defensionis, in semihorae curriculum coëgisti, parebitur, et, quod iniquissimum est, accusatoris conditioni, et, quod miserrimum, inimici potestati. Quamquam in hac praescriptione semihorae patroni mihi partes reliquisti, consulis ademisti: propterea quod ad defendendum propemodum satis erit hoc mihi temporis, ad conquerendum parum. Nisi

Proxime) *Maxime* cod. Franc.

T. Labiene) Hic trib. pleb. Cicerone consule diem dixit Rabirio. Hic est, qui postea militavit in Gallia auspiciis Caesaris. TURN.

Curriculum) Budaeus et Holom. coniecerunt legendum esse *circulum*. Falso: etsi id in uno MS. inventum esse Lamb. testatur.

Temporis) Particulam *verum* quae hic vulgo additur, recte deleverunt Lamb. Ern. Et abest duobus codd. Oxx.

forte de locis religiosis ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, pluribus verbis tibi respondendum putas: quo in crimine nihil est unquam abs te dictum, nisi a C. Macro obiectum esse crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminisse te, quid obiecerit C. Rabirio Macer inimicus; oblitum esse, quid aequi et iurati iudices iudicarint. An de peculatu facto, an de tabulario incenso, longa oratio est expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirii iudicio clarissimo C. Curius pro virtute sua, est honestissime liberatus; ipse vero Rabirius non modo in iudicium horum criminum, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem verbo est unquam vocatus. An de sororis filio diligentius respondendum est? quem ab hoc necatum esse dixisti, quum ad iudicii moram familiaris funeris excusatio quaereretur. Quid enim est tam veri simile, quam cariorem huic sororis maritum, quam sororis filium fuisse? atque ita cariorem, ut alter vita crudelissime privaretur, quum alteri ad prolationem iudicii biduum quaereretur? An de servis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de civibus romanis contra legem Porciam verberatis aut necatis plura dicenda

An de tabulario incenso) Locus eral ubi acla el labulae publicae reponebautur. Quum id igilur obiiceretur Rabirio, nondum patefaclum erat a quo incensum essel: quod Q. Sosius se fecisse poslea coufessus est. Vide III, 30 de nal. Deor. TURN.

Expromenda) Hoc cum Manol. et Lambino edidi, Ernestio quoque probatum, pro vulg. *exprimenda*.

C. Curius) Vulgo *C. Curtius*. Sed ex Or. pro Rabir. Posl. c. 2, Holomannus correxil *C. Curius*, idque recepit Lamb. probante Ern.

Ab hoc necatum) Ne maritus sororis Rabirii Curtius de peculatu, ut reor, causam diceret, ad probationem iudicii filium sororis a Rabirio necatum obiiciebant. Qui autem funus familiare ducit, iustave mortuo facit, nec iu ius, nec iu iudicium vocatur. Sed verisimile non est bidui causa tantum facinus essa perpetratum: nec probabile est cariorem ei maritum sororis quam filium fuisse. TURN.

Contra legem Fabiam) Ne quis servum alienum, invito vel insciente domino, celaret, vinclum haberet, emeret sciens, dolo malo. HOT.

Contra legem Porciam) *Porcia lex*

sunt, quum tanto studio C. Rabirius totius Apuliae, singulari voluntate Campanae vicinitatis ornetur? quumque ad eius propulsandum periculum non modo homines, sed prope regiones ipsae concurrerint, aliquanto etiam latius excitatae, quam ipsius vicinitatis nomen ac termini postulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem multae irrogatione perscriptum, hunc nec suae, nec alienae pudicitiae pepercisse? Quin etiam suspicor, eo mihi semihoram a Labieno praestitutam esse, ut ne plura de pudicitia dicerem. Ergo ad haec crimina, quae patroni diligentiam desiderant, intelligis mihi semihoram istam nimium longam fuisse.

IV. Illam alteram partem de nece Saturnini, nimis exiguam atque angustam esse voluisti: quae non oratoris ingenium, sed consulis auxilium implorat et flagitat. Nam de perduellionis iudicio, quod a me sublatum esse criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id aut primus,

memorabilis a M. Porcio Catone lata est, ne quis magistratus civem romanum virgis caederet, necaretve, quum antea nudatorum cervix inseretur furcae, corpus virgis ad necem caederetur. Hot. Vel potius haec lex lata fuit a Tribuno pl. P. Porcio Laeca.

Campanae) Vulgo *Campaniae*, quod Ernestius recte repudiandum censuit. Beckio tamen *vicinitatis* spurium esse videtur.

Concurrerint) Sic primus edidit Graev. e cod. Franc. Vulgo *convenerint*.

Multae irrogatione) Multarum ratio haec fuit. Magistratus reo ad populum diem dicebat: ter eum accusabat: post ei multam irrogabat, id est, rogabat populum ut certa bonorum parte multaretur. Haec irrogatio trinundinum, ut ceterae leges, durabat, post per trinundinum quarto reus accusabatur. Si defenderetur, ea multae irrogatio dicebatur: si damnabatur, multae iudicatio. Hot.

Perscriptum) Multi codd. MSS. et edd. *praescriptum*.

De pudicitia dicerem) Salse figit ipsum adversarium, impudicitiae sibi conscium.

A me sublatum) Qua ratione Cicero sustulerat iudicium perduellionis? Non lege lata, sed data facultate Rabirio dicendae causae comitiis centuriatis, suscepta etiam illius defensione, contra sententiam duumvirum. Ferr.

Ego id aut primus) Beckius *id*, quasi redundet, delevit. At similis forma est ap. Terentium *Phorm. I*, 3,

aut solus ex hac republica sustulissem! Vtinam quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meae laudis esset! Quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisse? Sed ista laus primum est maiorum nostrorum, Quirites, qui, expulsis regibus, nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiae retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infestam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. Quamobrem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? Tune, qui civibus romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere; qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco, crucem ad civium supplicium defigi et constitui iubes: an ego, qui funestari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico? qui castam concionem, sanctum campum, inviolatum corpus omnium civium romanorum, integrum ius libertatis defendo servari oportere? Popularis vero tribunus plebis, custos defensorque iuris et libertatis. Porcia lex virgas ab omnium civium romanorum corpore amovit; hic misericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit; Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium romanorum iniussu vestro iudicaretur; hic popularis a duumviris, iniussu vestro, non iudicari de cive romano, sed indicta causa civem romanum capitis condemnari coëgit. Tu mihi etiam legis Porciae, tu horum libertatis, tu C.

5, ubi vide Ruhnkenii notam in Brunsii editione.

Constitui) *Destitui* cod. Pith. quod placuit Graevio.

Tu C. Gracchi) Haec vulgo post *legis Porciae* leguntur. Ego ex con-

Gracchi, tu cuiusquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es? Namque haec tua, quae te hominem clementem popularemque delectant, I LICTOR, COLLIGA MANVS, non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii: Tarquinii, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina, quae tu, homo lenis ac popularis, libentissime commemoras: CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. Quae verba, Quirites, iampridem in hac republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.

V. An vero, si actio ista popularis esset, et, si ullam partem aequitatis haberet aut iuris, C. Gracchus eam reliquisset? Scilicet tibi graviorem dolorem patrui mors attulit, quam C. Graccho fratris; et tibi acerbior eius patrui mors est, quem nunquam vidisti, quam illi eius fratris, quicum concordissime vixerat; et simili iure tu ulcisceris patrui mortem, atque ille persequeretur fratris, si ista ratione agere voluisset; et par desiderium sui reliquit apud populum romanum Labienus iste, quisquis fuit, ac Ti. Gracchus

iectura Beckii sane probabili huc transposui. Sic enim ordo sententiarum postulat.

Non modo) Vulgo *quae non modo.* Sed illud *quae* recte est ab Ernestio deletum.

Dolorem patrui) Vulgo additur *tui* quod concinnius abesse vidit Ern.

Patrui mors) Q. Labieni. Significat a Labieno non tam tribuni mortem, quam patrui hoc iudicio vindicari. FERR.

Et simili iure) Vulgo *et similis viri.* In quo Ern. non sine causa haesit, quia illud non consentit cum *atque ille persequeretur*, quod ad rem non ad personam attinet. Ecce in cod. Ox. ψ. est *iuri.* Inde Beckius coniecit legendum *simili iure.* Optime. Itaque recepi.

Fratris) Vulgo additur sui.

Labienus iste) Hic in MSS. et edd.

reliquerat. An pietas tua maior, quam Gracchi? an animus? an consilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quae, si in illo minima fuissent, tamen prae tuis facultatibus maxima putarentur. Quum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te atque illum interiectum putas? Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret: quem non modo foro, sed etiam caelo hoc ac spiritu censoriae leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic se popularem dicere audet, me alienum a commodis vestris, quum iste omnes et suppliciorum et verborum acerbitates, non ex memoria vestra ac patrum vestrorum, sed ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquisierit; ego omnibus meis opibus, omnibus consiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim, et restiterim crudelitati? Nisi forte hanc conditionem vobis esse vultis, quam servi, si libertatis spem propositam non haberent, ferre nullo modo possent. Misera est ignominia iudiciorum publicorum, misera multatio bonorum, miserum exsilium: sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis. Mors denique si proponitur, in libertate moriamur: carnifex vero, et obductio capitis, et nomen ipsum crucis, absit non modo a corpore civium romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium

inculcatur *patruus vester*, quod Ern. e glossa natum esse recte iudicavit.

Prae tuis facultatibus) *Facultatibus* merito suspectum fuit Ernestio. Non enim hoc vocabulum in ea omnia cadit, quae de Graccho dicta sunt.

Moriamur) Ern. aut *morimur* aut *moriemur* scribendum esse putabat. Recte vero Beckius mutata interpunctione (nam antea post *moriamur* plena erat distinctio) servari posse vulgatum docuit.

Obductio capitis) Lambin. e Paulagathi, Mureti et Manutii coniectura recepit *obnuptio*.

rerum, non solum eventus atque perpessio, sed etiam conditio, exspectatio, mentio ipsa denique, indigna cive romano atque homine libero est. An vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberat, nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore, neque res gestae, neque acta aetas, neque vestri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor et prae me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunicia actione, sed regia, meo consilio, virtute, auctoritate esse depulsum. Qua tu in actione quamquam omnia exempla maiorum, omnes leges, omnem auctoritatem senatus, omnes religiones, atque auspiciorum publica iura neglexisti, tamen a me haec, in hoc tam exiguo meo tempore, non audies. Liberum tempus nobis dabitur ad istam disceptationem.

VI. Nunc de Saturnini crimine, ac de clarissimi patrui tui morte dicemus. Arguis, occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum: et id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. Vtinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc praedicare, C. Rabirii manu, L. Saturninum,

Conditio) Muretus V. L. VIII, 9, legi voluit *condictio*.

Vna vindicta) Haec erat virga, quam praetor aut lictor manumittendi servi capiti imponens haec verba pronuntiabat: *Hunc hominem liberum esse aio*. Hot. Schedae rescriptae codicis Palatini *vindicta una*. T.

Liberat) Ita Schedae rescriptae, quod praestat. Vulgo *liberabit*. Edd. vett. *liberavit*. T.

Ab unco) Quorundam criminum damnatis uncus in mentum impingebatur, atque ita per urbis vias tracti in Tyberim deiiciebantur. Hot.

Vestri honores) Ita Schedae rescriptae cod. Vatic. uti etiam codices omnes Lagomarsini, praeter paucos. Typ.

Auspiciorum publica iura) *Publica* abest cod. Franc.

Q. Hortensio) Hortensius causam Rabirii apud duumviros iudices egerat. Non enim probo eos, qui ante consulem eum ad populum causam egisse censent. Tyen.

hostem populi romani interfectum! — Nihil me clamor iste commovet, sed consolatur, quum indicat esse quosdam cives imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, populus romanus hic, qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto iam levior est acclamatio! Quin continetis vocem, indicem stultitiae vestrae, testem paucitatis? — Libenter, inquam, confiterer, si vere possem, aut etiam, si mihi esset integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum esse occisum, et id facinus pulcherrimum esse arbitrarer: sed, quoniam id facere non possum, confitebor id, quod ad laudem minus valebit, ad crimen non minus. Confiteor, interficiendi Saturnini causa, C. Rabirium arma cepisse. Quid est, Labiene? quam a me graviorem confessionem, aut quod in hunc maius crimen exspectas? Nisi vero interesse aliquid putas inter eum, qui hominem occidit, et eum, qui cum telo occidendi hominis causa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt. Si arma iure sumpta concedis, interfectum iure concedas necesse est.

Paucula quaedam deesse videntur (1).

VII. Fit senatusconsultum, ut C. Marius, L. Valerius consules, adhiberent tribunos plebis et prae-

Nihil me clamor iste commovet) Apparet populum vocem illam indigne tulisse, *Saturninum hostem populi romani appellari*. Moris fuit in concionibus, si quid magistratus diceret, quod populo placeret, ut id acclamationibus exciperent; si quid displiceret, admurmurarent et obstreperent. Sic in agrar. III: *Video quosdam, Quirites, strepitu significare nescio quid*. Hot.

Quanto iam levior est acclamatio) Iterum est acclamatum, sed levius quam antea et exilius; ergo gravius obiurgat et compescit. Turn.

Quin continetis vocem — testem paucitatis) Quintil. Inst. or. XI, 3 hunc locum sic effert: *quin compescitis vocem istam, indicem stultitiae, testem paucitatis?*

(1) Deest scilicet principium narrationis de turbis a Saturnino excitatis

tores, quos eis videretur; operamque darent, ut imperium populi romani, maiestasque conservaretur. Adhibent omnes tribunos plebis praeter Saturninum, omnes praetores praeter Glauciam: qui rempublicam salvam esse vellent, arma capere et se sequi iubent. Parent omnes. Ex aedibus sacris armamentariisque publicis arma populo romano, C. Mario consule distribuente, dantur. Hic iam, ut omittam cetera, de te ipso, Labiene, quaero: quum Saturninus Capitolium teneret armatus, esset una C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergastulo Gracchus; addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum, patruum tuum; in foro autem C. Marius, et L. Valerius Flaccus, consules, post cunctus senatus, atque ille senatus, quem etiam vos ipsi, qui hos patres conscriptos, qui nunc sunt, in invidiam vocatis, quo facilius de hoc senatu detrahere possitis, laudare consuevistis: quum equester ordo — at quorum equitum, dii immortales! patrum nostrorum, atque eius aetatis, quae tum magnam partem reipublicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebat; — quum omnes omnium

postquam Memmium, competitorem Glauciae in consulatu petendo, interficiendum curaverat.

Omnes praetores) Deest *omnes* in codd.; addendum censuerunt Turn. Augustin.; receperunt Lamb. Oliv. Lall. Oxx.

Ex aedibus sacris) Vulgo legitur *ex aedificiis* quod merito suspectum fuit Ernestio. In cod. Ox. H scriptum *aedificiis aedibus sacris*. Vnde colligitur ex verbis *aedibus sacris* alios fecisse *aedificiis*, alios corruptam lectionem cum vera copulasse.

Gracchus) Is L. Equitius erat, qui pro Gracchi filio se gerebat: eum Saturninus in locum competitoris tribunatus comitiis palam occisi subrogare tentarat: is servus fuerat nequissimus in compedibus et ergastulo habitus: deinde manumissus libertinae conditionis erat. Turn.

Atque ille senatus) Nam seditiosi tribuni pl. ut maligni solent, mortuos senatores laudabant, ut eos, qui vivereut, dissimili comparatione reprehenderent. Ferr.

At quorum equitum) Recte Ern. delevit voc. *Romanorum*, quod hic vulgo addebatur, melius iam in edd. Waldarf. et 1480 omissum.

Quae tum — iudiciorum tenebat) Lambin. maluit *qui tum — tenebant*.

ordinum homines, qui in salute reipublicae salutem suam repositam esse arbitrabantur, arma cepissent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te ipso, inquam, Labiene, quaero: quum ad arma consules ex senatusconsulto vocavissent; quum armatus M. Aemilius, princeps senatus, in comitio constitisset, qui quum ingredi vix posset, non ad insequendum sibi tarditatem pedum, sed ad fugiendum impedimento fore putabat; quum denique Q. Scaevola, confectus senectute, praepeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis, hastili nixus, et animi vim, et infirmitatem corporis ostenderet; quum L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omnesque, qui tum erant, consulares, pro salute communi arma cepissent; quum omnes praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret, Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus; quum omnes Octavii, Metelli, Iulii, Cassii, Catones, Pompeii; quum L. Philippus, L. Scipio, quum M. Lepidus, quum D. Brutus, quum hic ipse P. Servilius, quo tu imperatore, Labiene, meruisti; quum hic Q. Catulus, admodum tum adolescens, quum hic C. Curio, quum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent: quid tandem C. Rabirium facere convenit? Vtrum inclusum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam suam tenebrarum ac parietum custodiis tegere? an in Capitolium pergere, atque ibi se cum tuo patruo et ceteris ad mortem propter vitae turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scaevola, cum

Vulgatum tamen stare potest si *aetas* accipiatur pro γενεᾷ.

Praepeditus) Graevius e codd. Manut. et Franc. recepit lectionem *perditus*, quam deinde multi secuti sunt.

Cn. et L. Domitii) Ita legendum esse vidit Pighius annal. ad a. 652. Olim erat *C. et L. Domitius*.

bonis denique omnibus coire, non modo salutis, verum etiam periculi societatem?

VIII. Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? Quum ignaviae ratio te in fugam atque in latebras impelleret; improbitas et furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret; consules ad patriae salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cuius sectam sequi, cuius imperio parere potissimum velles? «Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit.» Quid? pater quicum? quid? propinqui vestri, equites romani? quid? omnis praefectura, regio, vicinitas vestra? quid? ager Picenus universus, utrum tribunicium furorem, an consularem auctoritatem sequutus est? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo praedicas, neminem unquam adhuc de sese esse confessum: nemo est, inquam, inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modo honestate, sed etiam simulatione honestatis relictus, qui se in Capitolio fuisse cum Saturnino fateretur. At fuit vester patruus. Fuerit; et fuerit nulla desperatione rerum suarum, nullis domesticis vulneribus coactus; induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriae praeponeret. Idcircone oportuit C. Rabirium desciscere a republica? non comparere in illa armata multitudine bonorum? consulum voci atque imperio non obedire? Atqui videmus, haec in rerum natura tria fuisse: ut

Impelleret) Ern. maluit *compelleret*.

Omnis praefectura) Ignoratur, ex qua praefectura fuerit Labienus; in agro tamen erat Piceno, ut ex sequentibus patet. Ferr. Praefecturae dicebantur quaedam regiones in Italia, quibus propter defectionem et perfidiam suae leges, suique magistratus adempti fuerant. Itaque Româ mittebantur in eas quotannis praefecti, qui in iis ius dicerent. Hot.

At fuit vester patruus) Malim aut *vester* deleri, aut pro eo scribi *tuus* ut paulo ante.

aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat instar turpissimae; cum Saturnino esse, furoris et sceleris; virtus et honestas et pudor cum consulibus esse cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quod cum iis fuerit C. Rabirius, quos amentissimus fuisset, si oppugnasset, turpissimus, si reliquisset?

IX. At C. Decianus, de quo tu saepe commemoras, quia, quum hominem omnibus insignem notis turpitudinis, P. Furium, accusaret summo studio bonorum omnium, queri est ausus in concione de morte Saturnini, condemnatus est: et Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suae, condemnatus est. Statuerunt equites romani illo iudicio, improbum civem esse, et non retinendum in civitate, qui hominis hostilem in modum seditiosi imaginem aut mortem eius honestaret, aut desideria imperitorum misericordia commoveret, aut suam significaret imitandae improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes, inveneris. Nam Sex. Titio damnato, qui istam habere auderet, inventus est nemo. Quod tu si audisses, aut si per aetatem scire potuisses, nunquam profecto istam imaginem, quae domi posita pestem atque exsilium Sex. Titio attulisset, in Rostra atque in concionem attulisses, nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus imprudentia labe-

Quam habes) *Quam tu habes* cod. Franc.

Istam imaginem) Imaginem L. Saturnini Labienus in concione protulerat. Turn.

Exsilium) Manut. memorat lectionem *exitium*.

Rationes) *Rates* coni. Pithoeus, ut scil. metaphora, qua deinde utitur, hic iam inchoëtur. Non tamen opus est vulg. corrigere.

ris. Causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua; quae causa ante mortua est, quam tu natus esses. Qua in causa tute profecto fuisses, si per aetatem esse potuisses, eam causam in iudicium vocas. An non intelligis, primum quos homines et quales viros mortuos summi sceleris arguas? deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in summum capitis periculum arcessas? Nam si C. Rabirius fraudem capitalem admisit, quod arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam deprecationem periculi aetas illa, qua tum fuit: Q. vero Catulum, patrem huius, in quo summa sapientia, eximia virtus, singularis humanitas fuit; M. Scaurum, illa gravitate, illo consilio, illa prudentia; duos Mucios, L. Crassum, M. Antonium, qui tum extra urbem cum praesidio fuit, quorum in hac civitate longe maxima consilia atque ingenia fuerunt; ceteros pari dignitate praeditos, custodes gubernatoresque reipublicae, quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus romanis, dicemus, qui tum una cum senatu salutem reipublicae defenderunt? quid de tribunis aerariis, ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?

X. Sed quid ego de iis omnibus, qui consulari imperio paruerunt, loquor? de ipsorum consulum fama quid futurum est? L. Flaccum, hominem quum semper in republica, tum in magistratibus gerendis, in sacerdotio caerimoniisque, quibus praeerat, diligentissimum, nefarii sceleris ac parricidii mortuum condemnabimus? adiungemus ad hanc labem ignominiamque mortis etiam C. Marii nomen? C. Ma-

M. Antonium) Oratorem, qui anno sequenti consul fuit. Ferr.

rium, quem vere patrem patriae, parentem, inquam, vestrae libertatis, atque huiusce reipublicae possumus dicere, sceleris ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim, si C. Rabirio, quod iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit, quod tandem excogitabitur in eum supplicium, qui vocavit? Ac, si fides Saturnino data est, quod abs te saepissime dicitur, non eam C. Rabirius, sed C. Marius dedit; idemque violavit, si in fide non stetit. Quae fides, Labiene, qui potuit sine senatusconsulto dari? Adeone hospes huiusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare? Quid iam ista C. Mario, inquit, nocere possunt, quoniam sensu et vita caret? Itane vero? tantis in laboribus C. Marius periculisque vixisset, si nihil longius, quam vitae termini postulabant, spe atque animo de se et gloria sua cogitasset? At credo, quum innumerabiles hostium copias in Italia fudisset, atque obsidione rempublicam liberasset, omnia sua secum una moritura arbitrabatur. Non est ita, Quirites: neque quisquam nostrum in reipublicae periculis cum laude ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur. Itaque quum multis aliis de causis virorum bonorum mentes divinae mihi atque aeternae videntur esse, tum maxime, quod optimi et sapientissimi cuiusque animus ita praesentit in posterum, ut nihil nisi sem-

Qui vocavit) scil. *ad arma.* Male cod. Franc. *necavit.*

Si fides Saturnino data est) Consules fidem publicam Glauciae et Saturnino dederant, fore ut cum eis non vi, sed iure ageretur. Hot.

Quid iam ista) Quod illa tempestate multos esse sciebat, qui nec dedecus, nec ignominiam ad mortuos pertinere censerent, omni sensu, ut credebant plerique, orbatos. Percrebuerat enim tum sententia Epicuri, cui se dociles multi ex libris Amafinii praestiterant, animos mortales esse. Turn. De Amafanio, et Epicureis, vide Tuscul. IV, 3.

piternum spectare videatur. Quapropter equidem et C. Marii, et ceterorum virorum sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes, quae mihi videntur ex hominum vita ad deorum religionem et sanctimoniam demigrasse, testor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non secus ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare: ac, si pro illorum laude mihi arma capienda essent, non minus strenue caperem, quam illi pro communi salute ceperunt. Etenim, Quirites, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit, immensum gloriae.

XI. Quare, si eos, qui iam de vita decesserunt, ornabimus, iustiorem nobis mortis conditionem relinquemus. Sed, si illos, Labiene, quos iam videre non possumus, negligis, ne his quidem, quos vides, consuli putas oportere? Neminem esse dico ex iis omnibus, qui illo die Romae fuerint, quem tu diem in iudicium vocas, pubesque tum fuerit, quin arma ceperit, quin consules sequutus sit. Omnes ii, quorum tu ex aetate coniecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine, citantur. At occidit Saturninum Rabirius. Vtinam fecisset! non supplicium deprecarer, sed praemium postularem. Etenim, si Scaevae, servo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data est; quod equiti romano praemium dari par fuisset? et, si C. Marius, quod fistulas, quibus aqua suppeditabatur Iovis Optimi Maximi templis ac sedibus, praecidi imperarat, quod in clivo Capitolino improborum civium * *

Desunt non pauca.

Patriis fanis) Ernestius quia non recordabatur *patria fana* dici, malebat *sacris*.

Quod fistulas) Florus, lib. III, tubos, quibus aqua in capitolium ducebatur, praecisos scribit. Plutarchus in Mario. Appian. Civil. 1: *Saturninus aquae penuria coactus, deditionem fecit*. Hor.

Praecidi imperarat) Nempe ut siti, propter aquae penuriam, compelleret coniuratos ad deditionem

ORATIONIS
PRO C. RABIRIO AD QVIRITES
FRAGMENTVM

Ad fidem editionis NIEBVHRII V. CL. Romae 1820 (1).

I. 32. .... aret. Itaque non Senatus in ea causa cognoscenda, me agente, diligentior aut inclementior fuit quam vos universi, quum orbis terrae distributio-

Aret) Etsi omnium Ciceronis defensionum brevissima haec fuit, semihorae spatio circumscripta, tamen non pauca intercidisse videntur inter huius fragmenti initium et ea quae in hactenus editis ultima sunt. Amisso igitur nexu, quum id quoque perobscurum sit de qua re orator egerit in illa sectione cuius ultima tantum periodus legitur, multo magis difficile est perspicere quale fuerit istud vocabulum quo praecedens periodus terminabatur, cuius hae duae syllabae supersunt. Non tamen propterea omni coniectura probabili destituimur: et, si illa, quam proxima adnotatione exponam, vera est, suspicari licet verbum, inter pauca illa primae coniugationis quaerendum, quae o pura finiuntur, *dilaniare* esse, ut sensus integri membri eiusmodi fuerit: Senatum hoc egisse ne carnifex corpus civis Romani dilaniaret.

Causa) In his schedis in ista parisque rationis vocibus unum *s* scribitur. — Quae autem haec causa intelligenda est? Secundum ea quae paulo ante disputavi, de perduellionis iudicio sermonem esse arbitror, quod a senatu rescissum fuerit: de lege Servilia agraria, cuius mentio mox sequitur, certe non cogitandum est, de qua quum Senatus consuleret, causam non cognoscebat.

Diligentior aut inclementior) Duplex huius loci restituendi ratio adhiberi possit, tum ea quam secutus sum, ut pro *diligenter*, *diligentior* rescriberem, praesertim qui viderem in Fonteianae codice basilicae Vat. similiter erratum fuisse; tum alia longe violentior, ut post vocem *diligenter*, quasi a negligente librario omissa insererentur *aut severior*, vel simile quiddam. Sane *diligentia* est *agentis* (ad div. I, 5 *a nobis agentur omnia diligenter*): ac praecipue quidem senatoris et consulis qui referat: at illa non minus propria est *cognitionis causarum* (*causas diligenter penitusque cognoscere* de Orat. II, 24): quod autem sequitur *inclementior*, non ad causae cognitionem, sed ad

(1) Hoc non ita severe accipias velim; siquidem in vocibus nonnullis ab orthographia MSti mihi recedendum fuit, utpote a meo instituto abhorrens. Praetermisi etiam in notis paucula quaedam minimi momenti. Sed erunt fortasse, quibus haec nimia iam videbuntur. TYP.

nem atque illum ipsum agrum Campanum, animis, manibus, vocibus, re*pudiavistis*.

33. Idem ego quod is, qui auctor huius iudicii *est*, clamo, praedico, denuntio: nullus est reliquus rex, nulla gens, nulla natio quam pertimescatis: nullum adventicium, nullum extraneum malum est, quo*d insi*nuare in hanc *rempublicam pos*sit: si immorta*lem* hanc civitate*m esse* vultis, si aeter*num* imperium, si g*loriam* sempiternam *manere*, nobis a nost*ris cupi*ditatibus, a tu*rbulen*tis hominibus *atque no*varum rerum *cupidis, ab intestinis malis*, a domesticis co*nsiliis* est cavendum.

Senatum refertur. Atque *inclementius* egisse videri poterat Senatus, licet crudeli actioni tribuniciae adversaretur, dum senatosconsulto duumvirorum damnationem aboleret, tribunum in ordinem redigeret. Quid? quod ipsa legis Serviliae repudiatio hoc loco *inclemens* dicitur.

Repudiavistis) Plicata agglutinataque pagino praeter primas duas huius versus literas, ceterae perierunt: ita tamen ut ex literis DI nonnihil supersit.

Quod insinuare) Ita scripsi, omisso pronomine *se*, quia id facere ex usu Ciceronis liceret: de qua vide Graevium ad Verr. III a. 2, 68: quo tamen loco longe praestantior illa codicum familia, ad quam Nannianus, Fabricianus, Car. Stephani et Lagom. 42 pertinent, voculam illam inserunt. Hic autem numeri literarum ratio habenda erat, ne octo literae adderentur. Is numerus in singulis versibus nunquam XII minor invenitur, neque maior XVIII: itaque, desecta parte paginae, id videndum est ne ad explendas versuum extremitates plures literas addamus quam haec ratio fert. De breviore versu ne nimis solliciti simus: sunt enim inaequales. Denique animadvertendum est in summa pagina unam duasve literas amplius quam in ima abscissas esse. Vt igitur demonstrem contra hanc rationem a me factum non esse, sufficit ea colligere quae in hac columna siglis scripta restituta fuerunt: v. 4 RP. pro *rempublicam*; v. 10 ATQ. pro *atque*, denique v. 19 REMP. pro *rempublicam*.

Manere) Hanc vocem posui potius quam ut *esse*, quod supra locum sibi vindicavit, iterarem.

Ab intestinis malis, a domesticis consiliis) Integer versus in plicatura obliteratus fuit, quomodo autem is suppleretur, id a restauratione versus sequentis (13) pendebat. Vbi quum literae CO apparerent, occurrebat, fieri posse ut scriptum fuisset vel *coniuratis*, vel *coetibus*, vel *consiliis*: quorum quod primum est elegissem, tunc autem in superiore versu rescripsissem *a seditiosis Tr. Pl.*, nisi octo literae in fine additae, inter quas *u*, quae duarum spatium implet, nimiae visae essent. Itaque in ultimo

34. Hisce autem m*alis mag*num praesid*ium v*obis maiores ve*stri re*liquerunt, voc*em* illam Consulis, qui r*empublicam* salvam esse *vult*. Huic voci fav*ete*, *Quirites*, *neque v*estro iudicio *abstu*leritis mihi *rempublicam*,

vocabulo acquievi, quo posito praecedentis versus supplementum vix aliter constitui poterit. Habebam autem ante oculos quae prorsus similia Cicero ante paucos menses dixerat in Senatu, tribunos compellans, quaeque post Catilinae discessum in concione memoravit: adv. Rullum I, c. 9: *Nullum externum periculum est, non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est; inclusum malum, intestinum ac domesticum est.* In Catilinam II, c. 5: *Nulla est natio quam pertimescamus: nullus rex qui bellum populo Romano facere possit: omnia sunt externa pacata: domesticum bellum manet: intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis.*

Vocem) Caesar bell. Civ. I, 7: *Quotiescumque sit decretum, darent magistratus operam, ne quid RP. detrimenti caperet: qua voce et quo S. C. populus Romanus ad arma sit vocatus.*

Favete, Quirites) Nisi spatii angustiae obstare visae essent, longe praetulissem ita hunc locum supplere ut scriberem *favere debetis, Quirites*; raro enim Cicero, quum concionem alloquitur, imperativo utitur: scilicet, ne maiestatem populi parum colere videretur. Ita, ut unum ex pluribus exemplum afferam, in hac ipsa oratione, c. 2: *Sic enim existimare debetis, Quirites.* Ac sane si haec vox, *Quirites*, omitti posse ullo modo mihi videretur, hoc elegissem, quum ultimus versus saepe longius quam ceteri excurrere soleat.—Eadem ratione, ne imperare videatur, paulo post optativo utitur: haec enim indoles est futuri exacti, quando pro imperativo ponitur, licet dissentiant auctores quos sequuntur Charisius p. 229, et Diomedes p. 353. Qui futuri exacti usus quum apud priscos valde usitatus esset (ut illud Ennii est: *Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis*), serius fere exolevit, in defectivis tamen, re cogente, remansit. Neque, si cui placuerit in hoc loco rescribere, *huic voci faveritis*, ego quidem repugnaverim. *Quirites* per siglam Q. R. scribebatur; quae in codicibus optimae indolis haud raro obvia, in veterum libris desiderari videtur: sed apud Magnonem pro *queres* (quod Putschius *quaeres* fecit) *Quirites* rescribendum esse vix dubium esse potest.

Rempublicam) Hoc supplementum, nota REMP. scriptum, spatium postulat, quod amplius quatuor vel quinque literis non petitur, ex quibus une sequens vocabulum inchoare debet: ac nulla quidem de eius veritate restaret dubitatio, si locutione *rempublicam auferre* usum fuisse Ciceronem indicare possem. Verumenimvero quum sincerissimae sint illae: *rempublicam permittere, tenere, recuperare* (de Sullana nobilitate) ubi vocis *reipublicae* eadem vis est quam imperii et potestatis, de ea sollicitus non sum: quemquam fieri potest ut meliora ab aliis inveniantur. Mox *reipublicae* per siglam RP. scriptum fuisse necesse est: nam *P. R.* locum hic habere non crediderim.

neque eripueritis *reipublicae* spem libert*atis*, *spem* salutis, spem *digni*tatis.

35. *Quid fa*cerem, si T. Labie*nus c*aedem civium *fecis*set, ut L. Satur*ninus*, si carcerem r*efregis*set, si Capitol*ium cum armatis occupa*visset? Facerem *id quo*d C. Marius fe*cit*, *a*d Senatum r*eferre*m, vos ad rempublicam *def*endundam co*horta*rer, armatus *ipse* vobiscum ar*mato* obsisterem. *Nun*c quoniam armorum suspicio nulla est, tela non video, non vis, non caedes, non Capitolii atque arcis obsessio est, sed accusatio perniciosa, iudicium acerbum, res tota a Tribuno plebis suscepta contra rempublicam; non vos ad arma vocan*dos mihi esse*, *sed* ad suffragia cohortandos contra oppugnationem vestrae maiestatis putavi.

Itaque nunc vos omnes oro atque obtestor, hortorque. Non ita mos est, Consulem, cum es ....

II. 36. . . *t*imet: qui hasce ore adverso pro repu-

Dignitatis) In Rullum I, 6: *ut vobis non modo dignitatis retinendae, sed ne libertatis quidem recuperandae spes relinquatur.* Ac ne quis aliam vocem ad supplementum quaerat, propterea quod haec dichoreum exhibet, eius rei neque exempla apud Ciceronem desunt, neque praeceptum, quum doceat (Orat. 63): *Dichoreum non quidem sua sponte vitiosum esse in clausulis, sed quum semper sit idem: per se enim praeclare cadere* etc. Cf. Diomedem II, p. 467. Proximo versu, qui primus novae sectionis est, septem literae admittebantur, propterea quia primae ad laevam evagantur. — Mox quae confeci duorum versuum supplementa, ea vero nulla confirmatione egent.

Consulem cum etc.) Ambiguum videri potest utrum in hoc versu COS an EOS, CUM an EUM, scriptum fuerit. COS autem si scriptum fuit ut equidem plane arbitror, hanc siglam, qua omnes casus vocabuli *Consul* exprimuntur, hoc quidem loco accusativum exprimere vix dubium est. Atque, ne quis emendatione adhibita proximum fragmentum cum hoc coniungi posse sibi persuadeat, moneo, primam vocem, *timet*, ultimam eoli esse, quod proxime sequenti exaequatum fuisse necesse est, sex versus implenti.

Qui hasce) Caietanus Melior, Neapolitanus, qui novam editionem fragmenti Liviani cum Iuvenatii commentariis in urbe patria curavit, ut ei super additamenta quae a Iuvenatio expresserat, alias dotes prae Romana adderet, quinque paucorum versuum fragmenta ex diversis codicis locis petita collegit, quae omnia pro Ciceronianis venditavit, clamans,

blica cicatrices ac notas virtutis accepit, is ne quod accipiat famae vulnus pertimescit: quem nunquam incursiones hostium loco movere potuerunt, is nunc impetum civium, cui necessario cedendum est, perhorrescit.

37. *N*eque a vobis iam bene *v*ivendi, sed hones*t*e moriendi facul*t*atem petit: neque tam *ut* domo sua frua*t*ur, quam ne patrio *s*epulchro privetur, laborat. Nihil al*iud* iam vos orat atque *ob*secrat, nisi uti *ne se*

ultro loquentem se prodere M. Tullium. In illis hic quoque locus legitur, a verbis *qui hasce* usque ad illa *hostium loco movere:* atque hunc quidem ad Ciceronianam orationem pertinere, membranae ipsae, versa pagina, grandibus et conspicuis literis docebant, quod ille reticuit. In ceteris vero prodigiose erravit, quae omnia Senecae sunt, atque infra a me in Annaeanis fragmentis indicabuntur; fieri autem potuisse, ut ea a viro minime indocto pro Ciceronianis haberentur, id satis mirari non possum. Nam quod sectatores credulos nactus est, qui sibi adhuc acutius cernere visi sunt, eaque omnia, locum dico ex peroratione in causa capitis senatoris populi Romani, veterani militis, illosque de amicitia ex frigidis L. Senecae nugis, ad orationis pro Q. Comoedo initium retulerunt, id quidem flagitiosum ac ridendum est. In his igitur paucis versibus quaedam recte emendavit ille, quaedam male exhibuit: illud, quum pro *accipit*, *accepit*, pro UOLIUS quod in obliterata scriptura exstare videtur, fuit autem fortasse UOLTUS, *volnus* legendum esse indicat: hoc, quum INURI nullo sensu pro PRO RP, *advorso* pro *adverso*, *commovere* pro *loco movere* exhibet.

Cicatrices) Inter paucissima Q. Hortensii monumenta, quae aut ille scripta reliquit, aut a posteris lecta fuerunt, erat etiam C. Rabirii in hac ipsa causa defensio: ex qua quae Charisius p. 100 servavit verba, *cicatricum mearum*, ad locum prorsus similem pertinuisse apparet, ubi tamen Rabirium loquentem induxerat.

Vulnus pertimescit) Sic emendavi, quum in membranis scriptum sit *perhorrescit*, neque enim unquam mihi persuaderi patiar, ut credam hanc vocem quae paucis post versibus in proxime subsequentis incisi exitu iterum occurrit (*impetum civium perhorrescit*), adeo ingrate a Cicerone fuisse iteratam. Quo vero loco emendatio adhibenda esset, quum aures indicabant, tum vel maxime alius ipsius oratoris locus: in Verrem IV, act. 2, c. 35: *hanc tu tantam religionem si tum in imperio non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo periculo perhorresceis?* Hae autem voces a librariis permutantur: et in Catilin. II, c. 1, ubi ceteri libri omnes *intra domesticos parietes pertimescemus* legunt, unus, at is plane egregius, inter Lagomarsinianos, *perhorrescemus* exhibet; atque id, ut mea quidem opinio fert, recte.

Neque tam) Sic emendavi pro *iam*.

legitimo funere *et* domestica mor*te* privetis ; ut eum *qui* pro patria nu*llum* unquam mor*tis* *pe*riculum fugit, *in* patria mori pati*amini*.

38. Dixi ad id tempus *quod* mihi a Tribuno plebis pra*esti*tutum est : a vob*is peto* quaesoque, ut ha*nc me*am defensione*m* pro amici pericu*lo* *fi*delem , pro reipublicae salu*te* consularem pu*te*tis.

IN

L. CATILINAM

ORATIONES QVATVOR

ORATIONES

IN

L. CATILINAM

SVMMARIVM

L. Sergius L. F. M. N. Catilina nobili genere patricio natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Natus est circiter A. V. C. 646 patre L. Sergio, matre Belliena L. Bellieni filia (*Ascon. ad Cic. orat. in Tog. cand.*) Eius avum fuisse putat *de Brosses* (Hist. de la Rép. Rom. par *Salluste*. Tom. III, pag. 16.) *M. Sergium Silum* A. V. C. 605 quaestorem; proavum *M. Sergium Silum* A. V. C. 582 quaestorem; abavum vero *M. Sergium Silum* A. V. C. 556 praetorem, militari fortitudine in bello Punico secundo clarissimum; eundem Pighius ad A. 556 Catilinae proavum fuisse existimat. Patrem Catilinae pauperem fuisse testatur Q. Cicero de petit. cons. quum Catilinam in patris egestate natum dicit. In bello civili Sullae partes sequutus multos a Sulla proscriptos crudeliter occidit, in primis Q. Caecilium, Sergiae sororis virum, et M. Marium Gratidianum (*Ascon. l. l. Valer. Max. IX*, 2) Quaestor fuit A. V. 676; post quaesturam legatus C. Scribonii Curionis Macedoniam pro praetore regentis A. 678. Praeturam deinde gessit urbanam A. 686; ex praetura autem Africam provinciam obtinuit A. 687, eamque iniuriis et rapinis acerbe vexavit. Quum provincia decessisset, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente A. 688, Torquato et Cotta coss. Reo Torquatus consul affuit advocatus (*Cic. pro Sull.* 29). Cicero ipse aliquando eum defendere cogitabat (ad Att. I, 2); defendisse Fenestella tradidit, teste Asconio l. l, qui tamen id factum esse recte negavit. Clodius autem pecuniam a Catilina accepit, ut turpissime praevaricaretur (*de Harusp. resp. cap.* 20). Itaque in manifesto scelere tamen absolutus est. Iam anno superiore

Catilina contra rempublicam coniuraverat; de qua coniuratione sic narrat Sallustius cap 18: «Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Antonius circiter Nonas Decembres consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Ianuariis, L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita rursus in Nonas Februarias consilium caedis transtulerunt. Iam tum, non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur; quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.» A. V. C. 689, L. Iulio Caesare C. Marcio Figulo coss. Catilina consulatum petivit, una cum M. Tullio Cicerone, P. Sulpicio Galba, C. Antonio, L. Cassio Longino, Q. Cornificio, C. Licinio Sacerdote. Cicero adversus Catilinam et Antonium competitores orationem habuit in toga candida, cuius fragmenta tantum exstant. Catilina, quo facilius consulatum obtineret, iterum opprimundae reipublicae consilium cepit. «Igitur (ut narrat Sallustius, cap. 17) circiter Kalendas Iunias L. Caesare et C. Figulo coss. primo singulos appellare; hortari alios, alios tentare, opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniurationis docere. Vbi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnes convocat, quibus maxima necessitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Antonius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Serv. Sullae, Servii filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius, praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius, ad hoc multi ex coloniis, et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consilii huiusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necessitudo. Ceterum iuventus pleraque, sed maxime nobilium Catilinae inceptis favebat. Quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere, copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem malebant. — Istis igitur in abditam aedium sedem convocatis polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea esse in Hispania citeriore Pi-

sonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus circumventum; cum eo se consule initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnes bonos, suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, cupiditatis suae, complures periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacres videt, exhortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit. —— Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas quam audacia inerat; neque reticere quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare; prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montesque pollicere coepit: minari interdum ferro nisi obnoxia foret; postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curii causa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit; sed, sublato auctore, de Catilinae coniuratione, quae quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. — Igitur comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius. » Hactenus Sallustius. Post repulsam Catilina, quum C. Iulius Caesar quaestionem inter sicarios exerceret, reus factus est a L. Paullo, quod multos a Sulla proscriptos occidisset, iterum tamen absolutus est. A. V. 690. Catilina qui interea multa moliri et parare non destiterat, quae ad consilia in rempublicam perficienda spectarent, consulatum in annum proximum petere ausus est; « sperans, (*Sallust. cap.* 26) si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiae deerant. Namque a principio consulatus sui, multa pollicendo, per Fulviam effecerat, ut Q. Curius consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae (*Macedonia ei sine sorte concessa*) perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. Circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. » Comitia consularia quum indicta essent in ante diem XII Kal.

Nov. (21 *Oct.*), Cicero pridie de coniuratione Catilinae ad senatum retulit, perfecitque ut comitia in die V Kal. Nov. (28 *Oct.*) differrentur. Postridie frequenti senatu Cicero Catilinam excitavit, atque eum de rebus, quae ad se allatae essent, dicere iussit. Ille non se purgavit, sed indicavit atque induit (*Cic. pro Murena cap.* 25). Senatus vero decrevit: *darent operam consules ne quid respublica detrimenti caperet.* Quo decreto more romano (*Sallust. cap.* 29) magistratui maxima potestas permittebatur; exercitum parare, bellom gerere, coërcere omnibus modis socios atque cives, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere. Venit comitiorum dies V Kal. Nov. Cicero quum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina comperisset, descendit in campum lorica tectus et praesidio fortissimorum virorum munitus. Consules designantur D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena. Catilina, quum ei neo petitio consulatus, neque insidiae consuli factae prospere cessissent, constituit bellum facere et extrema omnia experiri. Igitur C. Mallium Fesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem io agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit. Ipse coniurationis principes intempesta nocte convocavit in domum M. Porcii Laecae (quae fuit in vico *inter falcarios* dicto) a. d. VIII Id. Nov. Vbi quum inter alia dixisset se Mallium praemisisse, et ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset, C. Cornelius eques et L. Vargunteius Senator constituerunt mane VII Id. Nov. cum armatis hominibus sicut salutatum introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius per Fulviam statim Ciceroni dolum, qui parabatur enuntiat. Is igitur domum suam maioribus praesidiis munivit, illos, qui eum interfecturi venissent, ianua exclusit. Tum Cicero VI Id. Nov. senatum in aedem Iovis Statoris, quae erat in via sacra, qua ad Palatium ascenditur convocavit. Venit eodem Catilina; simulatque assedit, omnes consulares partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt. Tum Cicero habuit

primam orationem in Catilinam

in cuius exordio statim Catilinae exprobrat audaciam, qua usus quamvis consilia sua patefacta esse intelligat, tamen in senatum venire non dubitet; cap. 1. Tum ostendit ex decreto Senatus, iam ante XX dies facto Catilinam interfici oportuisse; ut consules qui eum vivere adhuc passi sint, inertiae culpam contraxisse

videantur. Sed quod iam pridem factum esse oportuerit, id hanc ob causam se nondum adduci ut faciat, quod utilius sit urbem periculis ab eo intentatis eius discessu potius quam supplicio liberari; cap. 2. Itaque urbe excedere Catilinam iubet; nihil enim esse quod exspectet, omnibus eius consiliis illustratis et patefactis, cap. 3-5; nihil eum in hac urbe delectare posse, in qua nemo sit extra coniurationem perditorum hominum, qui eum non metuat, nemo qui non oderit; cap. 6, 7. Accedere, quod se ipse voluerit vitandae suspicionis causa in custodiam tradere M' Lepido, Ciceroni consuli, Q. Metello praetori, ut non longe videatur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicaverit, cap. 8; neque vero, etiam si de eius exsilio ad senatum non referat, obscuram esse senatus voluntatem; *ibid.* Ac si legum poenas non pertimescat, si temporibus reipublicae cedere nolit, magnam sibi ut inimico posse invidiam conflare, si recta pergat in exsilium; contra vero si consulis inimici laudi et gloriae servire malit, se eum invitare ut cum sceleratorum manu se ad Mallium conferat, bellumque apertum patriae inferat; nihil tamen hac invitatione opus esse, quum praevideat id Catilinam dudum meditatum, et mox eo iturum esse, quo eum iam pridem effrenata cupiditas rapiat; cap. 9, 10. Quod autem Catilinam urbe potius exire quam interfici iubeat, id hac ratione defendit, quod hoc uno interfecto reipublicae pestis paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi possit; quod si se eiecerit, secumque suos eduxerit, brevi futurum, ut non modo haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium exstinguatur; cap. 11, 12. In peroratione senatum confirmat, Catilinam malis ominibus prosequitur, et Iovem Statorem precibus invocat ad urbem imperiumque romanum defendendum, istumque et socios iustis suppliciis vivos mortuosque mactandos; cap. 13.

Hac oratione habita, Catilina (*Sallust. cap.* 31), ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare, Patres conscripti nequid de se temere crederent; ea familia ortum ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne aestumarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem romanam essent, perdita republica opus esse, quum eam iuvaret M. Tullius inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus, quoniam quidem circumventus, in-

quit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam. Dein se ex curia domum proripuit, et nocte intempesta cum paucis in Malliana castra profectus est. Postero die V Id. Nov. (9 *Nov.*) Cicero concione populi vocata

Orationem secundam ad Quirites

habuit. In qua primum populo discessum Catilinae gratulatur; cap. 1: deinde se excusat, quod tam capitalem reipublicae hostem non comprehenderit potius quam emiserit; ostenditque hanc non esse suam culpam, sed temporum. Etsi enim Catilinam supplicio affectum iam pridem oportuerit, multos tamen fuisse, qui quae in istum delata essent, non credituri, multos qui defensuri essent. Praeterea se vidisse, si morte multatus esset Catilina, fore ut eius socios invidia oppressus persequi non posset; cap. 2. Ac tantum abesse, ut eum hostem foris esse timendum putet, ut illud etiam moleste ferat, quod non omnes secum suas copias eduxerit; eos enim dum in urbe sint, magis metuendos esse; cap. 3. Itaque eos hortatur, ut aut urbe exeant, aut quiescant, aut si et in urbe et in eadem mente permaneant, ea quae mereantur, exspectent; cap. 5. Tum istos, qui Catilinam a se consule in exsilium eiectum esse querantur, sic refutat, ut postquam, quid hesterno die actum esset, narraverat, doceat Catilinam ipsum, ad bellum patriae inferendum in castra Malliana, non in exsilium abiisse. Se quidem eius rei invidiam haud detrectare, si in exsilium iverit, et consulis minis eiectus esse dicatur. Sed eum non esse iturum confirmat; cap. 7. Sed non tam de uno hoste, et de eo qui se hostem fateatur, agendum esse, quam de iis qui dissimulent et Romae remanserint. Horum sex genera esse, quibus singulis medicinam consilii sui se allaturum ostendit. Primum eorum qui magno in aere alieno maiores etiam possessiones habeant, quarum amore adduci ad aes alienum dissolvendum illis vendendis non possint; cap. 8. Alterum eorum, qui quamquam premantur aere alieno, dominationem tamen exspectent, honoresque, quos quieta republica desperent, perturbata consequi se posse arbitrentur. Tertium genus esse ex iis coloniis, quas Sulla constituerit, qui se insperatis pecuniis sumptuosius iactarint et in magnum aes alienum inciderint, qui etiam nonnullos agrestes homines egentes in eandem spem rapinarum veterum impulerint; cap. 9. Quartum eorum, qui partim inertia, partim male gerendo negotio, par-

tim sumptibus in vetere aere alieno vacillent. Quintum parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum. Postremum eorum, qui quasi Catilinae cohortem praetoriam constituant, aleatorum, adulterorum et similium; cap. 10. His omnibus praesidia luculenta atque ornamenta opponi posse ostendit, et his omissis, si ipsae causae, quae inter se confligant, contendantur, facile, quam illi iaceant, intelligi posse; cap. 11. Itaque cives bene sperare; cap. 12. Catilinae autem socios iterum exire, aut si maneant, quiescere iubet; ceterum populo pollicetur se curaturum ut bellum intestinum, nullo tumultu, se uno togato duce sedetur, hortaturque Qnirites, ut salutis reipublicae causa deorum immortalium auxilium implorent; cap. 13.

Postquam Catilinam in castra Malliana profectum esse Romae compertum est, senatus, ut narrat Sallustius cap. 36 sqq. Catilinam et Mallium hostes iudicat; praeterea decernit, uti Consules delectum habeant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit. Eodem tempore Lentulus Sura P. Vmbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque si possit, impellat ad societatem belli. Vmbrenus postquam eos videt queri de avaritia magistratuum, eos in domum absentis Bruti foro propinquam ducit, ibi praesente Gabinio coniurationem aperit, socios nominat, dein eos pollicitos operam suam dimittit. Allobroges re deliberata, pro incerta spe, certa praemia mereri malunt; Q. Fulvio Sangae rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero per Saugam consilio cognito legatis praecipit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, deotque operam, ut eos quam maxime manifestos habeant. — At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerunt, ut Catilina in agrum Fesulanum quum venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissimi invidiam optimo consuli imponeret; eo signo proxima nocte cetera multitudo coniurationis suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur. Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem, ceteros, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eum vi aggrederetur; alius autem alium, filii familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars, parentes interficerent, simul caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent.

— Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt, ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad cives perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant; Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his Vulturcium quendam Crotoniensem mittit, ut Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Vulturcio literas ad Catilinam dat. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant. Homines militares, sine tumultu, praesidiis collocatis, sicuti praeceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Vulturcio venere et simul utrinque clamor exortus est, Galli, cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt. Vulturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus, ac vitae diffidens, veluti hostibus, sese Praetoribus dedit. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios consuli declarantur. Hactenus Sallustius.

Cicero senatu III Non. Dec. mane in aedem Concordiae convocato, arcessitisque coniurationis principibus, eos indiciis literisque convincit. Senatus eos in custodiam tradi iubet, Ciceroni supplicationem decernit. Eodem die sub noctem in concione populi habuit

Orationem tertiam in Catilinam

in qua primum rem omnem, de patefactis coniuratorum consiliis, enarrat, cap. 1—5; deinde quid senatus censuerit, nondum perscripto SCto, ex memoria exponit; in primis de coniuratis in liberam custodiam traditis; cap. 6. (Nimirum ut Sallustius narrat cap. 47 Senatus decreverat, ut abdicatus praetura Lentulus, item ceteri in liberis custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Caeparius, nam is paulo ante ex fuga retractus, Cn. Terentio Senatori traditi sunt). Itaque Cicero populum existimare iubet,

omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes his depulsis urbis periculis concidisse, cap. 7, eaque deorum immortalium nutu atque consilio gesta et provisa esse, quod quum aliis prodigiis tum praesertim simulacro Iovis hoc ipso die in Capitolio statuto confirmat; cap. 8, 9. Postremo, Quirites hortatur ut supplicationem decretam cum coniugibus ac liberis celebrent, cap. 10, seque nullum praemium pro tantis rebus gestis practerquam huius diei memoriam sempiternam postulare, significat, cap. 11, hortaturque eos ut provideant, ne sibi sua facta aliquando noceant; postremo eos aeque ac priore nocte tecta custodiis vigiliisque defendere iubet; cap. 12.

Nonis Decembr. 5 Dec.) senatu in templum Iovis Statoris convocato, deliberatum est de poena coniuratorum. Quumque duae essent propositae sententiae, altera D. Silani consulis designati, altera C. Iulii Caesaris, antequam ceteri sententias rogarentur Cicero habuit

Orationem quartam in Catilinam

in qua primum gratias agit Patribus conscriptis, quod videantur de suo periculo esse solliciti, petitque ut sibi et patriae consulant, de se cogitare desinant; cap. 1 2. Tum eos, qui in custodiam dati sint, senatus iudiciis iam damnatos esse ostendit; de eorum poena autem, quidquid statuatur, ante noctem statuendum esse; cap. 3. Deinde duas exponit sententias adhuc dictas: primam Silani, qui censuerat, eos morte esse multandos, alteram C. Iulii Caesaris, qui eos bonis publicatis, in vinculis sempiternis habendos esse censuerat, per municipia, quae maxime opibus valerent; neu quis de his postea ad Senatum referret, neque cum populo ageret; qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. Vtramque sententiam ita comparat, ut tamen se magis in Silani sententiam inclinare tecte significet; cap. 4 — 6. Deinde refutat eos, qui vereantur, ne consul satis praesidii habeat, ad ea quae senatus de coniuratis statuerit, transigunda, omniumque bonorum et omnium ordinum mirum esse consensum in defendenda reipublicae salute demonstrat, cap. 7, 8. Itaque quoniam senatui populi Romani praesidia non desint, ipsi ne populo Romano deesse videatur providendum esse, cap. 9. Postremo suam constantiam praedicat, suique consulatus memoriam et filii salutem, si quid sibi acciderit, senatui commendat, atque ut de coniuratorum poena, h. e. de uui-

versae reipublicae salute diligenter ac fortiter decerunt, hortatur. Haec postquam Cicero dixit, M. Porcius Cato sententiam rogatus orationem habuit, a Sallustio cap. 50 relatam, qua de coniuratis confessis sicuti de manifestis rerum capitalium more maiorum, supplicium sumendum esse censuit.

Itaque quum Senatus in Catonis sententiam discessisset, consul ea ipsa, quae instabat nocte, triumviros quae supplicium postulabat parare iubet. Deinde Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Caeparius in locum carceris, qui Tullianum appellabatur, deducti, ibique quibus praeceptum erat, iis laqueo gulam fregerunt. Ipse autem Catilina anno proxime sequente 692, initio Ianuarii in agro Pistoriensi a Petreio C. Antonii proconsulis legato cum exercitu caesus est. Manlius et Fesulanus in primis pugnantes ceciderunt; Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus. *Sallust. cap.* 61.

I.

Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil

Quousque tandem) Non putarat, ut videtur, Cicero Catilinam eo die in senatu affuturum. Sed quum eum, praeter spem, adesse vidisset, subita indignatione commotus, in haec verba prorupit. MVRET.

Nos eludet) Quasi afflictis prostratisque nobis insultabit. Verbum gladiatorium. Illud quoque annotandum, quod de furore et audacia, quasi de re quapiam animata, loquutus est. Recte enim admonet Fabius, mirum ex eo sublimitatem oriri, quum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus. ID.

Effrenata) Ernestio videtur excidisse *tua*.

Nocturnum praesidium) Periculosis temporibus praesidium palatio imponi solebat, quod illud qui occupasset, urbem facile in potestate habiturus videbatur. MVRET.

Nihil urbis vigiliae) Decreverat enim senatus, ut per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praeessent. *Sallustius.* ID.

Nihil timor populi) Nam et tumultum senatus decreverat, ut est apud Dionem, et Cicero ipse, ad indicandam periculi magnitudinem, comitiorum die loricatus in campum descenderat. ID.

Concursus) Edd. Nang. Msn. Lamb. *consensus.* Et sic Quintilian. IX, 3, 30.

Nihil hic munitissimus) Senatum

hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? constrictam iam horum omnium conscientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora! o mores! Senatus haec intelligit; consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit; fit publici consilii particeps; notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes, satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iampridem oportebat; in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes iamdiu machinaris. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit: Catilinam orbem terrarum caede atque

Cicero habebat in templo Iovis Statoris, quod erat in Capitolio, loco scilicet munitissimo. FERRAT.

Nihil Moverunt?) *Movent* cod. Duisb.

Constrictam) Id est tuam ab omnibus coniurationem ita cognosci, ut neminem prorsus fugiat. Metaphora a belluis deprehensis, et in vincula coniectis. *Anon.*

Horum omnium) Ita Graevius auctoritate codd. Colon. Franc. Vulgo *omnium horum.*

Conscientia) *Scientia* cod. Duisb.

Vivit? immo vero) *Vero* quod abest a MSS. nonnullis, e. c. Pal. 6, Duisb. delevit Graev.

Nos autem, viri fortes) Εἰρωνεία. Non enim in cautione, sed in animi magnitudine ac praesentia posita est fortitudo. MVRET.

Iussu consulis) Sed poteratne consul imperare, ut quisquam ad mortem duceretur? Poterat ubi ei S. C. commissa erat resp. ID.

P. Scipio) P. Cornelius Scipio Nasica Serapio, eius, qui optimus vir a senatu iudicatus erat, nepos; eius, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patrui, ipsius autem Tiberii consobrinus. *Paterculus.* ID.

Privatus interfecit) Video interpretes conturbari, quod idem et Pontifex Max. et privatus esse dicatur: in eo autem nulla repugnantia est. Pontificatus enim magistratus non est. Quare nihil prohibet eundem et pontificem maximum esse, et privatum. ID.

Catilinam) Vulgo additur *vero*,

incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicae consilium, neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus: occisus est cum liberis M. Fulvius, consularis. Similis senatusconsulto C. Mario et L. Valerio consulibus permissa est respublica. Num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis, et C.

quod abest Quintil. VIII, 4, 13, recte eiectum a Manut. Lamb. al. Idem pro vulg. *orbem terrae*, habet *orbem terrarum.*

Nam illa) Historia ex Livio lib. IV petenda est. MURET.

C. Servilius) Olim edebatur *Q. Servilius.* Recte praenomen correxit Ern. auctoribus Mureto, Pighio, aliis.

Habemus) Vulgo olim addebatur *enim*, quod quum absit codd. Muret. Pith. Franc. Duisb. delevit post Graevium Ernestius. Heumanno et Morgensternio placebat *enim vero.*

Nos, nos, dico aperte, consules) Priscian. lib. XVII, p. 1076: *nos, nos dico aperte, nos consules.*

Clarissimo patre, avo, maioribus) *Patre natus, avis, maioribus* edd. Vict. Man. Lamb.

M. Fulvius) M. Fulvius Flaccus, quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris IIIvirum nominaverat, sociumque regalis potentiae assumpserat. MURET.

Num unum—poena remorata est?) Vulgo *num — et C. Servilium praetorem mors ac reipublicae poena remorata est.* Et sic Graev. Ern. At quia haec verbi *remorari* constructio paulo insolentior est, Lambinus edidit: *num unum diem postea L. Saturnini trib. pl. et C. Servilii praetoris mortem ac poenam dignitas eorum remorata est?* Breitingerus Mus. Helv. part. XV, ita legendum censet: *num unum diem postea in L. Saturninum trib. pl. et Servilium praet. respublica poenam remorata est?* Heumannus corrigendum putabat: *Num unum diem potentia L. Saturnini trib. pl. et C. Servilii praetoris*

Servilium praetorem P. R. poena remorata est? At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi senatusconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convênit. Vivis; et vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, Patres conscripti, me esse clementem; cupio in tantis reipublicae periculis me non dissolutum videri: sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. Castra sunt in Italia contra rempublicam in Etruriae faucibus collocata; crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium, intra moenia, atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius

mortem eorum ac poenam remorata est? Ernestius vero sic: *Num unum diem L. Saturnini trib. pl. et C. Servilii praetoris mors ac poena remorata est?* Ceterum Muretus, qui in optimo codice (olim ad Dominicum Grimanum Cardinalem pertinente) invenerat: *C. Servilium praet. reip. poena remorata est*, correxit *C. Servilium praetorem populi Romani poena remorata est;* quod sane optimum videtur; nam *mors ac poena* friget, nisi velis pro *mortis poena* accipere.

At nos) *At vero nos* cod. Mureti. Recepit Lamb.

Tanquam gladium) *Gladium* abest in compluribus MSS. ut Pall. duobus Graev. Franc. aliis, et omiserunt id Grut. Graev. alii. Defendit Ern. quia praecedat *inclusum*, quod si abesset, ferri posse *verumtamen in tabulis tanquam in vagina reconditum.*

Convenit) Est praeteritum, ut paulo post *iampridem factum esse oportuit.* Mureti coniectura nihil opus est: *quod quidem senatusconsultum confestim interfectum te esse Catilina quum velit; vivis* etc.

Me ipse) Sic Graev. e MSS. Vulgo olim *me ipsum.*

Castra sunt in Italia) Cn. Manlius habebat tum exercitum Faesulis prope Florentiam, quem collegerat ex veteranis Sullae militibus, in cuius castris ille militaverat. *Anon.*

Si te iam) *Iam* deest cod. Duisb. et in MSS. aliquot Quintil. Inst. or. IX, 3, 19.

factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse oportuit, certa de causa, nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiam te, quum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives; et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede; obliviscere caedis, atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae etiam mecum licet recognoscas. Meministine, me ante diem XII Kalendas novembr. dicere

Factum esse dicat) Ita codd. IV ap. Graev. at plerique edd. Nonnulli *dicant*.

Interficiam te) Graev. e MSS. *interficiere*.

Obsessus) Cod. Franc. Lamb. duo, Duisb. aliique *oppressus*. At contextus aperte postulat *obsessus*.

Coetus) In cod. Franc. duobus aliis Graev. est *coeptus*. Id etsi Graevius non temere damnandum censebat, tamen haud est eiusmodi, ut vulgato *coetus* praeferri debeat. Respiciuntur enim coetus nocturni, quorum iam supra mentionem fecerat c. 1, domo M. Laecae c. 4.

Voces) Ita Graev. e codd. MSS. Olim edebatur *vocem*, quod Ernest. retinuit.

Si illustrantur) Non. Marcell. v. *lustrare* legit *lustrantur*. Sed recte se habet volgatum, quod etiam legitur ap. grammaticos Charis. et Diomedem. Sc. *illustrantur* opponitur *tenebris*, *erumpunt* verbis *parietibus continere*.

Muta iam istam mentem) Non cohortatur eum ad sanitatem, quod se frustra facturum sentiebat: sed ait, nihil esse, quod in urbe manens de caede atque incendiis cogitet: quare aliud ei consilium esse capiendum, et in Manliana castra exeundum. MVRET.

Mihi crede) Haec Heumannus transponi volebat ante *teneris undique*.

Ante diem XII kalendas novembris) Magnam nobis lucem hic locus affert

in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembris, C. Mallium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, caedem te optimatum contulisse in ante diem V Kalendas Novembris, tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipso die, meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, quum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas? Quid? quum tu te Praeneste Kalendis ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse con-

ad hanc historiam subtiliter intelligendam, quam profecto et Sallustius, et ceteri mirabiliter confuderunt. Ac primum sciendum est, in hunc diem primo edicta fuisse comitia consularia. Sed quum pridie eius diei Cicero Catilinae consilia ad senatum detulisset, factum est S. C. ne postero die comitia haberentur, ut de iis rebus in senatu agi posset. Nam aliter comitiali die senatus haberi non poterat. Postridie igitur, id est, ut ait Plutarchus, ipso comitiorum die, Cicero frequenti senatu Catilinam excitavit, atque eum de iis rebus iussit, si quid vellet, quae ad se allatae essent, dicere. Tum ille dixit, duo corpora esse reip. unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite: huic, quum ita meritum esset, caput se vivo non defuturum. His auditis, decrevit senatus, ut viderent consules, ne quid resp. detrimenti caperet. Haec sumpta sunt e Mureniana. Iam igitur, quum Asconius dicat, diem, quo haec habita oratio est, a commissa consulibus rep. duodevicesimum fuisse, profecto si quis rationem dierum ineat, videbit, eam, ut nos diximus, habitam VI id. novemb. Hac autem in parte aliorum errata persequi piget. MUR.

Certo die fore in armis) Graev. e codd. MSS. et edd. vett. ita scripsit: *fore in armis certo die.* Quod sequuti sunt Oliv. Lall. Oxx. Beck. Fortasse tamen verba *fore in armis* transponenda sunt ante *C. Manlium.*

C. Mallium) Sic cod. Gembl. ap. Lipsium, it. IV codd. Oxx. Et sic ediderunt Oliv. Lall. Oxx. Morgenstern. Beck. Plerique codd. et edd. *Manlium.*

In ante diem) Idest, in die, qui esset ante diem, in quem dilata fuerant comitia. *Anon.*

fideres, sensistine, illam coloniam meo iussu praesidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam, sed etiam non videam, planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem. Iam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Laecae domum: convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. O dii immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam rempublicam habemus? Hic, hic sunt, nostro in numero, Patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo nostrumque omnium interitu, qui de huius urbis,

Praesidiis) Vulgo *meis praesidiis*, in quo *meis* recte deleverunt Ernest. Beck.

Non modo non audiam, sed etiam non videam) *Non modo audiam, sed etiam videam* Graev. e cod. MSS. et edd. vett.

Noctem illam superiorem) Sic recte Graevii MSS. quod receperunt etiam Ern. Beck. Olim *illam superiorem noctem*.

Illam superiorem noctem) Non ita, ut opinor, loquutus esset, si proximam noctem indicare voluisset. Mvret.

Inter falcarios) Falcarii milites fuerunt, qui falcibus erant armati. Vide Priscianum lib. 8. Forte etiam hic translate loquitur appellando participes coniurationis *Falcarios*, qui ferro et flamma demetere civitatem volebant; nisi forte vicus sit Romae ita appellatus, in quo M. Laecae domus sita erat. *Anon.*

M. Laecae) Ita Graev. e vet. cod. Lall. e Pariss. Vulgo *Leccae*.

In qua urbe vivimus? quam rempublicam habemus?) Hunc verborum ordinem e codd. Muret. Pith. Graev. 2, Franc. restituit Graevius, quem imitati sunt Ern. Lall. etc. Olim inverso ordine legebatur *quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus?* et sic etiam Donatus ad Ter. Adelph. IV, 5, 52.

Nostro in numero) Sic Graev. ex omnibus quos ipse vidit codd. Recte, quia maior vis est in *nostro*. Vulgo *in nostro numero*.

Qui de meo, nostrumque omnium interitu) *Qui de nostrum omnium interitu* codd. Muret. Graev. 1, Barb; *qui de nostro omnium interitu* cod. Graev. 2, Pith.

atque adeo orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo: et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina; distribuisti partes Italiae; statuisti quo quemque proficisci placeret; delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres; descripsisti urbis partes ad incendia; confirmasti, te ipsum iam esse exiturum; dixisti paululum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites romani, qui te ista cura liberarent, et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me meo in lectulo interfecturos pollicerentur. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu mane ad me salutatum miseras, quum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

V. Quae quum ita sint, Catilina, perge quo coepisti; egredere aliquando ex urbe; patent portae; proficiscere. Nimium diu te imperatorem illa tua Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos. Purga urbem. Magno me metu

Etiam nunc) Recte Graev. sic reposuit e MSS. suis, quibuscum alii quoque consentiunt. Repugnat quidem Ernestius, quia hic sermo sit de re praeterita. At enim tempus praeteritum tantum est in *dixisti*. Catilina autem dicere non poterat, *etiam tum*, sed *etiam nunc*.

Vixdum etiam coetu vestro dimisso) Fulvia enim media nocte ipsamet ad Ciceronem profecta, hoc ei indicavit. *Plutarch. Sallust.* Muret.

Quae quum ita sint) Argumentationis summa est. Si omnia tua consilia nota sunt, exire debes; sunt autem nota; tibi igitur est exeundum. Annota autem, ut haec tota pars tum brevibus membris, tum incisis, tum etiam iis, quae incisis breviora sunt, contineatur: quod dicendi genus ad imperandum, et perterrefaciendum aptum esse, tradit Demetrius. Id.

Proficiscere) Sic codd. consentiunt: etiam Quintil. Inst. Orat. IX, 3, 45. Rufinianus autem de figg. c. 27: *Quid exspectas? proficiscere; nimium iam diu* —

liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, quod hanc tam tetram, iam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda reipublicae. Quamdiu mihi, consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo, et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato: denique, quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti: quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse coniunctam. Nunc iam aperte rempublicam universam petis; templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium et vastitatem vocas.

VI. Quare, quoniam id, quod est primum, et quod

Habenda est gratia) *Gratia* auctoritate utriusque sui et Franc. cod. Graev. transposuit post *huius urbis*; idque imitatus est Beck. At si quid mutandum sit, malim tres voculas *habenda est gratia* post *huius urbis* reponere. *An.*

Saepius in uno homine) Idest non est ferendus diutius ille homo, qui saepius remp. perdere voluit. Aliam enim iam coniurationem Catilina molitus fuerat.

Summa salus) Recte Graev. e cod. suo primo sic reposuit, pro vulg. *salus summa.* Et sic MSS Cuiac. Barb. it. edd. Herv. Naug. Heumannus voc. *salus* deleri iussit.

Proximis comitiis) Habitis a me: quibus designati sunt Silanus et Murena. MVRET.

Conatus tuos nefarios) Sic Graev. e cod. utroque suo et Franc. Vulgo *tuos nefarios conatus.* Ernestio placebat *nefarios tuos conatus.*

Petisti) Verbum gladiatorium. MVRET. Gladiatorium enim impetus petitiones dicebantur. *An.*

Quare — proprium est) Ita Graev. et cod. Barb. Vulgo *quare quoniam id, quod primum atque huius — proprium est.* In codd. Mureti sic: *quare quoniam id quod est primum, quod huius — proprium est.* In duobus Graevii codd. it Franc. et Duisb.

huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo: faciam id, quod est ad severitatem lenius, et ad communem salutem utilius. Nam, si te interfici iussero, residebit in republica reliqua coniuratorum manus. Sin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa reipublicae sentina. Quid est, Catilina? Num dubitas id, me imperante, facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exsilium? non iubeo: sed si me consulis, suadeo. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est, extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? [quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae?] [1] quae libido ab oculis, quod facinus

quare quoniam id, quod est primum, et quod est huius — proprium.

Tuorum comitum—sentina) Vulgo: *tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae.* Ernestio suspectum videbatur *reipublicae*, quia sufficiat *ex urbe*. Cui assentirer, si *reipublicae* genitivus esset habendus. Sed si dativo casu acceptum construatur cum *perniciosa*, nihil est aptius. In quo tamen commodius visum illud inter *perniciosa* et *sentina* interponi.

Iubet consul hostem) Sic Graev. e cod. Franc. et suo utroque. Vulgo *consul hostem iubet.*

Non iubeo) Ne poterat quidem: nulla enim lex erat apud veteres Romanos, quae ullum maleficium exilio multaret, sed in exilium ibant, qui legis multam sufferre in civitate nolebant. *Cicero* pro Caecina. Mvr.

Quid est enim Catilina) Ita Graev. ex iisdem codd. Vulgo *quid enim Catilina est.*

Domesticae turpitudinis) Si Sallustio, Plutarcho et Apronio credamus, Catilina fratrem occidit et filium, ut Aureliam Orestillam uxorem duceret, et filiam denique suam violavit. *An.*

(1) Assentior Heumanno qui verba uncis inclusa spuria esse censet et ex antecedentium interpretatione nata. Nihil enim afferunt quod non elegantius iam dictum sit in verbis *quae nota — inusta vitae tuae est?* Praeterea inepte dicitur *privatarum rerum dedecus.* Denique *infamiae* ferri posse recte Ern. post alios negavit. Itaque auctore Ant. Augustino Lambin. rescripsit *in fama.* Gruterus malebat *tuae famae.* Ern. *famae tuae.* — Olivetus haec sic interpretatur: Nullum est privatarum rerum dedecus, quod

a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetulisti? Quid vero? Nuper, quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? Quod ego praetermitto, et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quae omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam reipublicae, atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent. Potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalendas Ian. Lepido et Tullo

tuo nomini, tuae famae et infamiae non haereat. T.

Ad audaciam ferrum) Scribit de eo Sallustius, quod iuvenes sibi devinciebat, quos secundum cuiusque studium accendebat ad vitia.

Vacuefecisses) Ita dedit Graev. e codd. Lamb. S. Vict. Hittorp. Fabric. Pith. al. Antea edebatur *vacuam fecisses*; quod defenderunt Heumann. et Bentleius ad Horat. epp. II, 2, 92.

Vacuefecisses) Suspiciose significat, eam ab ipso necatam. MVRET.

Alio incredibili scelere) Vel quod filium occiderit, ut est apud Sallustium: vel quod filiam suam, ex adulterio susceptam, in matrimonium duxerit; quod ei obiicit Cicero in oratione, quam habuit in toga candida. Plutarchus eum, praeter parricidium fratris, ait, filiae suae virgini vitium obtulisse. ID.

Proximis idibus) Quo die usuram creditae pecuniae feneratori solvere necesse erat. *Horat.* Epod. II, 69. MANVT.

Summam reipublicae) Graev. e cod. I, et Pith. it. Lallem. e codd. Pariss. *summam rempublicam*.

Haec lux) Vulgo olim *huius vitae haec lux*. Ernestius *huius vitae lux*, ut est in nonnullis codd. MSS. Recte vero Lamb. Graev. Lallem. Morgenstern. meliorum librorum auctoritate dederunt *haec lux*.

Pridie kalend. ianuar.) M. Aemilio Lepido, L. Volcatio Tullo coss. quum P. Autronius, et P. Cornelius Sulla coss. designati, ambitus poenas dedissent, inque illorum locum L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus

consulibus, stetisse in comitio cum telo? manum, consulum et principum civitatis interficiendorum causa, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum, sed fortunam populi romani obstitisse? Ac iam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multo post commissa. Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi? Nihil agis, nihil assequeris, neque tamen conari ac velle desistis. Quoties iam tibi extorta est sica ista de manibus?

suffecti essent: Catilina, qui, repetundarum reus a P. Clodio Pulchro factus, consulatum petere prohibitus esset, indignatione et odio in remp. accensus, cum Autronio et Sulla (certe quidem cum Autronio), aliisque nobilibus viris, consilium iniit interficiendi ad kal. ian. novos consules, restituendique consulatus iis, qui abdicare coacti erant, occupatamque rempublicam pro sua libidine moderandi. Id consilium initum est circa nonas decemb. Eius rei causa, pridie kal. ian. Catilinam, Cicero ait, in comitio stetisse cum telo: tum, ut opinor, quum abeuntes magistratu consules ad populum e rostris ex more verba facerent. Postridie, quum M. Crassus, qui et ipse coniuraverat, mutato, ut creditur, consilio, non affuisset, ideoque C. Iulius Caesar, ipse quoque eius coniurationis particeps, signum, quod convenerat, non dedisset (erat autem signum, ut togam de humero deiiceret), res ulterius progressa non est, sed dilata in non. febr. Tum quoque aliquod amicum P. R. numen effecit, ut Catilina, priusquam armati convenissent, signum daret. Id P. R. saluti fuit. Haec a Sallustio, Asconio, Suetonioque collegi. MVRET.

Lepido et Tullo consulibus) M. Aemilio Lepido et L. Volcatio Tullo A. V. C. 687.

Fortunam populi Romani) Sic Lamb. et Graev. e MSS. Vulgo *fortunam reipublicae*.

Non multo post commissa) Minus recte Schutzius, post alios: *non multa post commissa*: ideoque vulgatam revocavi *non multo post comm.*: id est, *non ita pridem*. Haud me fugit, Lambinum iam ita scripsisse: *non multa postea commissa*, et Graevium a codice utroque suo dedisse: *non multa commissa postea*. At ista, interpretatione destituta, nemini satisfacere posse mihi videntur. TYP.

Effugi) Breitingerus in Museo Helv. Part. XV, legendum censebat *elusi*. Lambino placuerat *evasi*. Lipsius in aliquot codd. invenit *excessi*.

Nihil assequeris) Volgo adduntur ista: *nihil moliris*, *quod mihi latere valeat in tempore*, quae recte iam Morgensternius a textu eiecit, Beck. uncis inclusit. Sunt enim haud dubie spuria et parum latina, nedum Cice-

quoties vero excidit casu aliquo et elapsa est? tamen ea carere diutius non potes: quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse consulis in corpore defigere.

VII. Nunc vero, quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paulo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt? quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et, si me meis

roniana. Accedit quod verba, *quod mihi latere valeat in tempore* absunt in codd. Pall. 6, 9, S. Vict. Graev.

Et elapsa est) Ineptissimum emblema *tamen ea carere diutius non potes*, quod h. l. addebatur, recte Heumannus eiici iussit. Cur enim Cicero hoc diceret? Nam etiamsi Catilinae sica saepius vel extorta erat e manibus vel elapsa, non tamen ideo sica carebat. Praeterea prorsus inficetc nexus orationis hoc additamento interrumpitur. Fortasse sciolus aliquis hoc e capite 9 hic intrusit, ubi de aquila a Mallio praemissa apte dicitur: *tu ut illa diutius carere possis*. — Temere eiecta, ut mihi persuadeo, in suam sedem reduxi. Typ.

Quibus abs te initiata sacris) Sententia est: Ita te geris, ut vovisse videaris alicui Deo, te sicam illam in consulis corpore defixurum. Hac enim Cottam primo et Torquatum, deinde me consulem saepe iam e medio tollere conatus es. Muret.

Necesse putas esse) *Esse* quod in aliis abest Lambin. e suis codd. et Graev. e primo suo et Franc. addiderunt.

Quae tua est ista vita?) Graev. e cod. Franc. dedit, *quae est ista tua vita?*

Vacuefacta) Sic Lamb. Graev. Ern. alii e MSS. Pal. 9. Fabr. Hittorp. Vict. et al. Olim *vacua facta*.

Servi mehercule mei — putarem) Haec verba citantur ap. Quintil. VIII, 4, 10.

civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem: tu, quum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum, et iam tibi diu debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses; ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et iamdiu te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere, neque iudicium sequere, neque vim pertimesces? Quae tecum, Catilina, sic agit, et quodammodo tacita loquitur: «Nullum aliquot iam annis facinus exstitit, nisi per te; nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges ac quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam

Offensum) *Infensum* laudat Mur. e libris vett. quod ab eo probatum recte repudiarunt Lambin. Gruter. Graev.

Infestis oculis omnium) Graev. ex uno cod. *infestis omnium oculis*.

Iamdiu te nihil iudicat) Sic Lamb. Manut. Morgenstern. Beck. recte. Olim edebatur *iamdiu de te nihil iudicat*.

Aliquot iam annis) *Iam aliquot annis* ap. Quintil. IX, 2, 32, ubi verba *quae tecum — nisi per te* laudantur.

Tu non solum ad negligendas leges) Negligit leges ac quaestiones, qui earum metu a peccando non continetur; easdem perfringit, qui, quum in iudicium adductus, manifesto teneatur, aliqua tamen via elabitur. Catilina autem primum accusatus fuerat repetundarum, Lepido et Tullo coss. atque absolutus per praevaricationem accusatoris P. Clodii: deinde etiam caedis, consulibus Caesare et Figulo, ut est apud Dionem, et tunc quoque absolutus. Hoc quoque ipso tempore interrogatus erat lege Plautia ab L. Paulo. *Sallustius*. MVRET.

Ad negligendas leges) In cod. Fabr. et Hittorp. *ad vertendas*, unde Guilielm. legi volebat *evertendas*. Idem paulo post pro *evertendas* praeferebat *evincendas* quod habent codd. Muret. Pall.

ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter te unum; quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat: non est ferendum. Quamobrem discede, atque hunc mihi timorem eripe: si est verus, ne opprimar; sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.» Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit?

VIII. Quid? quod tu te ipse in custodiam dedisti? quod, vitandae suspicionis causa, apud M' Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es, atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur; ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus, ad sodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigrasti: quem tu

Tamen, ut potui, tuli) Cod. Fr. *tamen pertuli ut potui.* Ed. Ven. 1, *tuli tamen, ut potui.*

Dedisti) Vulgo hic repetitur *quid?* melius omissum in quiuque codd. Oxx. Franc. ed. Ven. 1.

M' Lepidum) Sic recte ediderunt Morgenstern. Beck. Vulgo *M. Lepidum*. Lepido enim illi, consuli cum Volcatio Tullo, praenomen fuit Manio non *Marco*, quod iam Manutius ad h. l. monuerat.

Ad Q. Metellum praetorem) Q. Caecilium Metellum Celerem dicit, qui, biennio de more interiecto, consulatum postea cum L. Afranio gessit. MVRET.

Virum optimum) *Optimum* ironice dici Quintilianus monuit IX, 2, 45 « *ut illud in Catilinam*, a quo repudiatus, ad sodalem tuum virum optimum M. Marcellum demigrasti; *in duobus demum verbis* (scil. *virum optimum*) *est ironia.*»

Marcellum) Constat non esse eundem, quem paulo post *virum fortissimum* vocat: idest eum, pro quo exstat oratio ad Caesarem. Opinor hunc M. Marcellum illius C. Marcelli, quo dein Sextiana defensione mentio est, patrem fuisse. Quam in sententiam aut potius coniecturam adduxit me Paulus Orosius, qui libro sexto (*c. 6, p. 385, ed. Havercamp.*) historiarum ita scribit: *Motus etiam in reliquis ortus a Marcellis patre et*

videlicet et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit? Quae quum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras, et vitam istam, multis suppliciis iustis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare?

« Refer, inquis, ad senatum: » id enim postulas; et, si hic ordo placere sibi decreverit, te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus: et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina! libera rempublicam metu! in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere! — Quid est, Catilina? Ecquid attendis? Ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas

filio per L. Vectium proditus, patefacta Catilinae coniuratione, quasi succisa radice compressus est; at de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutiis vindicatum est. Muret.

Qui se ipse) Vulgo olim *se ipsum* Sed verum esse se *ipse* vidit Heuman. quem edd. recentiores sequuti sunt.

Iudicarit) Sic Lamb. e MSS. Vulgo *iudicaverit*.

Si emori aequo animo non potes) Hanc lectionem Victor. at Graev. receperunt, auctoritate complurium codd., ut Graev. 1, Franc. Duisburg. Sententiam sic explicat Graevius: si non potes a te impetrare, ut hic moriaris, sive manus tibi ipse inferens, sive aliena manu atens, fuge hinc in solitudinem. Ernestius vero alteram lectionem, quae est in codd. Pall. et edd. pr. defendit, *si hic morari aequo animo non potes*. «Non enim, inquit, iam est sermo de morte, quae aequo animo subeatur, sed de vita, quae aequo animo, propter illa tam multa odiosa et molesta agi non possit; et vitam urbanam suadet cum solitaria commutare. Manifesto opponuntur *morari* et *abire*.» Enimvero quum Cicero iam antea dixisset, *non posse Catilinae hanc lucem, et huius caeli spiritum esse iucundum* (c. 6.), i. e., ut Ennii verbo utar, vitam ei Romae vitalem esse non posse, iam significat, alterutrum eligendum esse, ut vel vita, vel saltem urbe excedat. Si igitur aequo animo mori non possit, soperesse ut abeat in exsilium. Ergo lectionem *emori* recte nuper a F. A. Wolfio, Morgensternio et Beckio praelatam esse mihi persuasi.

auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sextio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem, iam mihi consuli, hoc ipso in templo, iure optimo senatus vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, quum quiescunt, probant; quum patiuntur, decernunt; quum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paulo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae iampridem vastare studes, relinquentem, usque ad portas prosequantur.

IX. Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? Vtinam tibi istam mentem dii immortales duint! Tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti, dummodo ista privata sit calamitas, et a reipublicae periculis

P. Sextio) P. Sextio Gallo, pro quo est Ciceronis oratio.

M. Marcello) Est is qui cos. fuit XII annis post cum Serv. Sulpicio, quem postea apud Caesarem defendit Cicero.

Vsque ad portas prosequantur) Mos antiquus erat prosequendi eos, qui in exilium abirent. Sic in oratione, quae proxime hanc sequitur: *Vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosequuti sumus.* MVRET.

Tu ut ullum exsilium cogites?) Luxuriatur hic orator copia verborum. Nisi forte illa: *tu ut unquam te corrigas*: et *tu ut ullum exsilium cogites* antecedentium sententiarum interpretamenta sunt in textum illata. Certe si legeretur: *te ut ullu res frangat? tu ut ullam fugam meditere? Vtinam* etc. eadem fere maneret sententia.

seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipublicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut saepe iam dixi, proficiscere; ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium; vix feram sermones hominum si id feceris; vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris iussu consulis, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu; confer te ad Mallium; concita perditos cives; secerne te a bonis; infer patriae bellum; exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam esse cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam,

Reipublicae cedas) Ita Graev. ex cod. utroque 800, it. Franc. Duish. Pith. Lallemandus e IV Pariss. ediderunt, idemque placuit nuper Beckio, et Goërenzio ad Cic. de legg. p. 251. Volgo *concedas*.

Aut ratio a furore revocarit) Sic legitur apud Quintilianum IX, 3, 62, unde inserui *unquam* quod in edd. abest. Notanda tamen est lectio MSS. Cuiacii: *neque enim Catilina sis, si te aut* etc.

Recto perge) *Recta via* codd. aliquot Oxx. Graev. 2, Franc. Duish. Pith.

Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos) Muretus legi maluit: *quamquam quid eo te invitem quo iam sciam — armati! sciam — diem — quo etiam —*

Ad forum Aurelium) Est is locus prope laevam Arminiae, sive Floris amnis ripam, vulgari nunc vocabulo *Monte alto*, oppidum satis celebre. Nomen et originem habuit ab Aurelio quodam, qui Aureliam viam a Roma Pisas usque, sub initium haud dubie subactae a Romanis Etruriae, stravit. Quis autem fuerit ille Aurelius incertum est. Cluver. Ital. antiq. lib. II, cap. 2. ANON.

Cui sciam) *Cui* quod concinnitatis gratia addendum esse vidit Gulielm. praeeunte Beckio inserui. Vulgo olim *quum sciam*, ab aliis simpliciter *sciam* editum.

Aquilam illam argenteam) Romanorum legionum proprium signum fuisse aquilam, constat. Quum autem legio divideretur in decem cohortes; prima cuiusque legionis cohors sem-

quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse confido et funestam futuram, cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa diutus carere possis, quam venerari, ad caedem proficiscens, solebas? a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?

X. Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem, nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad huius vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: iacere humi non modo ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum; vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis occisorum. Habes,

per suscipiebat aquilam, ut est apud Vegetium. Erat autem aquila parvum sacellum, sive, ut Cicero hic loquitur, sacrarium, in quo inerat aquilae effigies, vel argentea, ut hic videmus, vel aurea. Id sacellum hastae impositum ex inferiore parte acutae, quo in terram defigi posset, portabat is, qui *Aquilifer* dicebatur. Narrat Dio lib. XL. Aquilas autem illas divino cultu affici solitas esse, et ea quae modo recitavi, indicant, et Ciceronis hoc loco verba confirmant. MVRET.

Perfruere?) Cortius ad Plin. Epp. IV, 15 coni. *perfluas*; sed nihil opus. Haud scio tamen an verba *qua laetitia perfruere* sint interpretamentum eorum quae sequuntur *quibus gaudiis exsultabis*.

Insidiantem somno maritorum) Scil. ut uxores posset violare: ut Ovidius, quem laudavit ad h. l. Muretus: *Saepe*, ait, *maritorum somnis utuntur amantes*. Amor I, 9, 25.

Bonis occisorum) Graev. et Lallem. e codd. nonnullis receperunt *otiosorum*; verum tamen est *occisorum*. Refertur ad caedes tempore proscri-

ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse senties. Tantum profeci tum, quum te a consulatu repuli, ut exsul potius tentare, quam consul vexare rempublicam posses; atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me, Patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer: percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respublica sic loquatur: M. Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Non hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari impe-

ptionis Sullanae a Catilina factas. Ab adolescentia enim ait Sallustius ei caedes et rapinas gratas fuisse. c. 5.

Repuli) Lambin. *depuli* edidit contra libros MSS. Is enim ut Muretus, comitia intellexit, quibus Cicero Catilinam competitor vicit. Ernestius vero bene monuit, h. l. Ciceronem significare, se iam consulem perfecisse, ut in comitiis consularibus eius ratio non haberetur. Horum comitiorum supra mentionem fecit Cicero c. 5. item Sallustius Bell. Cat. c. 26: *postquam dies comitiorum venit et Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas consuli in campo fecerat, prospere cesserunt.*

Latrocinium potius) Pertinet ad magistratus denuntiare bellum, non ad privatum. Quare nominari debet, quum a privato declaratur, latrocinium, quia invadit in potestatem magistratuum populi romani. Anon.

Sic loquatur) Ita Quintilian. IX, 2, 32. Vulgo abest *sic*.

Non emissus ex urbe) *Emissus* habent plerique codd. et Quintilian. IX, 3, 71. At Graevii codex primus *amissus*, quod ille mutatum putabat a sciolis, qui nescirent *amitti* nonnunquam dici pro *amandari*.

Non hunc) Sic Lambin. Vulgo *nonne*.

Mactari) Mactare verbum est sa-

rabis? Quid tandem impedit te? Mosne maiorum? at persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium romanorum supplicio rogatae sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicuius periculi metum, salutem civium tuorum negligis. Sed, si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? An, quum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum? » His ego sanctissimis reipublicae vocibus, et eorum hominum, qui idem sentiunt, mentibus, pauca respondebo.

XII. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, Patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram

crificiorum, quum sacrificatur pro avertendis malis. Significat ergo sacrum hominem Catilinam, id est, execrabilem, in quem totius urbis maledicta coniici debent.

De civium Romanorum) Male Graev. e tribus codd. suo secundo, Pith. et Franc. item Lallem. e tribus Pariss. dederunt *civium eorum*.

Num est vehementius) Si invidiae metu Catilinae parcis, nihil agis. In eandem enim invidiam, aut etiam maiorem ex inertia, atque ex fortitudine vocaberis. Mur.

Ego, si hoc optimum) Dissolutio propositae argumentationis; quae quidem propositionibus duabus, earumque rationibus continetur. Prior propositio: Ego, si id e repub. fore iudicassem, Catilinam, nulla interiecta mora, morte multassem. Ratio: Non enim metuerem, ne ulla tam pulcrum facinus invidia sequeretur. Quod si aliter caderet, tamen gloriam eam potius, quam invidiam, ducerem. Altera propositio: Sed satius esse duco, ut emittatur. Ratio: Quoniam, eo interfecto, video fore, ut hoc malum reprimatur tantum paulisper: eiecto autem, et profligato cum suis, ut in perpetuum comprimatur. Mur.

horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si summi viri, et clarissimi cives, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe mihi verendum non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto, invidia mihi in posteritatem redundaret. Quod si ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem.

Certe mihi verendum non erat) *Mihi* suspectum fuit Ernestio. Beckius defendit, quia non sine vi quadam opponatur *viris summis* et *clarissimis civibus*.

Invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putarem) Potestne virtus invidiam parere? Atqui si invidia aut odium est, aut quoddam odium, virtutem autem etiam vitiosi amant, quomodo e virtute potest invidia existere? Sed tamen et Pindarus alicubi queritur, et exempla docent, et communis omnium vox, quam ego quidem pro oraculo habendam esse duco, clamat, pulcherrimis factis invidiam plerumque comitari. Demus igitur nos aliquantisper huic cogitationi: est enim res digna cognitu. Huiuscemodi autem disputationes qui non amant, praetereant. Ego, quando hic, ut poëtae loquuntur, mouti calor incidit, sequar eum, quocunque ducet: et vel mihi, ut dicitur, canam, et Musis, vel iis, quibus paulo φιλοσοφικώτερον ingenium est, serviam: quaeramque, quae sit origo invidiae, quae natura, qui, quibus, et quas ob res invideant; tum quae sint ea, quae quasi cursum invidiae sistant. Atque hinc ordior. Omnes affectus ab ingenito cuique sui ipsius amore proficiscuntur. Hic unus quasi fons ceterorum omnium est. Quia enim amat se quisque, idcirco quae sibi bona esse, vel scit, vel putat, ea et absentia desiderat, et obiecta persequitur, eorumque tum adeptione, conservatione, amplificatione gaudet, tum contrariis rebus offenditur. Malorum autem contraria ratio est. Atque hoc quidem principium disputationis ponatur a nobis, sumaturque hoc loco, quasi concessum: longiorem enim orationem requirit. Quum igitur sibi quisque carissimus sit, fit, ut se omnibus bonis ornatum ac florentem videre cupiat, aegreque ferat, si quid eius generis in alio videat, quod in se desideret. Haec origo quasique radix invidiae est. Dolent autem, aut quod ipsi careant eo, quod alius habeat, aut quod alius habeat id, quo ipsi careant. Interestque inter haec. Nam qui dolet, quod ipse careat, dolet malo suo, qui, quod alius habeat, alieno bono. Itaque ea demum invidia est, non quod tu careas, sed, quod alius habeat, dolere. Quod si progrediatur affectus hic etiam longius, ut doleas, id boni esse alii, quod tibi quoque sit, haec iam non invidia est, sed illa, quam Graeci ζηλοτυπίαν, Cicero obtrectationem vocat. Non igitur invidus est, qui alium formosum, valentem, opulen-

Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant; aut ea, quae vident,

tum, eruditum, πολύφιλον videns, dolet, se quoque talem non esse. Hae enim ratione omnes invidi essemus: sed cui hoc ipsum per se aegre est, quod haec in alio sint, is demum est invidere censendus. Neque vero proprie invidia odium est, sed est tamen quiddam odio affine. Nam et odisse homines sceleratos dicimur, quibus non invidemus, et odium vel ex iniuria accepta, opinata, expectata, vel ex opinione aliqua pravitatis et sceleris nascitur: quum invidia longe alios habeat fontes: et odium interdum laudabile est, invidia nunquam: et qui odit, male esse vult; qui invidet, non male omnino, sed aliquando minus bene. Vt si domus in vicino posita aedium tuarum luminibus officiat, non eam quidem funditus excisam, sed illam tantum partem, quae tibi molesta est, sublatam velis. Quamquam in hac similitudine hoc dissimile est, quod invidus iis, quae nihil ipsi officiunt, alienis prosperitatibus affligitur. Invidiam tamen odium quoddam plerumque comitatur. Ideoque ipsum invidiae nomen interdum pro odio ponitur. Ac quoniam imminutio boni, malum quodammodo est, alienis malis gaudere invidus dicitur: unde illud poetae:

Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Eleganterque Bio quendam, qui hoc morbo laborabat, ridentem conspicatus, *Huicccine*, inquit, *boni quid contigisse dicam, an alii cuipiam aliquid mali?* Optimus tamen et dicendi, et sentiendi magister Aristoteles ista distinguit, ut aliud φθόνον vocet, aliud ἐπιχαιρεκακίαν. Quum autem invidia dolor quidam sit, et dolor omnis fodicet atque exedat eum in quo est, merito dicitur, ipsam invidiam esse supplicium sibi. Nunc qui, quibus, et propter quae fere invideant, strictim explicemus. Invident igitur, non qui sua sorte contenti sunt (nam etiam poëtae, in quorum scriptis longe verissima omnium affectuum expressio est, quum amoribus suis secure fruuntur, negant se vel Iovi invidere): sed qui semper maius aliquid requirunt, quales praecipue sunt ambitiosi, atque avari. Illi enim quidquid ad gloriam, hi quidquid ad opes accedit alienas, sibi quodammodo detrahi credunt. Invident etiam fere inferiores superioribus: unde dictum est, *Summa petit livor*; non tamen iis qui longo intervallo superiores sunt, ut diis, aut regibus; neque procul remotis, ut Scythae Persis: sed et eiusdem artificii homines inter se. Vnde est apud Hesiodum, *Figulus figulo*: quod tamen ita intelligendum est, si gloriam ex eo studio, aut pecuniam aucupentur. Alioqui enim similitudo studiorum, amoris potius causa est: nonnunquam etiam superiores inferioribus, ut Crassus, et ceteri nobiles crescenti adhuc Ciceronis gloriae invidebant. Et novis potius, quam nobilibus, iuvenibus potius, quam aetate provectis. Vt enim ignis exoriens plurimum fumum, ita maximam invidiam gloria exoriens excitat. Quo pertinet Themistoclis dictum, qui adolescens dicebat, ex eo se intelligere, nihildum a se splendide gestum, quod nondum invidiae dente peteretur. Magnam etiam invidiam facit ostentatio sui; vereque scripsit Euripides, τὸ σεμνὸν esse omnibus odiosum. Et aequales aequa-

dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt: coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem sequuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Mallíana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam; neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se eiecerit, secumque suos eduxerit, et eodem ceteros

libus, et nobiles nobilibus, omninoque pares paribus ideo facile invident, quia aut antevertere ipsi aliis volunt, aut, ne alii sibi antevertant, timent. Et iis, qui tradita sibi potentia immodice utuntur. Cuiusmodi invidiam in Catilinae causa Cicero metuebat. Omnino autem invident aut felicitatem, aut partem aliquam felicitatis. Quo circa sapienter Pyndarus κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. Vereque vulgo dici solet, tribus ex optimis rebus tres pessimas oriri: e veritate odium, e familiaritate contemptum, e felicitate invidiam. Invident autem non tam virtutem, quam praemia virtutis, ut opes, honores, imperia. Nemo enim suam fortitudinem invidit Regulo, aut Deciis: at Ciceronis consulatus maximam invidiam habuit. Ac tum maxime accenditur invidia, quum genere, aut eiusmodi re aliqua superiori gloria ab inferiore praeripitur. Itaque haec interdum vel exitii causa est, ut Gobriae filio contigit. Non igitur ἀμίσως invidiam parit virtus, sed virtus gloriam, invidiam gloria. Vitatur autem invidia, si te modeste et aequaliter cum aliis geras, nunquam te illis, ntait Comicus, anteponens. Minuitur etiam, si non omnia tibi uno quasi tenore procedant. Aegre ferunt enim homines, aut unum prae ceteris excellere, aut uni, quasi fortunae filio, omnia prospere succedere. Saepeque sapientes viri in secundissimis rebus aliquid sibi evenire incommodi optarunt. Hoc est enim, quod dicitur, invidiae sanguinem mittere. Terminatur autem sine dubio quidem morte; unde illa:

Pascitur in vivis livor: post fata quiescit. Et,

..... diram qui contudit Hydram,
Comperit invidiam supremo fine domari.

Sed et confirmata iam, et ad summum perducta gloria invidiam extinguit. Sic enim et aucto iam igne fumus evanescit, et sol ad summum coeli evectus minimam umbram efficit. Quamlibet multa, aut innumera potius possem in hoc argumento dicere. Sed, haec ipsa, vereor, ne nimium multa sint. Quae tamen quoquo modo accipientur a lectoribus, iuvat, ut ait poeta, indulsisse furori. Mya.

undique collectos naufragos aggregaverit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

XIII. Etenim iamdiu, Patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque versamur: sed nescio quo pacto, omnium scelerum, ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati; periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. Vt saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius, vivis reliquis, ingravescet. Quare, Patres conscripti, secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, id quod saepe iam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad in-

Collectos naufrago. aggregaverit) *Naufragos* Ernestio videbatur a glossatore inculcatum ex orat. II, c. 11. Recte vero defendit Beck.

Ex tanto latrocinio) I. e. latronum cohorte. Vnus cod. Mureti habet *naufragio*.

Relevatus) Cod. Franc. *relevabitur*.

Vivis reliquis) Ita codd. Franc. Guelf. alii. Mirum Ernestium in hac lectione haesisse, ut praeferret *civibus reliquis*, quod habent aliquot MSS. et edd. pr. Tota enim huius orationis serie hoc efficere vult orator, morbum reipublicae, solo Catilina eiecto, tolli funditus non posse, viventibus in urbe eius sociis. Itaque recte lectionem *vivis reliquis* Beckius cum aliis restituit.

Praetoris urbani) L. Valerii Flacci; nempe ad eum qui ius dicebat de pecuniis creditis, deterrendum, quum Catilina et plurimi sociorum aere alieno laborarent.

Malleolos) Malleoli sunt iaculares ignes ad incendendas hostium munitiones comparati, spartu et pice conflati.

flammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque, quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, Patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

Hisce ominibus, Catilina, cum summa reipublicae salute et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Iupiter, qui iisdem, quibus haec urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis aris ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis; et omnes inimicos bonorum, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

In fronte uniuscuiusque) Victorius addidit *civis*, quod deinde multi edd. servarunt. Graevius, Ern. aliique recte deleverunt. Abest etiam in plurimis MSS. et edd. vett.

Omnes inimicos bonorum) In cod. Vrsin. *homines bonorum inimicos.* In quatuor codd. Graev. it. in cod. Pith. *homines inimicos bonorum.*

IN

L. CATILINAM

ORATIO SECVNDA

AD

QVIRITES

I.

Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem verbis prosequuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla iam per-

Tandem aliquando) Perterrefactus superiori oratione Catilina, ex urbe sese, intempesta uocte, cum paucis, ut ait Sallustius, cum treceutis, ut ait Plutarchus, couiuratis eduxerat. Postridie Cicero, quum seuatum babiturus esset, iuterim dum seuatores convenirent, hanc orationem ad pupulum e Rostris habuit. Mvr.

Ferrum flammamque) *Ferro flammaque* cod. Gemblac.

Vel ipsum egredientem) Male in codd. et edd. nonuullis additur *urbe.*

Vel ipsum egredientem) Eiicimur nolentes, emittimur volentes: sed utrumque ab alio: egredimur autem ipsi per nos. Eiectus igitur Catilina. Nolebat enim exire, donec Ciceronem oppressisset. Vel potius emissus. Qui enim sua omnia cuncilia erui e tenebris, et e privatae domus parietibus in lucem erumpere videret, in urbe tuto esse posse se non putabat. Vel potius neque eiectus, neque emissus est, sed per se egressus. Nihil enim erat ei longius, quam ut esset in Maulii castris. Mvr.

Verbis prosequuti sumus) Recte Gruterus monuit respici omiua illa, quibus in extrema oratione I. Catilinam prosequutus erat.

Abiit, excessit, evasit, erupit) Non est cougeries idem significantium: sed crescit veluti per gradus oratio. *Excessit*, plus est quam *abiit*. *Evasit*, tanquam ex eo loco, in quo iam sine periculo versari nequiret. *Erupit*, cum impetu quodam, et alacritate animi gestientis pervenire in Maulii castra. Mvr.

nicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum huius belli ducem domestici sine controversia vicimus. Non enim iam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, quum est ex urbe depulsus. Palam iam cum hoste, nullo impediente, bellum iustum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, quum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium coniecimus. Quod vero non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quod vivis nobis egressus est, quod ei ferrum de manibus extorsimus, quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit: quanto tandem illum moerore afflictum esse et profligatum putatis? Iacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum atque abiectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget: quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit forasque proiecerit.

II. At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio

Belli ducem domestici) Ita cod. Erl. quod auctore Goërenzio ad Cic. de Fin. p. 329 recepi. Vulgo *belli domestici ducem*.

Loco ille motus est) Id est, de statu deiectus. Quem enim locum sibi quisque ad dimicandum cepit, is et a Graecis στάσις, et a Latinis status dicitur. Vnde Ciceroni in controversiis forensibus status vocatur, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Mvr. Metaphora a bello, ubi hostis loco motus facilius superatur. Anon.

Ex urbe depulsus) MS. Graev. 1, *expulsus*.

Vivis nobis) Dixerat in Laecae domo se non prius ad exercitum profecturum, quam Ciceronem interfecisset.

De manibus extorsimus) Graev. e cod. suo pr. et Franc. *quod ei ferrum extorsimus e manibus*.

Iacet ille nunc prostratus) *Iacet ille nunc prostratusque est* Graev. e cod. Vrsin. Franc. Duisb.

At si quis est talis) Nunc ingreditur ad declarandam rationem consilii

mea, me vehementer accuset, quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quam emiserim: non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum. Interemptum esse L. Catilinam, et gravissimo supplicio affectum iampridem oportebat: idque a me et mos maiorum, et huius imperii severitas, et respublica postulabat. Sed quam multos fuisse putatis, qui, quae ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter stultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent? Ac si, sublato illo, depelli a vobis omne periculum iudicarem, iampridem ego L. Catilinam non modo invidiae meae, verum etiam vitae

sui cur non interficiendum potius, quam emittendum esse Catilinam duxerit. Artificiose autem facit, ut non modo non improbet, sed magnopere etiam laudet eorum sententiam, qui eum interfici debuisse dicebant; et tamen ab omni reprehensione se liberet. MVR.

Interemptum) Multi MSS. *interfectum*.

Sed quam multos fuisse putatis) Tria hominum genera ponit, in quorum invidiam incursurus erat, si Catilinam interfecisset. Vnum eorum, qui, ipsum Catilinae inimicum esse, propterea quod eum in consulatu acerbum competitorem habuerat, putabant; ideoque, quae ab ipso deferreotur, non credebant, quod ab odio proficisci existimarent. Alterum eorum, qui ita stulti erant, ut non putarent, aut etiam ut defenderent. Tertium denique improborum hominum, qui Catilinae conatibus et inceptionibus favebant. MVR.

Invidiae meae) Lambin. maluit *invidia mea*.

Invidiae meae) Qua mihi invideretur, non qua ego aliis inviderem. Sic infra: *Invidiae meae levandae causa*. Vtroque autem modo dici invidiam, ipsemet docuit quarto Tusculanarum. Ego vero video multa quoque alia nomina a veteribus eo modo usurpata esse. Vtilitas enim mea saepe quidem est ea, quam ego percipio: sed interdum ea quoque, quae ex me percipitur. Terentius Eunucho:

In ea re utilitatem ego faciam
ut cognoscas meam.

Cicero ad Tironem: *Vtilitatibus tuis possum carere: te valere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro.* Sic negligentia tua, qua tu negligeris: et odium tuum, quo te alius prosequitur. Terentius:

Nam neque negligentia tua,
neque odio id fecit tuo.

Sic insidiae alienus, non quas ipse tendit, sed quae ipsi tenduntur. Cicero pro Caelio: *Quod in alicuius agrestis periculo non praetermitteret, id, homo eruditus, in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret?* Multa his consimilia reperiet, si quis accurate observare voluerit. MVR.

periculo sustulissem. Sed quum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte multassem, fore, ut eius socios invidia oppressus persequi non possem; rem huc deduxi, ut tum palam pugnare possetis, quum hostem aperte videretis.

III. Quem quidem ego hostem, Quirites, quam vehementer foris esse timendum putem, licet hinc intelligatis, quod illud etiam moleste fero, quod ex urbe parum comitatus exierit. Vtinam ille omnes secum suas copias eduxisset! Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta coeperat; Publicium et Munatium, quorum aes alienum contractum in popinam nullum reipublicae motum afferre poterat. Reliquit quos viros? quanto alieno aere? quam valentes? quam nobiles? Itaque ego illum exercitum, et Gallicanis legionibus, et hoc delectu, quem in agro Piceno et Gallico Q. Metellus habuit, et his copiis, quae a

Tongilium) Sic codd. Moret. Lamb. Graev. At cod. Pith. *Longilum*. Vrsinus coni. *Longinum* qui a Sallustio B. C. c. 17 memoratur inter coniuratos.

Tongilium mihi eduxit) Illud *mihi* ad sententiam nihil, ad sermonis elegantiam, et, ut ita dixerim, urbanitatem longe plurimum adiungit. Sic infra, *qui mihi accubantes in conviviis*. Et pro Murena, *apud exercitum mihi fueris*, *inquit*, *tot annos*. Terentius Phormione, act. V, sc. VIII, 21: *Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes*. Mva.

Quem amare in praetexta) Vulgo additur *calumnio*, quod recte Lamb. Manut. Heum. sustulerunt ut spurium. Odinus quidem in Misc. obss. Batav. novis T. XII, corrigi voluit *quem ormare in proetexta calumnio coeperat*. Verum hoc nihil pertinet ad rem qua de agitur.

In popinam) Sic Vict. Manut. al. idque defendit nuper Goërenzius ad Cic. de legg. III, 17. Nempe in popinam quod insumeretur. Vulgo *in popina*, quo significatur aes alienum in ipsa popina contractum esse.

Quanto alieno) Lambin. addidit *obstrictos*.

Quam nobiles) Vulgo enim addebatur *vos videtis*, quod in plurimis codd. abest: idque recte deleverunt Graev. et seqq.

Et Gallicanis legionibus) Vulgo olim ex *Gall. legionibus*. Muretus bene correxit *et G. leg*. Lambinus vero qui in antiquo cod. invenerat *pro*, inde fecit *prae Gallic. legionibus*.

Q. Metellus) Missi sunt praetores,

nobis quotidie comparantur, magnopere contemno, collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis decoctoribus, ex iis, qui vadimonia deserere, quam illum exercitum, maluerunt: quibus ego non modo si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum praetoris ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in senatum venire, qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxisset: qui si hic permanent, mementote, non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos. Atque hoc etiam sunt timendi magis, quod, quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permoventur. Video, cui Apulia sit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias

Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; hisque permissum, uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Haec Sallustius. E quibus constat de delectu quem habuit Metellus in Piceno. De Gallico autem, e Dione cognoscitur: qui narrat, quum senatus provincias decrevisset consulibus Macedoniam, et Galliam, Ciceronique Macedonia, quae lucrosior erat, obtigisset, Ciceronem sponte eam concessisse C. Antonio, ut hominem magno aere alieno, ob idque non alienum a suspicione coniurationis, oblata lucri spe, ad bonas partes adduceret. Ac ne ipsum quidem in Galliam ivisse, sed, quum sibi sumpsisset urbis custodiam, eo Q. Metellum misisse. Atque hoc est, quod Cicero tam saepe a se provinciam reipub. causa praetermissam fuisse iactat. Mur.

Et his copiis) Sic Muret. etc. Olim *ex his copiis*.

Ex rusticis decoctoribus) Haec Heumannus ex interpretamento praecedentium verborum nata putabat. Sed haec suspicio, mea quidem opinione, aptius cadit in verba *ex agresti luxuria*.

Vadimonia deserere) Vadimonium deserere, est, quem in diem tu alium aliusve te vadatus fuerit, eum diem non obire. In desertores autem vadimonii, poena infamiae constituta erat: et in eorum bona creditores a praetore mittebantur. Mur.

Qui fulgent purpura) Significat senatores esse. Soli enim senatores purpuream tunicam lato clavo insignem ferebant. Mur.

Cui Apulia sit attributa) Catilina distribuerat urbis partes et provincias, Apuliam C. Iulio, Etruriam Manlio, agrum Picenum Septimio. Anon.

caedis atque incendiorum depoposcerit. Omnia superioris noctis consilia ad me delata esse sentiunt; patefeci in senatu hesterno die; Catilina ipse pertimuit, profugit; hi quid exspectant? nae illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram.

IV. Quod exspectavi, iam sum assequutus, ut vos omnes factam esse aperte coniurationem contra rempublicam videretis. Nisi vero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet. Non est iam lenitati locus; severitatem res ipsa flagitat. Vnum etiam nunc concedam: exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum tabescere. Demonstrabo iter: Aurelia via profectus est. Si accelerare volent, ad vesperam consequentur. O fortunatam rempublicam, si quidem hanc sentinam huius urbis eiecerit! Vno mehercule Catilina exhausto, relevata mihi et recreata respublica videtur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quae mulier infamis, quis corruptor iuventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum

Superioris noctis) Non intelligit eam noctem, quae proxime antecesserat. Neque enim conveniret, quod statim subiungit, *patefeci in senatu hesterno die*. Mvr.

Ad me delata) Edd. complures *ad me perlata*. Graevius edidit *ad me sentiunt esse perlata*.

Patefeci) Ern. coni. *quae patefeci*.

In senatu hesterno die) Graev. sic interpunxit: *in senatu. Hesterno die Catilina*.

Testamentorum subiector) Vt Graecis ὑποβάλλεσθαι, ita Latinis, *subiicere*, est interdum falsum, et adulterinum quippiam veri ac germani loco supponere. Mvr.

Circumscriptor) Qui inducendi, ac circumveniendi homines, quasi artificium quoddam tenet. Hoc quoque a Graecis sumptum, quibus περιγράφειν interdum valet decipere. Mvr.

Catilina non familiarissime vixisse fateatur? quae caedes per hosce annos sine illo facta est? quod nefarium stuprum non per illum? Iam vero quae tanta in ullo unquam homine iuventutis illecebra fuit, quanta in illo? qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime serviebat; aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modo impellendo, verum etiam adiuvando, pollicebatur. Nunc vero quam subito, non solum ex urbe, verum etiam ex agris, ingentem numerum perditorum hominum collegerat? Nemo, non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae, oppressus aere alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris foedus asciverit.

V. Atque ut eius diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis: nemo est in ludo gladiatorio paulo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinae esse fateatur; nemo in scena levior et nequior, qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen, stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, quum industriae subsidia, atque instrumenta virtutis, in libidine audaciaque consumeret. Hunc vero si sui fuerint comites sequuti; si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges: o nos beatos, o rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem consulatus mei! Non enim iam sunt mediocres hominum libidi-

Aliis fructum libidinum) Heumannus coni. *aliis fructum libidinum mortem parentum — pollicebatur.*

Sed nec ullo) Cod. Pall. Hiltorp. Fabric., alii complures, *sed ne ullo*, quod pro *sed ne ullo quidem* positum Gulielmio placebat.

Frigore et fame) Lambinus de Mureti sententia rescripsit *frigori et fami*. Sed ablativi *frigore et fame* cum ceteris qui sequuntur indicant causas propter quas fortis praedicabatur Catilina.

Consumeret) Sic Muret. Lamb. Graev. e MSS. Olim *consumerentur*.

nes, non humanae audaciae ac tolerandae; nihil cogitant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas. Patrimonia sua profuderunt; fortunas suas abligurierunt; res eos iampridem, fides deficere nuper coepit; eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino et alea comissationes solum et scorta quaererent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi. Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis caedem bonorum, atque urbis incendia. Quibus ego confido impendere fatum aliquod, et poenas iamdiu improbitati, nequitiae, sceleri, libidini debitas, aut instare iam plane, aut certe appropinquare. Quos si meus consulatus, quoniam sanare non potest, sustulerit, non breve nescio quod tempus, sed multa saecula propagarit reipublicae. Nulla est enim natio, quam pertimescamus; nullus rex, qui bellum populo romano inferre possit. Omnia

Non humanae audaciae ac tolerandae) Sic Oliv. Lall. Oxx. meliori ut opinor ordine quam *non humanae ac tolerandae audaciae*, quod Graev. e cod. secundo invexit, et recepit Ern.

Nisi caedes) *Caedem* Muret. Lambin. Graev. e codd.

Abligurierunt) Sic ed. Ald. iun. Lamb. Ern. Olim *obligurierunt*.

Ebriosos) *Ebrios* edd. Wald. it. 1480, Graev.

Confecti cibo) *Conferti* habent plerique codd. MSS. et inde e Mureto receperunt Grut. Heum. alii. *Confecti* cum edd. pr. praetulit Ern. Beck.

Aut certe appropinquare) Vulgo *aut certe iam appropinquare*. Sed illud *iam* recte delendum censuit Goërenzius, qui id a duobus codd. a se collatis abesse testatur ad Cic. de legg. I, 12. Idem abest in Graev. 2, Franc. Duisb.

Inferre possit) Sic e codd. Muret. Lambin. edidit. Vulgo *facere possit*. — Haec in Schutzii editione haud cohaerent, quum et in textu et in notis legatur *facere*. Sed ex aliis editionibus comperi *inferre* scribi debere ex ipsius mente. Typ.

sunt externa unius virtute terra marique pacata: domesticum bellum manet; intus insidiae sunt; intus inclusum periculum est; intus est hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello, Quirites, profiteor ducem: suscipio inimicitias hominum perditorum. Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manere. Proinde aut exeant, aut quiescant: aut, si et in urbe, et in eadem mente permanent, ea, quae merentur, exspectent.

VI. At etiam sunt, Quirites, qui dicant, a me in exsilium eiectum esse Catilinam! Quod ego si verbo assequi possem, istos ipsos eiicerem, qui haec loquuntur. Homo videlicet timidus et permodestus vocem consulis ferre non potuit: simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, ivit. Hesterno die quum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris convocavi: rem omnem ad patres conscriptos detuli. Quo quum Catilina venisset, quis eum senator appellavit? quis salutavit? quis denique ita adspexit, ut perditum civem, ac non potius, ut importunissimum hostem? Quin etiam principes eius ordinis partem illam subselliorum, ad quam ille accesserat,

Vnius virtute) Cn. Pompeii.

Huic ego me bello, Quirites, profiteor ducem) Ita Ern. ex ed. Valdarf. 1480. Vulgo *h. e. me bello ducem profiteor Quirites.*

Suscipio) Ern. malebat *suscipiam.* Sed vulgatum bene se habet.

Manere) Hoc e tribus codd. Graev. recte recepit Ern. Vulgo olim *manare.*

Homo videlicet) Sic Ern. ex edd. Waldarf. 1480. Vulgo *Homo enim videlicet.*

Paruit, ivit) Ita Graev. Ern. e cod. Duisb. —Muret. et Lamb. quem alii sequuti sunt, *paruit, quievit.* Variae in codd. MSS. corruptelae. Aliquid ante *Hesterno die* excidisse Ern. opinatur, quia oratio est paulo abruptior.

Convocavi) Sic Graev. Lall. Oxx. Beck. quod est in cod. Graev. secundo, Franc. Vulgo *vocavi.*

nudam atque inanem reliquerunt. Hic ego vehemens ille consul, qui verbo cives in exsilium eiicio, quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne. Quum ille, homo audacissimus, conscientia convictus, primo reticuisset, patefeci cetera; quid ea nocte egisset, quid in proximam constituisset, quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. Quum haesitaret, quum teneretur, quaesivi, quid dubitaret eo proficisci, quo iampridem pararat; quum arma, quum secures, quum fasces, quum tubas, quum signa militaria, quum aquilam illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suae fecerat, scirem esse praemissam. In exsilium eiiciebam, quem iam ingressum esse in bellum videbam? Etenim credo, Mallius iste, centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo romano suo nomine indixit; et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant; et ille, eiectus in exsilium, se Massiliam, non in haec castra conferet.

VII. O conditionem miseram, non modo administrandae, verum etiam conservandae reipublicae! Nunc, si L. Catilina, consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus ac debilitatus, subito pertimuerit, sententiam mutaverit, deseruerit suos, consilium

Quid ea nocte egisset) Vulgo additur *ubi fuisset*, quod abest in optimo cod. Mureti. Recte. Nam prorsus h. l. ineptum est.

In proximam) Hanc lectionem praebet cod. Franc. et Ven. 1480. et recepit Ern. et Beck. Vulgo *in proxima*.

Pararat) Aliquot codd. habent *pararet*, quod Heumannus quoque scribi voluit. Si *pararat* verum est, non incst in quaestione Catilinae proposita, sed Cicero dicit: quid dubitaret ad Mallium proficisci; eo enim iampridem proficisci pararat. Sin *pararet* a Cicerone scriptum, innuit quaestionem hanc fuisse: Quid dubitas eo proficisci, quo iamdudum paras?

Esse praemissam) Huius aquilae mentionem fecit Orat. I, cap. 9.

Se Massiliam) *Ut aiunt* vulgo additum, iam ab Heumanno et Ern. pro glossemate damnatum, eieci. Praecedit enim *credo*, quod significat haec omnia ironice dici.

belli faciundi abiecerit, ex hoc cursu sceleris et belli, iter ad fugam atque in exsilium converterit: non ille a me spoliatus armis audaciae, non obstupefactus ac perterritus mea diligentia, non de spe conatuque depulsus, sed indemnatus, innocens, in exsilium eiectus a consule, vi et minis esse dicetur: et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum; me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. Est mihi tanti, Quirites, huius invidiae falsae atque iniquae tempestatem subire, dummodo a vobis huius horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. Dicatur sane eiectus esse a me, dummodo eat in exsilium. Sed mihi credite, non est iturus. Nunquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiae meae levandae causa, ut L. Catilinam ducere exercitum hostium, atque in armis volitare audiatis: sed triduo tamen audietis; multoque magis illud timeo, ne mihi sit invidiosum aliquando, quod illum emiserim potius, quam quod eiecerim. Sed quum sint homines, qui illum, quum profectus sit, eiectum esse dicant, iidem, si interfectus esset, quid dicerent? Quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo est istorum tam misericors, qui illum non ad Mallium, quam ad Massilienses ire malit. Ille autem, si mehercule hoc, quod agit, nunquam ante cogitasset, tamen latrocinantem se

Miserum) Sic codd. Mureli, meliores Gruteri it. Priscian. Male vulgo olim *tumidum*.

Levandae causa) Cod. Graev. secundus et Duisb. *relevandae*.

Multoque magis illud timeo) Non timeo, inquit, ne mihi invidiosum sit, quod Catilinam eiecerim; nam neque eieci, et si eiecissem, desperatum ac nefarium hominem eiecissem: sed illud metuo, ne mihi invidiae sit, quod eum emiserim, quem summo supplicio afficere debueram. Mur.

Latrocinantem) Patriae bellum inferentem.

interfici mallet, quam exsulem vivere. Nunc vero, quum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit, nisi quod vivis nobis Roma profectus est, optemus potius, ut eat in exsilium, quam queramur.

VIII. Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, et de eo hoste, qui se fatetur esse hostem, et quem, quia, quod semper volui, murus interest, non timeo: de his, qui dissimulant, qui Romae remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus? quos quidem ego, si ullo mòdo fieri possit non tam ulcisci studeo, quam sanare, et ipsos placare reipublicae; neque, id quare fieri non possit, si me audire volent, intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum istae copiae comparentur: deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam potero, afferam. Vnum genus est eorum, qui magno in aere alieno, maiores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt. Horum hominum species est honestissima; sunt enim locupletes; voluntas vero et causa impudentissima. Tu agris, tu aedificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus et copiosus sis, et dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem? Quid

Qui se fatetur esse hostem) Sic Goërenzius e duobus codd. MSS. a se collatis edi voluit. Recte. Vulgo *qui iam fatetur se esse hostem.*

Possit) Ita correxit Ern. ex edd. W. 1480. Vulgo *posset.*

Quam sanare, et ipsos placare reipublicae) In tribus codd. Pall. et sex aliis est *quam sanare sibi ipsos, placare reipublicae.*

Volent) Sic duo codd. Graev. et Barb. Recepit Gruterus et seqq. Antes *voluerint.*

Orationis) Graevius coni. *rationis.* Sed vulgata vera.

Vnum genus) Ed. Ven. 1483, Naug. Man. *Primum genus.* Et sic tres codd. Oxx.

Nullo modo possunt) Iure in h. l. haesit Ern. — Suspicor scriptum a Cicerone fuisse *quarum amore capti adduci ad dissolvendum* (scil. aes alienum) *nullo modo possunt.* Simili

enim exspectas? bellum? Quid? ergo in vastatione omnium tuas possessiones sacrosanctas futuras putas? An tabulas novas? errant, qui istas a Catilina exspectant. Meo beneficio tabulae novae proferentur, verum auctionariae. Neque enim isti, qui possessiones habent, alia ratione ulla salvi esse possunt. Quod si maturius facere voluissent, neque (id quod stultissimum est) certare cum usuris fructibus praediorum, et locupletioribus his et melioribus civibus uteremur. Sed hosce homines minime puto pertimescendos, quod aut deduci de sententia possunt; aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempublicam, quam arma laturi.

IX. Alterum genus est eorum, qui quamquam premuntur aere alieno, dominationem tamen exspectant; rerum potiri volunt; honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Quibus hoc praecipiendum videtur, unum scilicet et idem, quod ceteris omnibus, ut desperent, se id, quod conantur, consequi posse. Primum omnium me

modo de Prov. Cons. c. 16 dicitur: *adduci ad suspicandum nullo modo possum.*

Tabulas novas) In tabulis argentariorum perscribebatur, quid cuique quisque acceptum, expensumve ferret. Catilina igitur, qui videret magnum in civitate aes alienum esse, pollicebatur, se publice incensurum omnes argentariorum tabulas, ita ut nemo, quod aeris alieni antea contraxisset, persolvere cogeretur. Mur.

Tabulae novae) Frustra hic trientus est Ern. Nam antea quum quaerebat: *an tabulas novas?* agebatur de eiusmodi tabulis quibus in fraudem creditorum debitorum nomina vel omnino, vel saltem ex parte abolebantur. Iam per iocum ait non a Catilina istas exspectandas esse, suo potius beneficio novas tabulas prolatum iri, verum auctionarias, scilicet ut possessores praediorum obaerati, auctione ea vendant, ut aes alienum possint dissolvere. Hic igitur lusus est ex ambiguo simulque παρὰ προςδοκίαν.

Fructibus praediorum) H. e. usuras dissolvere velle ex fructibus praediorum.

Quod ceteris omnibus) Codd. Lamb. Pith. Duisb. al. *reliquis omnibus*. Goerenzius ad Cic. de Fin. IV, 18, utrumque delendum censet, et simpliciter scribendum *quod omnibus*.

ipsum vigilare, adesse, providere reipublicae, deinde magnos animos esse in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas praeterea copias militum; deos denique immortales huic invicto populo, clarissimo imperio, pulcherrimae urbi, contra tantam vim sceleris, praesentes auxilium esse laturos. Quod si iam sint id, quod cum summo furore cupiunt, adepti, num illi in cinere urbis et sanguine civium, quae mente conscelerata ac nefaria concupierunt, consules se ac dictatores, aut etiam reges sperant futuros? Non vident id se cupere, quod si adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi sit necesse? Tertium genus est aetate iam affectum, sed tamen exercitatione robustum: quo ex genere est ipse Mallius, cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex iis coloniis, quas Sulla constituit; quas ego universas civium esse optimorum, et fortissimorum virorum sentio: sed tamen hi sunt coloni, qui se in insperatis repentinisque pecuniis sumptuosius inso-

Magnos animos — copias militum) Viderat Ern. *maximam multitudinem* non ita referri posse ad verba *in bonis viris*, ut *animos* et *concordiam*. Itaque suspicabatur aliquid excidisse. Equidem arbitror sic legendum esse: *magnos animus esse in bonis viris, magnam concordiam; maximam equitum multitudinem, magnas praeterea copias militum, deos denique immortales — auxilium esse laturos*. *Equites* hic opponuntur *militibus*, h. e. pedestribus copiis, ut apud Caesarem de bello civili II, 42, ubi ait *equites* perpaucos se ex proelio recepisse, *milites* (i. e. *pedites*) omnes interfectòs esse. Equites autem Cicero alibi quoque inter praesidia reipublicae nominat ut Orat. IV, c. 7.

Et sanguine) Lamb. *in sanguine*.

Consules se ac dictatores) Sic Lamb. e MSS. ac nuper Garat. et Beck. Vulgo *se consules ac dictatores*.

Concedi sit necesse) Servorum enim et gladiatorum magna in exercitu Catilinae vis fuit: ergo si ille, quod optabat, consequutus fuisset, sine dubio tradidisset honores, mandassetque imperia, non iis qui votis tantum ipsi favissent, spectatoresque se otiosos praebuissent, sed iis quorum in bello gerendo virtutem et industriam expertus esset. MURET.

Affectum) Codd. nonnulli et edd. velt. *confectum*; codd. Mureti et edd. aliquot post Manut. *effoetum*.

Quas Sulla constituit) Vulgo post *quas* additur *Fesulis*, quod recte delevit Lambinus, probantibus Mureto, Ernestio.

lentiusque iactarunt. Hi dum aedificant, tanquam beati, dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus. Qui etiam nonnullos agrestes, homines tenues atque egentes, in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere praedatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo: desinant furere ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est civitati, ut iam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur.

X. Quartum genus est sane varium, et mistum, et turbulentum: qui iampridem premuntur; qui nunquam emergent; qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumtibus, in vetere aere alieno vacillant; qui vadimoniis, iudiciis, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti et ex urbe et ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quam insidiatores lentos

Praediis, lecticis) Muretus ex libro vet. scribi voluit *praediis, lectis*, quod receperunt Manut. et Lamb. Garatono magis placebat *praediis latis*, idque mihi quoque probatur. Quis enim nescit latifundia in luxuria illorum temporum numerari? *Praediis* autem hic sine epitheto friget, et *lecticis* parum aptum habet locum inter *praedia* et *familias*.

Vadimoniis, iudiciis, proscriptionibus bonorum defatigati) Praeclarus ordo. Primum enim vadatur creditor debitorem. Si debitor vadimonium deseruerit, iudicium adversus eum datur, mittiturque creditor in possessionem. Si per triginta dies bona possessa fuerint, proscribuntur. MUR.

Insidiatores) Vulgo *infitiatores lentos*, quod Manutius et Muretus interpretantur de iis debitoribus qui negent se debere, quod iure negare non possint, eosque dici *lentos* quia solutionem infitiando differrent, omniaque *lente* agerent. Etsi autem tardi solutores interdum dicuntur lenta negotia, tamen *infitiatores* debitorum *lenti* non possunt appellari. Nam impudentia iis potius quam lentitudo tribuitur. Certe qui creditorem fraudari vult, debitum infitiando, non lente, sed potius audacter et prompte id facere debet. Cf. Orat. pro Flacco c. 20. Deinde h. l. agitur de

esse arbitror. Qui homines primum si stare non possunt, corruant; sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur. Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum: quos ego a Catilina non revoco. Nam neque divelli ab eo possunt; et pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita; quod proprium est Catilinae, de eius delectu, immo vero de complexu eius ac sinu; quos pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis, manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis; quorum omnis industria vitae, et

eo genere debitorum, qui iam essent *vadimoniis*, *iudiciis*, *proscriptionibus bonorum fatigati*, quibus adeo nihil aut parum infitiatio poterat prodesse. Denique quum toto hoc capite id agat Cicero, ut ostendat eos, qui se ad Catilinam contulerint haud magnopere timendos esse, quippe quos cap. 11 *naufragorum eiectam ac debilitatam manum* appellet, apte negat quartum hoc genus hominum *milites acres* esse futuros, sed potius *insidiatores lentos*, qui occasiones latrociniorum et praedae furtim capiendae aucupaturi sint. Itaque sic aptissime *milites acres* opponuntur *insidiatoribus lentis*; prorsus ut in fragmento Cic. ex lib. V de re publica ap. Non. v. *Lentum* opponuntur: *Marcellus ut acer et pugnax*, *Maximus ut consideratus et lentus*. Ceterum *infitiatores* in omnibus MSS. adhuc collatis esse videtur; itam in edd. plurimis. Heumannus *insidiatores* in textu posuit, in notis improbavit.

Si stare non possunt, corruant) Idest, si ita oppressi sunt, ut retinere statum et fortunas suas non queant, subeant infamiam, patiantur sua bona proscribi, exeant e civitate: sed ita ut nullum incommodum, non modo ad civitatem, sed ne ad vicinos quidem perveniat. MVRET. Sunt qui τὸ *corruant* interpretentur semetipsos interficiant.

Bene barbatos) Manutii correctionem *paene barbatos* recte reiicit Ern. Garaton. coni. *belle barbatos*.

Manicatis et talaribus tunicis) Quorum utrumque mulieribus permissum, viris vel maxime indecorum habebatur. Vide Gellium cap. 12, lib. 7. MVRET.

Velis amictos, non togis) Toga-

vigilandi labor in antelucanis coenis expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati, non solum amare et amari, neque psallere et saltare, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt: qui nisi exeunt, nisi pereunt, etiam si Catilina perierit, scitote hoc in republica seminarium Catilinarum futurum. Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? Num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? Quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim iam noctibus? Quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? Nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis saltare didicerunt. O bellum magnopere pertimescendum, quum hanc sit habiturus Catilina scortorum cohortem praetoriam.

XI. Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia vestrosque exercitus; et primum gladiatori illi confecto et saucio, consules imperatoresque vestros opponite; deinde contra illam naufragorum eiectam ac debilitatam manum, florem totius Italiae ac robur educite. Iam vero urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Ca-

rum laxitatem, et tenuitatem significat. ID.

Psallere) Restitui lectionem edd. vett. quam habent cod. Franc. et tres Oxx. cuius interpretamentum esse videtur *cantare*, quod ex suis libris restituit Muretus. Lambinus edidit *saltare et cantare* ut est in Ven. 1480 et ipse invenit in MSS.

Catilinarum) Ita Heumanno auctore rescripsi pro vulg. *Catilinarium*. Nam hoc esset *Seminarium a Catilina institutum*. Sensus autem postulat novam segetem hominum Catilinae similium. Sic Philipp. III, 4, *veterani* dicuntur *seminarium iudicum tertiae decuriae*.

Scortorum) Ante Muret. et Lambin. vulgo legebatur *scortatorum*. At *scortorum* est in illorum codd. it. in Pall. 2, 6, Hittorp. Erf. al. Ceterum *scortorum* hic de scortis masculis, s. de iis quos antea dixerat *impuros impudicosque*, intelligendum.

Vrbes) Muretus corrigebat *vires*. Melior est coniectura Garatoni *arces*,

tilinae tumulis silvestribus. Neque vero ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo. Sed si, omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, eget ille, senatu, equitibus romanis, populo, urbe, aerario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus, si, inquam, his rebus omissis, ipsas causas, quae inter se confligunt, contendere velimus: ex eo ipso, quam valde illi iaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum

quae sane aptissime opponerentur *tumulis*. Sic Scipio ap. Livium XXVII, 18: *circumvectus ordines ostendebat hostem — captantem tumulos, loci fiducia, non virtutis armorumque stare in conspectu. Sed altiora moenia habuisse Carthaginem quae transcendisset miles Romanus. Nec tumulos, nec arcem, ne mare quidem armis obstitisse suis.* Si verum est *urbes*, quod equidem ut credam vix adduci possum, *coloniarum ac municipiorum* dictum sit necesse est pro colonorum et municipum.

Tumulis silvestribus) Tumulus a tumendo est. Vbi enim tumet terra, ibi tumulus dicitur. — Vnice vera est lectio *tumulis silvestribus* quos Catilinam scilicet occupaturum esse significat. Nempe eo confugere solent qui latebras quaerunt ad insidias, nec se proelio in aperta planitie committere audent. Sic Liv. XXVII, 20: *Tumulus erat silvestris*, quem *Hannibal insidiis quam castris aptiorem esse crediderat.* Nihili est lectio *cumulis*, quam Muretus in codd. aliquot invenit.

Suppeditamus) Si lectio vera est, excidisse videtur *bello*. Sic eodem modo dictum esset *quibus nos bello suppeditamus*, quo Plautus Asinar. II, 4, 17, *clamore ac stomacho non possum labori suppeditare.* In aliquot codd. et edd. est *suppeditamur*. In aliis *superamus*.

Si, inquam) *Inquam* restitui ex edd. antiquioribus, quia hic post longiorem parenthesin aptius ponitur quam omittitur. In codd. compluribus abest, ideoque Graev. Ern. alii deleverunt.

Denique aequitas) Ed. Wald. it. Muret. et Graev. e codd. MSS. *hinc denique aequitas.*

temeritate, cum vitiis omnibus: postremo copia cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit. In huiusmodi certamine ac proelio, nonne, etiamsi hominum studia deficiant, dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari?

XII. Quae quum ita sint, Quirites, vos, quemadmodum iam antea, vestra tecta custodiis vigiliisque defendite: mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, consultum ac provisum est. Coloni omnes municipesque vestri, certiores a me facti de hac nocturna excursione Catilinae, facile urbes suas finesque defendent: gladiatores, quam sibi ille maximam manum et certissimam fore putavit, quamquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen nostra continebuntur. Q. Me-

Copia) Ita codd. Hittorp. Duisb. probantibus Graevio et Garatono. Recepit Beckius. Sane concinnius cum reliquis iungitur, quam vulg. *copiae.*

Confligit) Hoc Heumannus ab aliena manu adiectum esse suspicatur, et e loco superiore ubi est *confligunt* arcessitum. Sed hoc non est eiusmodi ut sine codd. auctoritate delendum sit.

Quemadmodum iam antea) Vulgo *quemadmodum iam antea dixi.* At nusquam id antea dixerat. Ergo recte Ern. delevit *dixi*, quod etiam Mureti codice aberat. Gulielm. coniecerat, *quemadmodum iam antea edixi* coll. Orat. I, 3 extr. et Sallost. B. C. c. 30.

Vt urbi) *Vrbi* opponitur *tectis singulis.* Haec ut singuli possessores custodiant, hortatur; urbi universae adversus impetum Catilinariorum, satis sibi h. e. a se consultum ac provisum esse dicit. Non admittenda igitur lectio cod. Graev. secundi: *mihi et urbi.*

Patriciorum) Ernestius putabat particulam *tamen* atque etiam rem ipsam postulare *non meliore animo sunt;* nam si gladiatores *meliore animo* sint, non esse mirum si contineri possint imperio. Vulgata tamen sic defendi potest, si verba *quamquam meliore — patriciorum* ad antecedentia referantur hoc sensu: gladiatores quam sibi Catilina maximam manum eamque (etsi melius certe in rempublicam animati sunt, quam pars patriciorum), certissimam fore putavit, potestate tamen nostra continebuntur, etiamsi Catilinam haec de iis opinio haud fefellerit. Quam rationem si quis est qui non probet, Ernestii sententiam amplectatur. Nam ne verba *meliore animo sint* cum Heumanno

tellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque praemisi, aut opprimet hominem, aut omnes eius motus conatusque prohibebit. Reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis, iam ad senatum referemus, quem vocari videtis.

XIII. Nunc illos, qui in urbe remanserunt, atque contra urbis salutem, omniumque vestrum, in urbe a Catilina relicti sunt, quamquam sunt hostes, tamen, quia nati sunt cives, monitos eos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc si cui solutior visa est, hoc exspectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum est, iam non possum oblivisci, meam hanc esse patriam, me horum esse consulem: mihi aut cum his vivendum, aut pro his esse moriendum. Nullus est portae custos, nullus insidiator viae; si qui exire volunt, consulere sibi possunt; qui vero in urbe se commoverit, cuius ego non modo factum, sed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero: sentiet in hac urbe esse consules vigilantes, esse egregios magistratus, esse fortem senatum, esse arma, esse carcerem, quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt. Atque haec omnia sic agentur, Quirites, ut res maximae minimo motu, pericula summa nullo tumultu, bellum intestinum ac domesticum, post hominum memoriam crudelissimum ac maximum,

interpretemur sic ut sint i. q. *plus animi habent fortiores et audentiores sunt*, ipsa haec sententia et comparatio cum parte patriciorum videtur prohibere. Hic enim patricios illos cum Catilina coniuratos figit, in patriam male animatos, eosque acerbissime capit, quod gladiatoribus *meliorem* in rempublicam animum tribuit quam huic parti patriciorum.

Atque contra urbis salutem) Vulgo *atque adeo qui contra urbis salutem.* Particulas vero *adeo qui*, quae absunt cod. Guelf. 2, rectius omitti bene monuit Goërenzius ad Cic. de leg. III, 14, nempe quia *atque* saepius ponitur pro *atque adeo.*

Monitos eos) *Eos* addidit Beck. e sex codd. Oxx. Franc. Barb. et utraque ed. Ven.

Consules vigilantes) MSS. Colon. it. Graev. sec. *consulem vigilantem.*

me uno togato duce et imperatore sedetur. Quod ego sic administrabo, Quirites, ut, si ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quisquam in hac urbe poenam sui sceleris sufferat. Sed si vis manifestae audaciae, si impendens patriae periculum me necessario de hac animi lenitate deduxerit: illud profecto perficiam, quod in tanto et tam insidioso bello vix optandum videtur, ut neque bonus quisquam intereat, paucorumque poena vos iam omnes salvi esse possitis. Quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites; sed multis et non dubiis deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus: qui iam non procul, ut quondam solebant, ab externo hoste atque longinquo, sed hic praesentes suo numine atque auxilio sua templa atque urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari atque implorare debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc, omnibus hostium copiis terra marique superatis, a perditissimorum civium nefario scelere defendant.

Deduxerit) Sic codd. quinque Oxx. Graev. 2, Barb. it. duo a Goërenzio collati, qui hanc lectionem recte defendit ad Cic. Acadd. II, 1. Vulgo *deduxerint.*

Vt neque bonus quisquam intereat) Sic codd. Muret. Barb. aliquot Oxx. Probarunt Grut. Ern. et recepit Beck. Vulgo *ut ne quis bonus intereat.* Graev. e Franc. dedit, *ut neque quisquam bonorum.*

Deorum immortalium significationibus) Plutarchus narrat in vita Ciceronis, quum eius domo Virgines Vestales pro salute populi sacra facerent, ex ara flammam erupisse.

Externo) Sic ex edd. antiquis et codd. Mureti, Franc. Graevii edidit Ern. Vulgo *extero.*

IN

L. CATILINAM

ORATIO TERTIA

AD

QVIRITES

I.

Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculisque meis, ex flamma atque ferro, ac paene ex faucibus fati ereptam et vobis conservatam ac restitutam videtis. Et, si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortales

Rempublicam, Quirites) Haec oratio habita est III non. decembr., biduo ante eam, quae hanc proxime sequitur, ut indicant verba illa e sequenti: *Is et nudius tertius in custodiam cives romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit.* Postremam vero orationem habitam esse in senatu nonis decembr. constat ex epistola prima libri secundi ad Atticum. T.

Servamur) Sic pro vulg. *conservamur* e suis codd. edidit Graev. et receperunt Ern. Beck.

Qui hanc urbem condidit) Vulgo addebatur *Romulum*, quod in codd. Moreli Hillorp. Lambinianis Graev. sec. abest, recte a Manutio et Graevio, ut glossema, deletum.

benivolentia famaque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignes circumdatosque restinximus: iidemque gladios in rempublicam destrictos retudimus, mucronesque eorum a iugulis vestris deiecimus. Quae quoniam in senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me, vobis iam exponam breviter, Quirites, ut, et quanta et quam manifesta et qua ratione investigata et comprehensa sint, vos qui ignoratis et exspectatis, scire possitis.

II. Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, quum sceleris sui socios, huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset: semper vigilavi et providi, Quirites, quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum quum ex urbe Catilinam eiiciebam (non enim iam vereor huius verbi invidiam, quum illa magis sit timenda, quod vivus exierit), sed tum quum illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere esse inflammatos

Toti urbi) Sic Graev. e Mureti et suis libris. Olim *totius urbis*.

Deiecimus) Ita Graev. e codd. Mureti, Franc. suo secundo, quod cum Ernestio, Beckio, aliis praetuli vulgato olim *reiecimus*.

Qui ignoratis, et exspectatis) Sic Lambin. Grut.; *qui et ignoratis et exspectatis* Nauger. Manut. Graev. Ernestio displicebat *exspectatis*, quia simpliciter sic *exspectare* non dicatur. At utrumque *ignoratis* et *exspectatis* refertur ad antecedentia *quanta — et quam — et qua ratione*. Itaque necessarium non erat, quod Ern. fecit, veterem lectionem *ignoratis*, *ex actis scire possitis* restituere, in qua illud *ex actis* misere abundat. Nam quae acta essent Cicero ipse se narraturum professus erat.

Paucis ante diebus) Hic vicesimus quartus a Catilinae profectione erat dies. Mvn.

Restitissent) In codd. et edd. nonnullis *remansissent*, scil. ex interpretatione verbi *restitissent*.

sciebam, eos nobiscum esse, et Romae remansisse, in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ità comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestrae provideretis, quum oculis maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum, belli transalpini, et tumultus gallici excitandi causa, a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodemque itinere, cum literis mandatisque, ad Catilinam esse missos, comitemque iis adiunctum Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam literas: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam a diis immortalibus, tota res non solum a me, sed etiam a senatu et a vobis manifesto deprehenderetur. Itaque hesterno die L. Flaccum et C. Pomptinum, praetores fortissimos, atque amantissimos reipublicae viros, ad me vocavi; rem omnem exposui; quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt, et, quum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione, multos fortes viros eduxerunt, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera in republica assidue utor,

Belli Transalpini) Bellum in ulteriore, tumultum in citeriore Gallia dicit. Inter haec autem vocabula quid intersit, disces e Cicerone VIII Philipp. MUR.

Eodemque itinere) Ita Graev. e cod. suo primo, Franc. Duisb. Nonnulli olim *eodem itinere*.

Optabam) Nihil opus, quod Ernestio in mentem venit, corrigere *optaram*.

In re publica assidue utor) Ita recte

praesidio cum gladiis miseram. Interim tertia fere vigilia exacta, quum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: fit in eos impetus; educuntur et ab illis gladii, et a nostris. Res erat praetoribus nota solis; ignorabatur a ceteris. Tum, interventu Pomptini atque Flacci, pugna, quae erat commissa, sedatur. Literae, quaecumque erant in eo comitatu, integris signis, praetoribus traduntur; ipsi comprehensi, ad me, quum iam dilucesceret, deducuntur.

III. Atque horum omnium scelerum improbissimum machinatorem Cimbrum Gabinium, statim ad me, nihil dum suspicantem, vocavi. Deinde item arcessitur L. Statilius, et post eum C. Cethegus: tardissime autem Lentulus venit, credo quod literis dandis, praeter consuetudinem, proxima nocte vigilarat. Quum vero summis ac clarissimis huius civitatis viris, qui, audita re, frequentes ad me mane convenerant, literas a me prius aperiri, quam ad senatum deferri, placeret; ne, si nihil esset inventum, temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur: negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent:

ed. Waldarf. 1480. Vitiosa interpunctio et compendium peperit vitium *rei publicae*, in vulgata lectione *assidue utor in reipublicae praesidio*; Muretus in libris reperit *q. o. a. utor in re publica praesidio* — quod sequutus est Graevius. Waldarferi ordo melior videtur. Ern.

Tertia fere vigilia exacta) Nox in quatuor vigilias divisa erat, et vigilia quaelibet in tres horas.

Improbissimum) Sic in Mureti aliisque codd. MSS. inventum. Vulgo in edd. pr. *improbissimorum*.

Nihil dum suspicantem) *Nihil dum tale suspicantem* codd. Mureti.

L. Statilius) Pleraeque edd. *P. Statilium*. Sed *L. Statilium*, quod est in codd. Mureti, cum aliis Graev. Beck. receperunt coll. cap. 6, et Sallustii B. C. c. 17.

Deferri) Veram hanc lectionem ex edit. Waldarf. restituit Ern. Vulgo vel *referri*, vel *referrem*. At hic nondum de referendo, sed de deferendis literis agi bene monuit Ern.

tamen ego non arbitrabar in tantis reipublicae periculis mihi esse nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coëgi.

IV. Atque interea statim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium, praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid telorum esset, efferret. Ex quibus ille maximum sicarum numerum, et gladiorum extulit. Introduxi Vulturcium sine Gallis; fidem ei publicam, iussu senatus, dedi; hortatus sum, ut ea, quae sciret, sine metu indicaret. Tum ille, quum vix se ex magno timore recreasset, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et literas, ut servorum praesidio uteretur, et ad urbem quamprimum cum exercitu accederet: id autem eo consilio, ut, quum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum descriptum distributumque erat, incendissent, caedemque infinitam civium fecissent: praesto esset ille, qui et fugientes exciperet, et se cum his urbanis ducibus coniungeret. Introducti autem Galli, iusiurandum sibi et literas a P. Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem datas esse dixerunt: atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas: Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis harus-

Sine metu) Ita cod. Franc. quod auctore Graevio praetuli vulgato *timore*, ne, quia statim sequitur *in magno timore*, bis idem verbum, ubi variari praestat, ponatur.

Recreasset) Mureti libro quidam edd. ut Ald. iun. Grut. Oliv. dederunt *recepisset*. Ceterum verbum *dixit*, quod vulgo ponitur post *recreasset*, in aliis post *tum ille*, in uno cod. Oxon. abest, iam a Beckio uncis inclusum delevi.

Vt servorum praesidio uteretur) Catilina enim, ut narrat Sallustius, servitia repudiabat. Id Lentulo displicebat. Oliv.

Ex fatis Sibyllinis) In codd. nonnullis ut Mureti, Franc. Duisb. est *libris Sibyllinis*, idque praetulerunt Muret. Lamb. Manut. Gulielmo placebat *fastis*, quod est in cod. Graev. 1. Idem Carrio Antiqq. lect. lib. 3 defendit auctoritate cod. Gemblac.

picumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se et Sullam fuisse: eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus. Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis, caedem Saturnalibus fieri, atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videretur.

V. Ac, ne longum sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primum ostendimus Cethego signum; cognovit. Nos linum incidimus; legimus. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo: sese, quae eorum legatis confirmasset, esse facturum; orare, ut item illi facerent, quae sibi legati eorum recepissent. Tum Cethegus, qui paulo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensae, respondisset, dixissetque, se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis literis debilitatus atque abiectus, conscientia convictus, repente conticuit. Introductus est

Post virginum) Scil. *Vestalium* quae A. V. 680 de incestu accusatae M. Pisone defendente absolutae sunt. Brut. c. 67.

Post Capitolii autem incensionem, vicesimus) Anno V. C. 670, L. Scipione et C. Norbano Coss. custodum negligentia Capitolium conflagravit; quod a Q. Catulo postea, Hortensio et Metello Coss. restitutum est. Mur

Caedem Saturnalibus) Ita edd. ant. codd. tres Pall. cod. Franc. et receperunt Victor. Graev. Ern. idque melius altera lectione *Saturnalibus caedem*.

Videretur) Ita cod. Franc. probante Heuman. et Ern. Vulg. *videri*.

Quae sibi) Nempe Lentulo, legati eorum recepissent, id est spopondissent, et suo periculo promisissent. Lamb.

Recepissent) Sic e cod. Duisb. Graev. Ern. alii, pro vulg. *praecepissent*. Idem iam Muretus coniectura assequutus erat, probante Lambino.

Aliquid tamen) Recte particulam *tamen* ab Ern. aliisque omissam revocavit Beckius, quam optimi codd. tuentur, et Muret. Graev. defenderant.

Convictus) Cod. Graev. 1, *victus*.

Statilius; cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam; confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo, et quaesivi, cognosceretne signum. Annuit. « Est vero, inquam, notum signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos: quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit. » Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque literae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit; post autem aliquanto, toto iam indicio exposito atque edito, surrexit; quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis; quamobrem domum suam venissent; itemque a Vulturcio. Qui quum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis loquutus: tum ille subito, scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit. Nam, quum id posset infitiari, repente praeter opinionem omnium confessus est. Ita eum non modo ingenium illud, et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam, propter vim sceleris manifesti atque deprehensi, impudentia, qua superabat omnes, improbitasque defecit. Vulturcius vero subito proferri literas atque aperiri iussit, quas

Cognovit et signum et manum suam) Sic cod. Muret. uterque Graev. edd. Naug. Herv. Lamb. Graev. Beck. Olim alii ut Man. Grut. *cognovit manum et signum suum*. Ern. *cognovit signum et manum suam*.

Est vero, inquam, notum signum) *Est vero inquam signum quidem notum* Camerar. al. *est vera inquam signum notum* Ald. Ern. Beck. Equidem cum Graevio scripsi *est vero inquam notum signum*, quia maior vis est in *notum*, ut debeat praecedere. Particulam *quidem* vero vim hic non habere vidit Ern.

De fatis) Cod. Muret. ed. Manut. Lamb. *libris*. In cod. Gemblac. et Egmont. teste Carrione l. l. *fastis*.

Conscientiae vis) *Vis conscientiae* Graev. e cod. Franc. Idem habent ed. Ven. 1483, Herv. Manut.

Iussit) *Iubet* codd. Lamb. uterque Graev. edd. Car. Steph. Manut. 1583.

sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus, tamen et signum suum et manum cognovit. Erant autem scriptae sine nomine, sed ita: *Qui sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Cura, ut vir sis, et quem in locum sis progressus cogita; et vide, quid iam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.* Gabinius deinde introductus, quum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique unicuiusque confessio, tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.

VI. Indiciis expositis atque editis, Quirites, senatum consului, de summa republica quid fieri placeret. Dictae sunt a principibus acerrimae ac fortissimae sententiae, quas senatus sine ulla varietate est con-

Infimorum) Sallustius B. C. c. 44, harum literarum exemplum dedit his verbis scriptum: *Quis sim ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites in quanta calamitate sis, et memineris te virum; consideres quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam infimis.* Heumannus Sallustium Lentuli verba fidelius reddidisse putat, cuius opinionis causam satis idoneam haud video. Ciceronem de scripto recitasse credibile est. Quidni igitur exemplum habuerit sincerius, quam Sallustius postea?

Nihil ex iis, quae) *Nihil eorum quae* Donatus legit ad Ter. Phorm. II, 3, 12.

Se ipsi viderentur) Hanc lectionem ex edd. antiquioribus restituit Graev. etiam in cod. utroque suo et Duisb. inventum. Ald. et alii, *sed ipsi a se viderentur.*

De summa republica) In multis codd. ut Mureti, Duisb. est *de summa reipubl. salute.* Aldus aliique usque ad Graevium *de summa reipublicae.*

Dictae sunt a principibus) Ab iis, qui primi sententiam rogati sunt. De ordine autem rogandi sententias videatur Gellius lib. IV, cap. 10.

Sine ulla varietate) Nondum igitur constitutum erat de supplicii genere: qua de re postea variae sententiae fuerunt. Mur.

sequutus. Et quoniam nondum est perscriptum senatusconsultum, ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. Primum mihi gratiae verbis amplissimis aguntur, quod virtute, consilio, providentia mea, respublica periculis sit maximis liberata; deinde L. Flaccus et C. Pomptinus, praetores, quod eorum opera forti fidelique usus essem, merito ac iure laudantur; atque etiam viro forti, collegae meo, laus impertitur, quod eos, qui huius coniurationis participes fuissent, a suis et reipublicae consiliis removisset. Atque ita censuerunt, ut P. Lentulus, quum se praetura abdicasset, tum in custodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes praesentes erant, in custodiam traderentur; atque idem hoc decretum est in L. Cassium; qui sibi procurationem incendendae urbis depoposcerat; in M. Caeparium, cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam, erat indicatum; in P. Furium, qui est ex his colonis, quos Fesulas L. Sulla deduxit; in Q. Manlium Chilonem, qui una cum hoc Furio semper erat in hac Allobrogum sollicitatione versatus; in P. Vmbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos esse constabat. Atque ea lenitate senatus est usus, Quirites, ut ex tanta

Sine ulla varietate) *Sine mora* ed. Waldarf. *sine ulla mora* ed. Ven. 1483.

Exponam) Guilielm. coni. *expromam.*

Collegae meo) Olim in quibusdam edd. ut in Gothofr. addebatur *C. Antonio*, scil. e glossemate, in plurimis codd. MSS. at edd. recte omissum.

Rei publicae consiliis) Non sine causa hic locus Ernestium offendit. Quid enim sunt *reipublicae consilia?* Si *publica*, quomodo poterat Antonius coniuratos a publicis consiliis removere? Itaque vel delenda sunt verba *et reipublicae*, vel legendum *a suis de republica consiliis.*

Traderentur) Ed. Lamb. *darentur.*

Ex his colonis quos) In MSS. et edd. pr. *ex his coloniis, quas.* At Ald. Vict. Cratand. R. Steph. *colonis quos.*

Q. Manlium) Sylvius corrigendum censuit *Magium*, probante Mureto, idque Lambinus recepit.

Perductos) Cod. Ox. c. *adductos.*

coniuratione, tantaque vi ac multitudine domesticorum hostium, novem hominum perditissimorum poena, republica conservata, reliquorum mentes sanari posse arbitraretur. Atque etiam supplicatio diis immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine, decreta est, Quirites: quod mihi primum post hanc urbem conditam togato contigit: et his decreta verbis est, QVOD VRBEM INCENDIIS, CAEDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quae supplicatio si cum ceteris conferatur, Quirites, hoc intersit, quod ceterae bene gesta, haec una, conservata republica, constituta est. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque transactum est. Nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, iudicio senatus, non modo praetoris ius, verum etiam civis amiserat, tamen magistratu se abdicavit; ut, quae religio C. Mario, clarissimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

VII. Nunc, quoniam, Quirites, sceleratissimi periculosissimique belli nefarios duces captos iam et comprehensos tenetis, existimare debetis, omnes Catilinae copias, omnes spes atque opes, his depulsis urbis periculis concidisse. Quem quidem ego quum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi esse P. Lentuli somnum, nec L. Cassii adipem, nec Cethegi furiosam temeritatem pertimescendam. Ille erat unus timendus ex his

Quae supplicatio si cum ceteris) Edd. pr. et codd. complures addunt. *supplicationibus*.

Intersit) Graev. e cod. Pith. suo secundo, et Duisb. dedit *interest*.

Ceterae bene gesta) Ed. Ven. utraque, *de re publica bene gesta*.

Patefactus) Edd. pr. *patefactis*.

Pellebam) Cod. Franc. Duisb. al. *depellebam*.

omnibus, sed tamdiu, dum moenibus urbis continebatur. Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat; erat ei consilium ad facinus aptum; consilio autem neque lingua, neque manus deerat. Iam ad certas res conficiendas certos homines delectos ac descriptos habebat. Neque vero, quum aliquid mandaverat, confectum putabat. Nihil erat, quod non ipse obiret, occurreret, vigilaret, laboraret; frigus, sitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium compulissem (dicam id quod sentio, Quirites), non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. Non ille nobis Saturnalia constituisset, neque tanto ante exitii et fati diem reipublicae denuntiasset, neque commisisset, ut signum, ut literae suae testes denique manifesti sceleris deprehenderentur. Quae nunc, illo absente, sic gesta sunt, ut nullum in privata domo furtum unquam sit tam palam inventum, quam haec tanta in republica coniuratio manifesto inventa atque deprehensa est. Quod si Catilina in urbe ad hanc diem remansisset, quamquam, quoad fuit, omnibus eius consiliis occurri atque obstiti, tamen, ut levissime dicam, dimicandum nobis cum illo fuisset, neque nos unquam, dum ille in urbe hostis fuisset, tantis

Audebat) Hoc sine causa Heumanno suspectum fuit. Hoc enim refertur ad id quod deinde dicitur, ei nec linguam nec manus defuisse.

Iam ad certas res) In aliquot edd. *ceteras*, minus bene.

Non ille nobis) Ald. et seqq. usque ad Graevium, *vobis*.

Exitii et fati diem) Sic edd. pr. et codd. Pith. Duisb. Franc. Graev. secundus. Recentiores inde ab Aldo, *exitium et fati diem*. Recte veterem lectionem restituit Graev.

In republica) Ita plerique codd. MSS. edd. Lamb. Gothofr. Ern. recte, quia opponitur *in privata domo*. Aldus *in rempublicam*.

periculis rempublicam, tanta pace, tanto otio, tanto silentio, liberassemus.

VIII. Quamquam haec omnia, Quirites, ita sunt a me administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque quum coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse: tum vero ita praesentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos paene oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces ardoremque caeli, ut fulminum iactus, ut terrae motus, ut cetera relinquam, quae tam multa, nobis consulibus, facta sunt, ut haec, quae nunc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque praetermittendum, neque relinquendum est. Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio res de caelo esse per-

Quod vix videtur — potuisse) Sic Ald. Vict. Mur. Lamb. alii seq. *quod vix videtur humanis consiliis tantam molem rerum gubernatio consequi potuisse.* Edd. antt. nonnullae, et Gothofred. *quod vix videretur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse* cod. Graev. 1 *quod vix videtur humanis consiliis tantarum rerum gubernationem quis consequi potuisse.*

Vt fulminum iactus, ut terrae motus) *Vt fulminum iactus, ut terrae motus, ceteraque quae* Ald. Camerar. Gronov.; *ut fulminum iactus, ut terrae motus relinquam, ut omittam cetera quae* Muret. et Graev. e codd.; *ut fulminum iactus, ut terrae motus, ut cetera quae* Ern. Ego vero servandum duxi *relinquam*, et post *cetera* ponendum; quia postea Cicero dicit *quae sum dicturus neque praetermittendum, neque relinquendum est.* Ceterum comparandi cum toto hoc loco sunt versus ex libro secundo de consulatu suo Divinat. I, 11.

Neque praetermittendum, neque relinquendum) Praetermittimus ea, quae ne attingimus quidem: relinquimus iam suscepta. Fieri etiam potest, ut duo idem valentia coniunxerit. GRAEV.

Cotta et Torquato coss.) Anno urbis conditae 688, quo tempore prior coniuratio facta est: de qua Sallustius.

Complures in Capitolio res) Recte Ern. hanc lectionem quae est in codd. Pall. tribus aliisque nonnullis praetulit vulgatae *turres*. Nam quae sint illae *complures res*, statim explicat sequentibus verbis, *quum et simula-*

cussas, quum et simulacra deorum immortalium depulsa sunt, et statuae veterum hominum deiectae, et legum aera liquefacta. Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis. Quo quidem tempore, quum haruspices ex tota Etruria convenissent, caedes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales, omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis tunc et ludi decem per dies facti sunt, neque res ulla, quae ad placandum deos pertineret, praetermissa est: iidemque iusserunt simulacrum Iovis facere maius, et in excelso collocare, et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere: ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, et forum curiamque, conspiceret, fore ut ea consilia, quae clam essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut a senatu populoque romano perspici possent. Atque illud ita collocandum consules illi locaverunt: sed tanta fuit

cra etc. Neque vero ulla turrium mentio fit in versibus supra memoratis e poëmate de consulatu suo Divin. I, 11. Assentitur Ernestio C. A. Boettigerus V. C. in prolusione lectu digna ad huius orationis cap. 8 edita Budissini 1791 et repetita in libro: Magazin für öffentliche Schulen und Schullehrer. Tom. II, p. 2.

Depulsa) Graev. e cod. Franc. *delapsa*.

Legum aera liquefacta) Legum aera significant duodecim tabularum leges, quas in aere descriptas fuisse narrat T. Livius lib. 3.

Ad placandum Deos) Plerique MSS. *ad placandos Deos*, quod Ernestio placebat, etsi alteram formam apud optimos scriptores occurrere non ignorabat. Sed bene Beckius lectionem *placandum* defendit.

Locaverunt) Male quaedam edd. et MSS. *collocaverunt*. Aldus *statuerunt*. Verissimum est *locaverunt*. Cic. de Divin. II, 20 (quo loco aliter de his prodigiis ut philosophus, quam hic ut popularis orator iudicat): «*Signum Iovis biennio post quam erat locatum, in Capitolio collocabatur*. Et cap. 21: *Et redemptor qui colu-*

operis tarditas, ut neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur.

IX. Hic quis potest esse, Quirites, tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui neget, haec omnia, quae videmus, praecipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari? Etenim quum esset ita responsum, caedes, incendia, interitumque reipublicae comparari, et ea a perditis civibus, quae tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur, ea non modo cogitata a nefariis civibus, verum etiam suscepta esse sensistis. Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Iovis Optimi Maximi factum esse videatur, ut, quum hodierno die mane per forum meo iussu et coniurati et eorum indices in aedem Concordiae ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atque ad vos senatumque converso, omnia et senatus, et vos, quae erant contra salutem omnium cogitata, illustrata et patefacta vidistis. Quo etiam

unam illam de Cotta et de Torquato conduxerat *faciendum»* etc. Fuit autem illud Iovis signum extra templum in monte Capitolino positum, ita ut in foro cerni posset. Inde Quintilianus Inst. or. V, 2: *Ponitur a quibusdam — Deorum auctoritas, quae est ex responsis — Id rarum est; tamen utitur eo Cicero — in concione contra Catilinam, quum signum Iovis columnae impositum populo ostendit.*

Neque a nobis) *Neque a superioribus coss.* L. Iulio Caesare et C. Marcio Figulo; *neque a nobis* i. e. a me Cicerone et Antonio coss.

Et ea a perditis civibus) Sic codd. Muret. Fabric. uterque Graev. Franc. aliique. Recepit Graev. Oliv. Beck. Alteram lectionem *et ea a perditis civibus* Ernestius tenuit, suspicatur tamen utrumque glossema esse. Haruspices, inquit, rem, quid compararetur, dixere; res docuit ea non per hostes, sed per cives improbos comparari. Enimvero dubitari non potest haruspices hoc quoque praedixisse, hanc interitum reipublicae *per cives* comparatum iri, si contuleris, quae Cicero in poëmate de consulatu dixit, ubi (Divinat. I. c. 12) de illis vaticiniis loquens his verbis utitur:

Omnes civili generosa stirpe *profectam*
Vitare ingentem cladem pestemque monebant.

Hodierno die) *Hodierno mane*, quod est in edd. nonnullis Heumannus ferri posse censebat, quia eodem modo dicatur *primo mane*.

maiore sunt isti odio supplicioque digni, qui non solum vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati: quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi sumam, et non sim ferendus. Ille, ille Iupiter restitit; ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad haec tanta indicia perveni. Iam vero illa Allobrogum sollicitatio ab Lentulo ceterisque domesticis hostibus, tanta res, tam dementer credita et ignotis et barbaris, commissaeque literae nunquam essent profecto, nisi a diis immortalibus huic tantae audaciae consilium esset ereptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae populo romano bellum facere et posse et non nolle videatur, spem imperii et rerum amplissimarum ultro sibi a patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent: id non divinitus factum esse putatis? praesertim qui nos non pugnando, sed tacendo superarent?

X. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies

Sollicitatio ab Lentulo) Vulgo *sollicitatio sic a Lentulo.* Quod recepi, placuit Lambino. Et *ab Lentulo* habet cod. Barb. Particula *sic* iam in ed. Naug. et Man. omissa. Ernestio videbatur verbum aliquod, ut *suscepta* excidisse. In reliquis nihil mutem. Verba *tanta res tam dementer credita* bene sic procedunt ut ap. Terentium Andr. I, 5, 18: *tantamne rem tam negligenter agere;* ut transpositione nihil opus sit. Graevius tamen edidit *tam dementer tantae res creditae;* et Garatonus maluit *tam dementer tanta res credita*, ut est in cod. Barb. et utraque edit. Ven.

Id non divinitus) Sic Graev. e codd. MSS. pro vulg. *id nonne divinitus.*

Tacendo superarent) Hoc Ernest. revocavit ex ed. Waldarf. Vulgo *superare potuerunt.*

Ad omnia pulvinaria) Supplicationes interdum huic, aut illi Deo, interdum ad omnia pulvinaria, i. e., omnibus diis, constituebantur. Ibant

cum coniugibus ac liberis vestris. Nam multi saepe honores diis immortalibus iusti habiti sunt ac debiti, sed profecto iustiores nunquam. Erepti enim estis ex crudelissimo ac miserrimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione; togati, me uno togato duce et imperatore, vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, neque solum eas, quas audistis, sed et eas quas vosmetipsi meministis et vidistis. L. Sulla P. Sulpicium oppressit; ex urbe eiecit C. Marium, custodem huius urbis, multosque fortes viros partim eiecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius, consul, armis ex urbe collegam suum expulit. Omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario. Tum vero, clarissimis viris interfectis, lumina civitatis exstincta sunt. Vltus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla. Nec dici quidem opus est, quanta deminutione civium, et quanta calamitate reipublicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo et fortissimo viro Q. Catulo.

per urbem coronati pueri, matronae, virgines, nonnunquam etiam lauream manu tenentes, canebantque hymnos compositos in laudem Deorum, ac decernebatur supplicatio vel ad avertendum aliquod malum, quod aut premeret, aut immineret, vel ob rem bene ac feliciter gestam. MVRET. Pulvinaria autem erant lecti, qui sternebantur in templis, quum Diis convivium apponebatur; quod sacrificii genus *lectisternium* dicebatur.

Erepti enim estis) *Estis* in nonnullis edd. omissum, ex optimis codd. addidit Graevius quem cum Beckio sequutus sum.

Sed et eas) Quod ostendunt aliquot MSS. rescripsi pro vulg. *sed et has*, auctore Goërenzio ad Cic. de legg. III, 11."

Ex urbe eiecit C. Marium) Sic Lambin. codd. nonnullorum auctoritate. Vulgo *eiecit ex urbe C. Marium*.

Dissensit M. Lepidus) Quum impediret, ne Sulla in campo Martio sepeliretur (qui honos regibus tantum ante Sullam tributus fuerat) et acta illius rescindere conaretur. Livius lib. 90, Appianus lib. 1 de bellis civilibus. Plutar. in Pompeio. Florus lib. 3, cap. ult. MVRET.

Q. Catulo) Hic est Catulus ille, qui Ciceronem patrem patriae nominavit: quique tum erat princeps senatus, atque adeo civitatis. ID.

Attulit non tam ipsius interitus reipublicae luctum, quam ceterorum. Atque illae dissensiones erant huiusmodi, Quirites, quae non ad delendam, sed ad commutandam rempublicam pertinerent. Non illi nullam esse rempublicam, sed in ea, quae esset, se esse principes: neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt. Atque illae tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium reipublicae quaesivit, eiusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiae, sed internecione civium diiudicatae sint. In hoc autem uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum sua gente gessit, quo in bello lex haec fuit a Lentulo, Catilina, Cassio, Cethego constituta, ut omnes, qui salva urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur: ita me gessi, Quirites, ut omnes salvi conservaremini; et, quum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset, tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuisset; et urbem et cives integros incolumesque servavi.

XI. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego

Non tam ipsius interitus) Animadverte, quam considerate loquatur. Non enim prorsus negat, Lepidi mortem luctuosam fuisse: agit enim ad populum: et Lepidus iuniorum se propugnatorem adversus Sullanos haberi voluerat; sed negat eam tam luctuosam fuisse, quam ceterorum. Id.

Erant huiusmodi) Haec Ernestius suspicatur a glossatore adiecta esse; totumque locum sic constituendum putat: *Atque illae dissensiones, Quirites, quae non — pertinerent* (*non illi nullam — voluerunt*) *atque illae t. o. d. quarum nulla* etc. Equidem deletis istis verbis *erant huiusmodi*, postea scribendum arbitror *non enim illi*; et post *voluerunt* particulam *atque* delendam.

Infinitae caedi) Burmannus ad Anthol. Lat. T. II, p. 180 corrigit *infinita e caede*, quod probat Garatonus, ut *restitisset* sit a verbo *restare*, non a *resistere*.

Et cives integros) Lamb. in MSS. nonnullis legit *et civeis omneis integros*. Graevius in optimo cod. suo: *et omnis civis integros incolumisque*.

a vobis praemium virtutis, nullum insigne honoris, nullum monumentum laudis postulo, praeterquam huius diei memoriam sempiternam. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia, condi et collocari volo. Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique huiusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoria vestra, Quirites, nostrae res alentur, sermonibus crescent, literarum nonumentis inveterascent et corroborabuntur: eandemque diem intelligo, et ad salutem urbis, quam spero aeternam fore, et ad memoriam consulatus mei propagandam, unoque tempore in hac republica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terrae, sed caeli regionibus terminaret; alter eiusdem imperii domicilium sedemque servaret.

XII. Sed, quoniam earum rerum, quas ego gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quae illorum, qui externa bella gesserunt: quod mihi cum his vivendum est, quos vici ac subegi; isti hostes aut in-

Eandem diem intelligo) Recte sic Beckius locum constituit adhibita cod. Franc. lectione. Vulgo *eandemque diem intelligo, quam spero aeternam fore, et ad salutem urbis et ad memoriam* etc.

Propagandam) Hoc e MS. Franc. recte praetulit Beckius vulgato *propagatam*. Sed verbum *intelligo* vix arbitror genuinum esse. Non enim quid ipse intelligeret, sed quid Quirites celebraturi essent, ut memoraret, sententiae nexus postulabat. Aptius certe esset *intelligetis*. Sed ne hoc quidem omnino placet. Exspectabatur *posteri mirabuntur* vel simile quid. Paulo post quum dicit Pompeium fines imperii non terrae sed caeli regionibus terminasse, nihil aliud significat, quam quod orat. pro Sext. c. 31 his verbis enuntiavit, eum *imperium populi Romani orbis terrarum terminis definivisse*. Idem Catil. IV, 10 sic expressit: *Pompeius cuius res gestae iisdem quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur*. In utroque hyperbolen facile agnoscimus; attamen hoc loco absurdum videri possit *terrae regiones* opponi *caeli regionibus*. Sed *terrae regiones* sunt certa quaedam regna, v. c. Parthorum regnum; *caeli regiones* sunt *plagae mundi*. Ergo Pompeius dicitur totum orbem terrarum Romanorum imperio subiecisse.

Quod mihi cum his vivendum est)

terfectos aut oppressos reliquerunt: vestrum est, Quirites, si ceteris sua facta prosunt, mihi mea nequando obsint, providere. Mentes enim hominum audacissimorum sceleratae ac nefariae ne vobis nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrum est providere. Quamquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil iam ab istis noceri potest. Magnum enim est in bonis praesidium, quod mihi in perpetuum comparatum est; magna in republica dignitas, quae me semper tacita defendet; magna vis est conscientiae, quam qui negligent, quum me violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciae cedamus, sed etiam omnes improbos ultro semper lacessamus. Quod si omnis impetus domesticorum hostium, depulsus a vobis, se in me unum converterit: vobis erit providendum, Quirites, qua conditione posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint invidiae periculisque omnibus. Mihi quidem ipsi quid est, quod iam ad vitae fructum possit acquiri, praesertim quum neque in honore vestro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi li-

Recte Graevius e cod. utroque et Beckius sic edidit. Vulgo *quod mihi vivendum sit cum illis*. Ernestius *quod mihi cum his vivendum sit*. Sed coniunctivo nullus est hic locus, quum deinde sequatur *reliquerunt*.

Si ceteris sua facta prosunt) Sic Ern. ex ed. Waldarf. et MS. Franc. Vulgo *si ceteris recta sua facta prosunt*. Lamb. legi voluerat *si ceteris sua recte facta*. Graevius edidit *si ceteris recte facta sua*.

In bonis) Sic Gruterus e tribus Pall. Erf. Hitl. quem aliorum quoque codd. auctoritate post eum omnes sequuti sunt. Antea erat *vobis*.

Quod si omnis impetus d. h. depulsus a vobis, se in me unum converterit) Ita Manut. Graev. Beck. alii ediderunt ad fidem codd. plurimorum. Aldus *omnes—depulsi converterint*. Ern. ex edd. pr. *omnis—depulsus—convertit*.

Quo quidem mihi libeat ascendere) Nam nullus est magistratus superior consulatu, praeter dictaturam. Hanc autem optare boni civis non esset Non enim fere dicebatur dictator, nisi periculosissimis reipubl. temporibus. Muret.

beat adscendere? Illud perficiam profecto, Quirites, ut ea, quae gessi in consulatu, privatus tuear atque ornem: ut, si qua est invidia in conservanda republica suscepta, laedat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in republica tractabo, ut meminerim semper quae gesserim, curemque, ut ea virtute, non casu, gesta esse videantur. Vos, Quirites, quoniam iam nox est, veneramini illum Iovem, custodem huius urbis ac vestrum, atque in vestra tecta discedite: et ea, quamquam iam periculum est depulsum, tamen aeque ac priori nocte, custodiis vigiliisque defendite. Id ne vobis diutius faciendum sit, atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo, Quirites. [1]

Veneramini) Cod. Graev. primus *venerati — ac vestrum in vestra tecta discedite.*

Ac priori nocte) In aliquot codd. et edd. additur *fecistis*, quod Gruter. cum cod. Pal. sec. et ed. Nauger. delevit.

1. Vulgo abest *Quirites*. Retinuerunt Ernesl. Schütz. aliique. T.

IN

L. CATILINAM

ORATIO QVARTA

HABITA IN SENATV

M. Ant. Mvreti Praefatio ad Leonardvm Mocenicvm (1)

Si praemiis tantum, Mocenice, et iis praemiis in quibus praecipuam felicitatis partem vulgaris opinio constituit, ad bene merendum de humano genere praestanti homines ingenio adducerentur, multos, ut opinor, et certe, ab instituto virtutis itinere animadversa superiorum aetatum exempla revocarent. Nam si replicare memoriam temporum, et antiquitatis monumenta excutere velimus, deprehendemus unaquaque in republica eos fere, quorum plurima in eam exstabant maximaque beneficia, omni scelere laceratos, omni crudelitate raptatos, omni acerbitatis genere divexatos fuisse. Quod quamvis ita exploratum est et tibi, et iis omnibus, qui operae aliquid in antiquitatis cognitione posuerunt, vix ut confirmationis indigeat; tamen, ut, si qua esse potest, dubitatio eximatur, aliquot, quae mihi nunc in mentem veniunt, illustria eius rei exempla subiiciam. Primae autem in hac cogitatione occurrunt illae omnium laudandarum artium, ipsiusque adeo humanitatis parentes Athenae, quam optimis studiis deditam, refertam assidue, atque, ut ita dixerim, foetam eruditissimis hominibus civitatem, cui unquam insigniter adiuvare impune licuit? Non illa Miltiadem, Cimo-

(1) Quum haec Mureti praefatiuncula et rebus ipsis, et sermonis elegantia ac paritate excellat, rem lectoribus non iniucundam me facturum arbitror, neminemque mihi succensere velim, quod eam denuo typis expresserim. Typ. T.

nem, Themistoclem, Aristidem, Aeschinem, Demosthenem, quorum omnium summis erat usa beneficiis, in exsilium pepulit? non illud probitatis, modestiae, integritatis, sapientiae specimen Socratem veneno necavit, et constituto adversus impios, ac prave de rebus divinis sentientes supplicio eum potissime affecit, qui unus ex omnibus ad veram Dei cognitionem proxime accesserat? Sed Romana respublica quanto ceteras omnes magnitudine virium, atque imperii amplitudine superavit, tanto maiorem nobis atque ampliorem huius generis exemplorum copiam subministrat. Cuius in historiam quisquis ingreditur, is in ipso quasi vestibulo illum ipsum urbis parentem Romulum senatorum manibus crudelissime discerptum ac dilaniatum videt. Quod si tam horrendi facinoris immani atrocitate spectata, intro tamen ire perrexerit, non longe progressus, obvium habebit Collatinum, ob inanem popularis suspicionis auram, in exsilium proficiscentem ea ex urbe, quam ipse magna ex parte dominatu regio liberarat. Atque ut Coriolanum tacitus praeteream, Marcum certe Camillum, haud facile dixerim, militarine virtute, an fide iustitiaque maiorem, et mirabitur, et miserabitur eadem calamitate perculsum. Scipionem vero illum, de quo vere scripserat Ennius, nullam columnam a populo romano erigi posse, quae magnitudini rerum ab ipso gestarum responderet, quis est, qui quum intellexerit eo post tot tamque insignes victorias redactum, ut exsilium sibi suapte sponte consciverit, non debilitetur ac concidat animo, planeque iudicet, nullam iis attingendam esse reip. partem, qui commodo ac tranquillitati suae consultum velint? Quid iam illos turbines, illas procellas, illas tempestates civilium dissensionum commemorem? quibus non unus aut alter praeclarus et salutaris reipublicae civis perculsus est, sed ipsi acervi, ipsa millia immortalitate dignorum hominum, nefariis consceleratissimorum latronum manibus trucidata iacuerunt. O acerbum illud, et vel romani nominis hostibus miserabile spectaculum! quum passim per vias immanium gladiatorum in principes civitatis debacchabatur furor; quum qui aliquando reipublicae praesidio fuerant, eis nullum in civitate praesidium reperiebatur; quum quorum eloquentia ipsis gloriae, aliis admirationi, reipublicae saluti fuerat, eorum ex illis ipsis Rostris, e quibus tam saepe concionati erant, incisis cervicibus, capita sanguinolenta pendebant. Sed ut haec mittamus, quibus satis dolenter deplorandis, alicuius eorum, qui tunc occubuerunt, opus esset ingenio; Ciceronis casus, totiusque vitae iactatio quem

non, qui in iuvanda patria commodum suum, aut aliquod eiusmodi praemium sequatur, a reip. tractatione deterreat? Cuius enim unquam hominis vel plura, vel maiora merita populus romanus habuit? At ille tamen, cui senatus togato supplicationem decreverat, quem Q. Catulus, princeps senatus, quem M. Cato, quem alii parentem patriae meritissimo vocaverant, cui L. Gellius coronam civicam a republica deberi dixerat; quid non postea calamitatum, indignitatum, acerbitatum in ea, quae ipsius consiliis stabat, civitate perpessus est? Ipse in exsilium ab homine teterrimo pulsus, direpta bona, vexata uxor, vexati liberi, domus incensa: quidquid denique meruerat Clodius, Cicero pertulit, et eas ob ipsas res pertulit, quibus nulla satis ampla praemia poterant inveniri. Quocirca si sola, ut initio dixi, praemiorum exspectactione praeclari viri ad virtutem, et ad iuvandum genus hominum adducerentur, multi sine dubio, cognitis aliorum casibus, a proposito abducerentur. Sed est profecto, Mocenice, est maior quaedam vis, quae tibi ac tui similibus persuadeat, virtutem non modo detractis omnibus praemiis, verum etiam propositis omnibus suppliciis, esse expetendam: pulchrum esse adiuvare cives suos, et omnes curas, omnes vigilias in reipublicae salute defigere: nullum eius causa periculum, nullam invidiam, nullam dimicationem defugere: cives beneficiis affecti si quid praemiorum retulerint, non repudiandum; sin parum grati parumque memores fuerint, quid denique nos reipublicae, non quid alii nobis debeant, cogitandum. Saepe enim ex te audivi, quum diceres, gratulari te tibi, et magnam gratiam debere omnium rerum moderatori Deo, quod ea in republica natus esses, in qua verendum non esset, non modo ne quisquam ob virtutem in invidiam vocaretur, sed ne vel minimis in remp. beneficiis sua praemia denegarentur, sed tamen si vixisses illis temporibus, et optionem tibi Deus tulisset, Ciceronis fortunam ab urbe conservata exulantis fortunae Caesaris, in eadem oppressa dominantis, antepositurum fuisse. Ac plane ita est, ut dicam: gratuita prorsus non mercenaria est virtus: neque praemiorum mercedibus ad recte agendum excelso homines ingenio, sed ipsa dignitate, atque honestate ducuntur. Aut si quando de aliquo praemio cogitant, de gloria, deque immortalitate nominis cogitant: cuius splendore capti et incensi, omnia quae aspera, molesta, difficilia perpessu, impatibilia creduntur, vel non sentiunt, vel despicatui ducunt. Neque vero M. Tullius, quum de coniuratis supplicium sumeret, non iam

tum cogitatione praecipiebat eas tempestates, quibus postea vexatus est. Sed animus et a natura praeclare conformatus, et sapientiae praeceptis adversus omnes vel fortunae, vel hominum iniurias confirmatus, multo pluris ducebat eam pulchritudinem, eamque gloriam, quae in conservanda patria esset, quam omnes acerbitates, quas ipsi postea perditorum hominum inflammata odio rabies obiicere posse videretur. Hanc ipsius rationem ac sententiam fuisse, quum alia multa, tum haec, quam explicare ingredimur, oratio manifesto declarat.

I.

Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos; video, vos non solum de vestro ac reipublicae, verum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis, et grata in dolore, vestra erga me voluntas: sed eam, per deos immortales! quaeso, deponite, atque obliti salutis meae, de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si haec conditio consulatus data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatusque perferrem, feram non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque romano dignitas salusque pariatur. Ego sum ille consul, Patres conscripti, cui non forum, in quo omnis aequitas continetur; non campus, consularibus auspiciis consecratus; non curia, summum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus; non deni-

Mihi quidem) *Quidem* a Victorio additum, Graevius auctoritate codd. MSS. delevit. Ernestius tamen defendit.

Perferrem) Cod. Duisb. *perferam.*

In quo omnis aequitas) Gulielm. et Heumannus maluerunt *quo omnis*, praepositione deleta. Agnoscit eam tamen praeter codd. MSS. etiam Priscianus p. 940.

que haec sedes honoris unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore, in vestro timore, sanavi. Nunc, si hunc exitum consulatus mei dii immortales esse voluerunt, ut vos, Patres conscripti, populumque romanum ex caede miserrima; coniuges liberosque vestros, virginesque Vestales ex acerbissima vexatione; templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex foedissima flamma; totam Italiam ex bello et vastitate eriperem: quaecumque mihi uni proponetur fortuna, subeatur. Etenim, si P. Lentulus suum nomen, inductus a vatibus, fatale ad perniciem reipublicae fore putavit: cur ego non laeter, meum consulatum ad salutem reipublicae prope fatalem exstitisse?

II. Quare, Patres conscripti, consulite vobis, prospicite patriae, conservate vos, coniuges, liberos, fortunasque vestras, populi romani nomen salutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare desinite. Nam primum debeo sperare, omnes deos, qui huic urbi praesident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam esse; deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar. Neque enim gravis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec mi-

Haec sedes honoris) Vulgo *haec sedes honoris sella curulis*. Recte vero viri docti verba *sella curulis* glossema esse verborum *sedes honoris* intellexerunt. Neque tamen veram esse interpretationem monuit Ern. Nam non modo, aut tantum sellam curulem, sed locum principem in senatu significari, ubi sedebat consul, praesidebat, penes quem essent fasces. — Vid. tamen Schol. antiq. in fine huius orationis. Tyr.

In vestro timore) Lipsius V. L. III, 22, coniecit *sine vestro timore*, quod Heumannus quoque probavit.

Ex caede miserrimā) Recte *miserrima* quod est in MSS. Erl. scribendum iudicavit Goerenzius ad Cic. de Fin. I, 4. Vulg. *misera*.

Si quid obtigerit) *Obtigerit* pro *acciderit* verum esse dubitavit Ern.

Neque enim gravis) Ita Quintil. VI, 3, 109; quae lectio haud dubie vulgatae *turpis mors* praeferenda est. Nam *turpem mortem* forti viro accidere non posse nihil attinebat monere.

sera sapienti. Nec tamen ego sum ille ferreus, qui fratris carissimi atque amantissimi praesentis moerore non movear, horumque omnium lacrymis, a quibus me circumsessum videtis; neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor, abiecta metu filia, et parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica tanquam obsidem consulatus mei; neque ille, qui exspectans huius exitum diei, adstat in conspectu meo gener. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes, etiamsi vis aliqua me oppresserit, potius quam et illi et nos una reipublicae peste pereamus.

III. Quare, Patres conscripti, incumbite ad reipublicae salutem; circumspicite omnes procellas, quae impendent, nisi providetis. Non Ti. Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit; non C. Gracchus,

Quem mihi videtur amplecti resp. tanquam obsidem consulatus mei) Cur obsidem consulatus sui filium vocet, haec causa est. Qui liberis carent, eos verisimile est de salute publica minus sollicitos esse, quam quibus sunt liberi. Nam hi non minus liberorum causa, quam sua, salvam rempublicam velle debent: nisi omnem exuerint humanitatis sensum, ut illam repudient στοργὴν φυσικὴν, quae ingenerata est non hominibus modo, verum etiam feris: eaque de causa, ut alibi retulimus, eunuchi apud Massilienses non fiebant, nisi qui et uxorem, et liberos haberent. Parvulus igitur Ciceronis filius, qui patri maxime cordi erat, quasi obses erat reip. qui confirmaret, patrem nihil gesturum, nisi quod videretur saluti fore. MVRET. Ciceronis filius annum unum agebat, ut patet ex I epist. lib. I ad Atticum: eumque amplectebatur respublica tanquam obsidem paterni consulatus. Quibus enim periculis non ultro se offerret pro republica Cicero, quum ea servata, parvulus etiam filius conservaretur, et amplissima praemia sperare posset? Sic nimirum loqui respublica videbatur: Tuum, Cicero, filium fidei tuae obsidem habes: si tu me servaveris, et ille salvus erit, qui ex te natus est, et ego ipsum iam grandiorem factum, in gratiam bene meriti de me patris ornabo, ac tuebor: si tu remissius egeris, neutrum fiet. FERR.

Adstat in conspectu meo gener) C. Calpurnius Piso: hic enim tum Tulliam in matrimonio habebat, quae postea Crassipedi, deinde Dolabellae nupsit. MVRET.

Vna reipublicae peste) Lambin. dedit *una cum republica*, idque Grut. Heuman. aliique nonnulli servarunt. Hic tamen maluit *una peste*, omisso *reipublicae*.

qui agrarios concitare conatus est; non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in vestrae severitatis iudicium adducitur: tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catilinam accipiendum, Romae restiterunt. Tenentur literae, signa, manus, denique uniuscuiusque confessio; sollicitantur Allobroges; servitia excitantur; Catilina arcessitur; id est initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reipublicae nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur. Haec omnia indices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis iam iudiciis iudicastis: primum, quod mihi gratias egistis singularibus verbis, et mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse coniurationem decrevistis; deinde quod P. Lentulum, ut se abdicaret praetura, coëgistis; tum quod eum, et ceteros, de quibus iudicastis, in custodiam dandos censuistis; maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis; qui honos togato habitus ante me est nemini: postremo hesterno die praemia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dedistis amplissima. Quae sunt omnia eiusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.

Tenentur ii) Vulgo olim *sed tenentur*. Particulam, quae abest utroque MSS. Graev. Erf. Pith. recte deleverunt Graev. Ern. etc.

Accipiendum) *Recipiendum* edit. Ven. 1480.

Initum consilium) Cod. Graev. sec. et Colon. *tale initur consilium*, quod placuit Gulielmio ob orationis consequutionem; cui tamen in vulgata nihil perit.

Iudiciis) *Indiciis* est in codd. aliquot MSS. et ed. Ven. utraque. Atque sic corrigendum censuit Bunkershoch Obss. Iur. Rom. lib. I, c. 6, probante Vonckio lect. Lat. lib. I, c. 7, qui idem invenit in Io. Badii Ascensii editione Sallustii, cui insertae sunt orationes Catilinariae. A verum esse *iudiciis* monuit Ern. quia deinde enumerantur *iudicia*, non indicia.

IV. Sed ego institui referre ad vos, Patres conscripti, tanquam integrum, et de facto, quid iudicetis, et de poena, quid censeatis. Illa praedicam, quae sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem, et nova quaedam misceri et concitari mala iampridem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam haberi coniurationem a civibus, nunquam putavi. Nunc, quidquid est, quocumque vestrae se mentes inclinent atque sententiae, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad vos delatum sit, videtis. Huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis. Latius opinione disseminatum est hoc malum; manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens, multas iam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. Quacumque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est. Video duas adhuc esse sententias: unam

Quocumque vestrae se mentes inclinent atque sententiae) Recte sic rescripsit Beck. pro vulg. *quocumque vestrae mentes inclinant atque sententiae.* Et pronomen *se* iam Graevius e cod. Erf. et Duisb. addiderat. Coniunctivum *inclinent* Ern. quoque praeferendum censuerat, quem habet cod. Duisb.

Statuendum vobis ante noctem est) Tum quia periculum erat, ne noctu aliquis tumultus excitaretur, ut per vim eriperentur ii, qui in custodiam dati erant: tum quia senatum ante noctem dimitti oportebat. Varro enim apud Gellium docet, senatusconsultum ante exortum aut post occasum solem factum, ratum non fuisse. Mvr.

Video duas adhuc esse sententias) D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, quoniam, ut diximus, consul designatus erat, in eos, qui in custodiam traditi essent, et praeterea in L. Cassium, P. Furium, P. Vmbrenum, Q. Annium, si deprehensi forent, ultimum supplicium decreverat. Ei omnes assensi sunt, usque ad Ti. Neronem, qui, ut ait Sallustius, de supplicio, praesidiis additis, referendum esse censuit, ut autem ait Appianus, censuit, eos in custodiis habendos, donec Catilina bello profligatus foret, ut tum tuta res accuratius cognosceretur. Caesar autem, ubi ad eum ventum est, morte eos afficiendos negavit, sed publicanda bona, ipsos per municipia dispertiendos, et perpetuo in vinculis habendos censuit. Addidit alia, quae hic a Cicerone ponuntur: tantumque valuit dicendo, ut nonnulli ex iis, qui priore loco sententiam dixerant, eam, ipsius oratione permoti, muta-

D. Silani, qui censet, eos qui haec delere conati sunt, morte esse multandos; alteram C. Caesaris, qui mortis poenam removet, ceterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur. Vterque et pro sua dignitate et pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum romanum vita privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi romani nomen exstinguere, punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu, non putat oportere: atque hoc genus poenae saepe in improbos cives in hac republica esse usurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes etiam saepe libenter oppetiverunt. Vincula vero, et ea sempiterna, certe ad singularem poenam nefarii sceleris inventa sunt. Municipiis dispertiri iubet. Habere videtur ista

verint: inter quos ipse Silanus, si Sallustio credas, pedibus se in sententiam Neronis iturum esse dixit: sin Plutarchum et Suetonium sequare, professus est, se ultimi supplicii nomine, non mortem, sed vincula intelligere. Caesari assensi sunt omnes usque ad Catonem, qui gravissima oratione ita disseruit, eos morte esse multandos, ut in eandem sententiam reliquos omnes adduxerit. Caesaris et Catonis orationes leguntur illae quidem apud Sallustium: sed non iisdem, ut puto, verbis, quibus ab illis habitae sunt. ID.

Conati sunt) Ernestius hic et paulo post scribi voluit *conati sint* eique paruit Beckius. Nollem factum. Nam quum ambiguum amplius non esset, quinam essent illorum facinorum rei, indicativus *conati sunt*, recte et apte ponitur. Cf. Heusingeri praefationem ad Cic. de off. p. LIII sq.

Punctum temporis) Ita Lambin. et post eum ceteri. Antea *puncto temporis*.

Municipiis dispertiri iubet) Hic aliquot verba excidisse perspicuum est. Sententia Caesaris fuerat, ut est ap. Sallust. *B. C.* c. 51, *ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valent*. Itaque sic fere scripsisse Cicero videtur: *In vinculis igitur illos habendos municipiis dispertiri iubet*. In edd. nonnullis ante Gruterum et Nauger. Camerar. addebatur *itaque* ante *municipiis*, neque tamen eo satis explebatur sententia. Graev. dedit e cod. Duisb. *quae municipiis dispertiri iubet*.

Habere videtur ista res iniquitatem) Propter poenam, quae proponebatur,

res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare. Decernatur tamen, si placet. Ego enim suscipiam, et, ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium causa statueritis, non putent esse suae dignitatis recusare. Adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias circumdat, et digna scelere hominum perditorum sancit; ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per senatum, aut per populum levare possit: eripit etiam spem, quae sola hominem in miseriis consolari solet. Bona praeterea publicari iubet; vitam solam relinquit nefariis hominibus; quam si eripuisset, multos uno dolore dolores animi atque corporis, et omnes scelerum poenas ademisset. Itaque, ut aliqua in vita formido improbis esset posita, apud inferos eiusmodi quaedam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quod videlicet intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.

V. Nunc, Patres conscripti, ego mea video quid intersit. Si eritis sequuti sententiam C. Caesaris, quoniam hanc is in republica viam, quae popularis habetur, sequutus est, fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore huiusce sententiae, mihi populares impe-

ut si quis eorum vincula rupisset, totum municipium in hostium loco haberetur. MVRET.

Putent) Sic Ern. correxit vulg. *putet*.

Quos condemnat) Hoc delendum putabat Heumannus, cui assentior. Paulo ante Muret. et Lambin. sine libris ediderunt *dignas*. Ceterum Sallustius Caesaris sententiam sic retulit: *Ita censeo, publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valent: ne quis de his postea ad Senatum referat, neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existimare eum contra rempublicam et salutem omnium facturum.*

Multos uno dolore dolores animi atque corporis) Vulgo *multos uno dolore animi atque corporis* hoc sensu: *multas animi atque corporis poenas et simul omnium scelerum poenas, uno mortis dolore ademisset*. Satis incommode. At quia in Pal. sext. Colon. Graev. 2, it. Pariss. ap. Lallem. est *multos*, nihil melius est Graevii emendatione, quam cum Lallemando recepi.

Hoc auctore et cognitore huiusce

tus pertimescendi: sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vincat. Habemus enim a C. Caesare, sicut ipsius dignitas et maiorum eius amplitudo postulabat, sententiam, tanquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis. Intellectum est, quid intersit inter levitatem concionatorum, et animum vere popularem, saluti populi consulentem. Video de istis, qui se populares haberi volunt, abesse non neminem, ne de capite videlicet civium romanorum sententiam ferat. Is et nudiustertius in custodiam cives romanos dedit, et supplicationem mihi decrevit, et indices hesterno die maximis praemiis affecit. Iam hoc nemini dubium est, qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrevit, quid de tota re et causa iudicarit. At vero C. Caesar intelligit, legem Semproniam esse de civibus romanis constitutam: qui autem reipublicae sit hostis, eum civem esse nullo modo posse: denique ipsum latorem legis Semproniae, iussu populi poenas

sententiae) Sic Lamb. Grut. Graev. e codd. MSS. Sequuti sunt alii. In edd. pr. *hoc monitore et auctore.*

Levitatem) In codd. nonnullis *lenitatem.*

Concionatorum) Eorum qui omnes ventos concionum colligere consueverunt. Muret. Non hi sunt concionatores, sed qui seditiosis concionibus populum concitant in senatum et optimates, quales erant Gracchi, aliique tribunitii spiritus homines. Malam in partem accipitur plerumque vox *concionator.* Graev.

Video de istis) Notat quempiam e senatoribus, qui, ut popularis haberetur, eo die venire in senatum noluerat: eiusque stultitiam ostendit, qui vereatur indicare de iis, quos multis iam praeiudiciis condemnarit. Ei autem ex contentione anteponit Caesarem, quem revera popularem esse dicit, id est, studiosum salutis publicae. Muret.

Cives romanos) Olim addebatur *Cethegum et Lentulum* scil. e glossa. Non est in codd. Mur. Lamb. plerisque Graevii. Recte igitur inde a Naugerio et Grutero in edd. omissum.

Iussu populi) Ernestius reposuit *iniussu*, quia Gracchus Semproniae legis lator non *iussu populi*, sed per vim a Nasica interemptus sit. Bene vero monuit Wetzelius, Ernestium hic aliud egisse, quum Ti. Gracchum a Nasica interemptum legis Sempro-

reipublicae dependisse. Idem ipsum Lentulum largitorem et prodigum, non putat, quum de pernicie populi romani, et exitio huius urbis, tam acerbe, tamque crudeliter cogitarit, appellari posse popularem. Itaque homo mitissimus atque lenissimus non dubitat P. Lentulum aeternis tenebris vinculisque mandare; et sancit in posterum: ne quis huius supplicio levando se iactare, et in pernicie populi romani posthac popularis esse possit. Adiungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.

VI. Quamobrem sive hoc statueritis: dederitis mihi comitem ad concionem, populo carum atque iucundum; sive Silani sententiam sequi malueritis: facile me atque vos a crudelitatis vituperatione defendetis, atque obtinebo, eam multo leniorem fuisse. Quamquam, Patres conscripti, quae potest esse in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas? Ego enim de meo sensu iudico. Nam ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor (quis enim est me mitior?), sed singulari quadam humanitate et misericordia. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepulta in patria, miseros atque insepultos

niae de libertate civium Romanorum latorem esse diceret, quam legem potius tulit C. Gracchus Ti. frater, quod Ern. ipse in Indice legum recte notavit. Hunc autem C. Gracchum, Opimius consul ex decreto senatus, non adversante populo, interfici iussit.

Et exitio) Vulgo *exitio*. Copulam addidit Beck. e codd. Duisb. Oxx. edd. Ven. 1483, aliisque.

In pernicie) Lamb. Man. Hervag. *in perniciem*.

Populo carum) Olim multi *populo romano carum*. *Romano* quod in codd. nonnullis abest, deleverunt Grut. Graev. Ern. alii.

Sepulta in patria) Sic Lamb. e codd. MSS. quem sequuti sunt edd. rel. Olim scriptum *sepultam patriam*.

acervos civium; versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis. Quum vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse ex fatis sperasse confessus est, purpuratum esse hunc Gabinium, cum exercitu venisse Catilinam; tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco: et, quia mihi vehementer haec videntur misera atque miseranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me severum vehementemque praebeo. Etenim quaero, si quis paterfamilias, liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo non quam acerbissimum sumpserit: utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crudelissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt; qui singulas uniuscuiusque nostrum domos, et hoc universum reipublicae domicilium delere conati sunt; qui id egerunt, ut gentem Allobrogum in vestigiis huius urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent: si vehementissimi fuerimus, misericordes habebimur; sin remissiores esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae civiumque pernicie fama subeunda est. Nisi vero cui-

Sicut ipse) Vulgo *sicut ipse se*. Pronomen *se* in duobus codd. optimis a se collatis omitti testatur Goerenzius ad Cic. de Fin. II, 15, ac sane hic melius abest.

Praebeo) Graev. ex aliquot MSS. edidit *praebebo*.

Non quam acerbissimum) *Non* addidit Lamb. e Lactantio de Ira, I, 17. Recte. Apud eundem est *servo*, ubi ap. Cic. h. l. in codd. et edd. plerisque est *servis*. Quum autem paulo ante liberi dicantur *a servo*, non *a servis* interfecti, ac deinde etiam voc. *nocentis* ad unum *servum* referatur, hic quoque cum Lamb. Oliv. Lall. Oxx. scripsi *supplicium de servo*.

piam L. Caesar, vir fortissimus et amantissimus reipublicae, crudelior nudiustertius visus est, quum sororis suae, feminae lectissimae, virum praesentem et audientem, vita privandum esse dixit,[1] quum avum iussu consulis interfectum, filiumque eius impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum esse dixit: quorum, quod simile factum? quod initum delendae reipublicae consilium? largitionis voluntas tum in republica versata est, et partium quaedam contentio. Atque illo tempore huius avus Lentuli, clarissimus vir, armatus Gracchum est persequutus; ille etiam grave tum vulnus accepit, ne quid de summa republica minueretur: hic ad evertenda fundamenta reipublicae Gallos arcessit, servitia concitat, Catilinam vocat, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae. Veremini, censeo, ne in hoc scelere tam im-

L. Caesar) L. Iulius Caesar. A. V. 689, cos. cum Marcio Figulo.

Sororis suae) Iuliae; primum uxoris M. Antonii Cretici. Recte vero pro vulg. *electissimae* Beckius cum cod. Lambin. Camer. et codd. Mureti al. rescripsit *lectissimae*.

Virum praesentem) P. Cornelium Lentulum Suram, cui *Iulia* L. Iul. Caesaris soror post M. Antonium Creticum nupserat.

(1) Forte *duxit*; sequitur enim alterum *dixit*. TYP.

Quum avum) Scil. suum maternum, *M. Fulvium Flaccum* cuius filia Fulvia nupsit L. Iul. Caesari cos. A. V. 663, patri huius L. Iul. Caesaris. Interfectus autem est Flaccus una cum filio iussu Opimii cos.

Quod simile factum) Olim in edd. nonnullis addebatur *fuit*, primum a Mureto auctoritate codd. MSS. deletum.

Largitionis voluntas tum in republica) Quum C. Gracchus agros dividere, et frumentum plebi dare institueret. MVRET.

Atque illo tempore) Meminit Cicero VIII Philip. et Valer. cap. 3, lib. 5. ID.

Ne quid de summa republica minueretur) Vulgo *ne quid de summa reipubl. dignitate minueretur*. Cod. Duisb. et Pith. *ne quid de summa dignitate reipubl. diminueretur*. Cod. Graev. 1, Franc. Erf. al. *ne quid de summa reipubl. minueretur*. Quod praeeuntibus Graev. Ern. Beck. recepi, est in Pal. sexto et ed. Waldarf.

Arcessit — concitat — vocat) Sic Graev. e quatuor codd. quibuscum plures alii consentiunt. Vulgo *arcessivit — concitavit — evocavit*.

Veremini censeo) Sic Ern. sola ed.

mani ac nefando, nimis aliquid severe statuisse videamini; quum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur.

VII. Sed ea, quae exaudio, Patres conscripti, dissimulare non possum. Iaciuntur enim voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos statueritis hodierno die, transigunda. Omnia et provisa, et parata, et constituta sunt, Patres conscripti, quum mea summa cura atque diligentia, tum multo etiam maiore populi romani, ad summum imperium retinendum, et ad communes fortunas conservandas, voluntate. Omnes adsunt omnium ordinum homines, omnium denique aetatum: plenum est forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus huius loci ac templi. Causa enim est post urbem conditam haec inventa sola, in qua omnes sentirent unum atque idem, praeter eos, qui, quum sibi viderent esse pereundum, cum omnibus potius, quam soli perire voluerunt. Hosce ego homines excipio et secerno li-

Waldarf. nisus, in qua est *vere enim censeo*; quae sane lubrica esset auctoritas, nisi indicativum sententia postularet. Vulgo *vereamini*. Lambinus malebat: *vereamini credo*. In quo sane *credo* ironice positum aptissimum est, idem tamen indicativo iunctum. Nam verbi *censeo* sic ironice positi Ernestius negavit exemplum aliud se reperisse. Quod Schellerus Obss. p. 91, attulit e Terent. Heaut. 3, 3, 27, huic loco non est simile satis.

Nefando) Heumannus edidit *nefario*; et sic in V codd. Oxx.

Severe) Graevii codd. 1, it. Franc. *severius*. Ern. aut *nimis severe* aut *aliquid severius* legendum censuit.

Videamur) Ed. Naug. et cet. usque ad Grut. *videamini*.

Sed ea, quae exaudio) Sic Graev. Ern. ex edd. aliquot pr. At Lambin. Grut. al. *sed quae exaudio*. Cod. Franc. *sed ea quae audio*.

Iaciuntur) Sic plerique codd. quod recepit Graev. Ern. Beck. Antea *iactantur*.

Plena templa circa forum) Haec addidit Lambin. e tribus codd. Sequuti sunt Graev. Ern. alii. Non admisit Henm.

benter. Neque enim in improborum civium, sed in acerbissimorum hostium numero habendos puto. Ceteri vero, dii immortales! qua frequentia, quo studio, qua virtute ad communem dignitatem salutemque consentiunt? Quid ego hic equites romanos commemorem? qui vobis ita summam ordinis consiliique concedunt, ut vobiscum de amore reipublicae certent: quos, ex multorum annorum dissensione ad huius ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiscum atque haec causa coniungit; quam coniunctionem si in consulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus, confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum.

VIII. Pari studio defendendae reipublicae convenisse video tribunos aerarios, fortissimos viros; scribas item universos: quos quum casu haec dies ad aerarium frequentasset, video ab exspectatione sortis ad communem salutem esse conversos. Omnis ingenuorum adest multitudo, etiam tenuissimorum. Quis est enim, cui non haec templa, adspectus urbis, possessio libertatis, lux denique haec ipsa, et hoc commune patriae solum, tum sit carum, tum vero dulce atque iucundum? Operae pretium est, Patres conscripti, libertinorum hominum studia cognoscere;

Summam ordinis consiliique) Muretus e libris vett. affert *ordinis*, *auxilii consiliique*. Lectio recepta est in IV Pall. aliisque codd. In ed. Ald. est *summa ordinis consiliique*. Ceterum *summam ordinis consiliique* recte Ern. interpretatur *principem inter ordines locum*, *et ius de republ. deliberandi ac decernendi*.

Ex multorum annorum dissensione) Propter Sempronias et Cornelias leges de iudiciis. MURET.

Revocatos) Lege Aurelii Cottae.

Scribas — ad aerarium frequentasset) Ipso die convenerunt ad aerarium scribae, ut sortirentur officia, qui scriba esset consulis, qui tribuni plebis. Viderunt coniuratos adduci ad senatum. Dimiserunt sortem: et omnes promiserunt praesidium ASON.

Frequentasset) Codd. Franc. aliique, it. ed. Ven. 1483, Herv. al. *fre-*

qui virtute sua fortunam civitatis consequuti, hanc vere suam patriam esse iudicant: quam quidam hinc nati, et summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse iudicaverunt. Sed quid ego huiusce ordinis homines commemoro, quos privatae fortunae, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quae dulcissima est, ad salutem patriae defendendam excitavit? Servus est nemo, qui modo tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat; qui non haec stare cupiat; qui non tantum, quantum audet, et quantum potest, conferat ad communem salutem, voluntatis. Quare si quem vestrum forte commovet hoc, quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperare sollicitari posse animos egentium atque imperitorum: est id quidem coeptum atque tentatum; sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellae atque operis et quaestus quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. [1]

quentes advocavit. Ernestio placet *frequentarit*, vel *frequentavit.*

Qui virtute sua fortunam civitatis) Lectionem hanc plerorumque codd. MSS. recte defenderunt Grut. Graev. Ern. Muretus vero lectionem aliquot codd. praeferebat, *qui fortuna suo huius civitatis ius consequuti.* Lambinus edidit *qui suo virtute ac fortuna huius civ. ius consequuti.*

Commemoro) Hoc e codd. Erf. Pith. recepi, iam ab Heumanno probatum, ac nuper a Goërenzio cod. Erl. testimonio confirmatum ad Cic. Acad. II, 21.

Audaciam civium) Edd. quaedam addunt *perditorum*, in codd. Lamb. Pall. omnibus aliisque omissum.

Qui non haec stare) Ante Lambin. legebatur *obstare*; qui reposuit *stare* e codd. suis, quibus accedunt alii ap. Graev. et Grut.

Salutem, voluntatis) Sic habent codd. Mureti, Lamb. item Pal. 1, 2, 9, Gemblac. it. Graevii aliique. Receperunt Lamb. Grut. et seqq. antea *salutis voluntatem.*

Sperare) Sic Grut. Graev. alii e codd. Pall. V, et Gembl. Vulgo *sperantem.*

Sellae) Sella seu officina locus est, ubi opifices suas operas faciunt. A sella vero sellularii illi dicti sunt.

(1) Ernestius edidit *vellent.* Mi-

Multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt: immo vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum, amantissimum est otii. Etenim omne instrumentum, omnis opera ac quaestus, frequentia civium sustinetur, alitur otio: quorum si quaestus, occlusis tabernis, minui solet, quid tandem incensis futurum est?

IX. Quae quum ita sint, Patres conscripti, vobis populi romani praesidia non desunt: vos ne populo romano deesse videamini, providete. Habetis consulem ex plurimis periculis et insidiis, atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum: omnes ordines ad conservandam rempublicam mente, voluntate, studio, virtute, voce consentiunt; obsessa facibus et telis impiae coniurationis, vobis supplex manus tendit patria communis: vobis se, vobis vitam omnium civium, vobis arcem et Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Vestae perpetuum ac sempiternum, vobis omnia templa deorum atque delubra, vobis muros atque urbis

rum, quod Schützius eum reprehenderit, et tamen illius correctionem in textum receperit. At probabiliter mendum cubat in edito, et *velint* cudi voluit eum ceteris; quod ego retineo. TYP.

Immo vero) *Nisi vero*, quod est in edd. Victorio prioribus, in codd. MSS. Pall. Erf. aliisque compluribus reduxit Graevius. Id autem h. l. ineptum esse vidit Ern.

Sustinetur) *Sustentatur* ed. Ven. 1480, Graev. Lall. e codd. Memm. Graev. 1, Erf. Franc. Duisb. al.

Futurum est) In codd. Pall. Erf. Duisb. aliis *futurum fuit*. Codd. Hitt. Graev. 2, Pith. *futurum fiet*. Ernestius malebat *futurum esset*. Beckius putat Ciceronem simpliciter scripsisse *futurum*, ideoque verbum *est* uncis inclusit.

Ignem Vestae perpetuum ac sempiternum) Aliquot codd. MSS. ut Graev. Erf. Duisb. Pith. habent *ignem Vestae sempiternum*; quod receperunt Lambin. et Graev. quia *perpetuum* et *sempiternum* nihil admodum differant. Monuit autem Heumannus *ignem perpetuum* esse, qui continuetur sine intervallo; *sempiternum*, qui nullo unquam tempore desinat ardere.

Omnia templa deorum atque delubra) *Omnium deorum templa* cod. Erf. Graev. Franc. Duisb. al. ed. Ven. pr. Lamb.

tecta commendat. Praeterea de vestra vita, de coniugum vestrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de sedibus, de focis vestris, hodierno die vobis iudicandum est. Habetis ducem, memorem vestri, oblitum sui; quae non semper facultas datur; habetis omnes ordines, omnes homines, universum populum romanum, id quod in civili causa hodierno die primum videmus, unum atque idem sentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute stabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas una nox paene delerit. Id ne unquam posthac non modo confici, sed ne cogitari quidem possit a civibus, hodierno die providendum est. Atque haec, non ut vos, qui mihi studio paene praecurritis, excitarem, loquutus sum: sed ut mea vox, quae debet esse in republica princeps, officio functa consulari videretur.

X. Nunc antequam P. C. ad sententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video; sed eam esse iudico turpem et infirmam, contemptam et abiectam. Quod si aliquando alicuius furore et scelere concitata manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicae dignitas, me tamen meorum factorum atque consiliorum nunquam, Patres conscripti, poenitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortasse minitantur, omnibus est parata:

Quae non semper facultas datur) Recte Heumann. interpr. *cuius generis ducem non semper habere contingit.* Sic de Fin. lib. I, extr. *quae mihi facultas — ante hoc tempus nunquam est data.*

Nox paene delerit) *Quam paene delerit* receperunt Graev. Lall. e codd. Erf. Col. Graev. 2, Paris.

A civibus) Sic Grut. ex edd. pr. In codd. Pall. *a vobis.* Ante Gruterum legebatur *vobis — providendum est.* In ed. Herv. est *a civibus, vobis.*

Contemptam) Sic Ern. Vulgo *et contemtam.*

vitae tantam laudem, quanta vos me vestris decretis honestastis, nemo est assequutus. Ceteris enim semper bene gestae, mihi uni conservatae reipublicae gratulationem decrevistis. Sit Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire, atque ex Italia decedere coactus est; ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infestissimas, Carthaginem Numantiamque delevit; habeatur vir egregius L. Paullus ille, cuius currum rex potentissimus quondam, et nobilissimus, Perses honestavit; sit in aeterna gloria Marius, qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit; anteponatur omnibus Pompeius, cuius res gestae atque virtutes, iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae: nisi forte maius est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur. Quamquam est uno loco conditio melior externae victoriae, quam domesticae; quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt, aut recepti beneficio se obligatos putant; qui autem ex numero civium, dementia aliqua depravati, hostes patriae semel esse coeperunt, eos quum a pernicie reipublicae repuleris, nec vi coërcere, nec beneficio placare possis. Quare mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video: quod ego vestro bono-

Ceteris enim semper) *Semper* Gruterus delendum putabat, et Graevius delevit. Ern. tamen defendit, quia respondeat *uni*. *Ceteris semper* (pro *omnibus*) *mihi uni*. Deinde Ern. recte tuetur lectionem *gestae* — *conservatae*, prae altera quam MSS. quidam habent *gesta* — *conservata* quae placebat Grutero et recepta est a Graevio. « Nempe, inquit, si de se et iudicio suo loqueretur, ablativi veri essent; loquitur autem de iudicio senatus, qui decrevit gratulationem ob conservatam rempublicam ».

Africanus) delendum censuit Heumannus. Recte ei non assentitur Beck.

rumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est, sed etiam in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atquo a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quae coniunctionem vestram equitumque romanorum, et tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit. Quae quum ita sint, Patres conscripti, pro imperio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho, ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me propter urbis vestraeque salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo: pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, proque hac, quam conspicitis, ad conservandam rempublicam diligentia, nihil aliud a vobis, nisi huius temporis, totiusque mei consulatus memoriam postulo: quae dum erit vestris mentibus infixa, firmissimo me muro septum esse arbitrabor. Quod si meam spem vis improborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium: cui profecto satis erit praesidii, non solum ad salutem, verum etiam ad dignitatem, si

Quam neglexi) Ciceroni enim provincia consularis Macedonia sorte obtigerat; eam vero Antonio collegae una cum imperio exercitus concessit. *Pro triumpho* scil. quem forsan rebus in Macedonia bene gestis obtinere potuisset.

Pro triumpho) Si enim fuisset in provincia, triumphum sperare potuisset. Fran.

Vrbanis opibus) Eloquentia et auctoritate, tum in iudiciis, tum in senatu, clientelas provincialium sibi comparabat, ac tuebatur. Id.

Conspicitis) *Perspicitis* codd. Lambin. Erf. Duisb. al.

Ad conservandam rempublicam) *Adeo conservanda reipublicae diligentia* codd. Erf. et Graev. pr. *ad conservandum populum romanum* cod. Barb. edd. Waldarf. 1480, Graevius edidit *ad conservandum rempublicam.*

eius, qui haec omnia suo solo periculo conservaverit, illum esse filium memineritis. Quapropter de summa salute vestra, populique romani, Patres conscripti, de vestris coniugibus ac liberis, de aris ac focis, de fanis ac templis, de totius urbis tectis ac sedibus, de imperio, de libertate, de salutae Italiae, deque universa republica decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter. Habetis enim eum consulem, qui et parere vestris decretis non dubitet, et ea, quae statueritis, quoad vivet, defendere et per se ipsum praestare possit.

De salute Italiae) Graevius e cod. Erf. *de summa salute vestra Patres conscripti populique romani.*

Eum consulem) *Eum* restituit Groev. ex edd. Waldarf. et 1480, postea vulgo omissum. Idem delevit *enim*, quod abest eius duobus codd. et Pith.

Et per se ipsum praestare possit) Graevius, quum in duobus codd. Colon. et suo secundo invenisset *praestare quoad possit*, scribendum putabat *et per se ipsum, quoad possit, praestare.* Id Ernestius valde probavit; a quo dissentit Beck. quem sequor.

IN CATILINARIAM IV

SCHOLIA QVAEDAM ANTIQVA

NVPER AB A. MAIO V. C. PRIMVM EDITA (1)

Cap. 1. *Non campus auspiciis consularibus consecratus*) Quum omnis magistratus auspicato crearentur, tum maxime consules certorum auspiciorum ritu designabantur. — *Non denique haec sedes honoris sella curulis*) Omnes magistratus, quicumque patricii essent, curules dicebantur, ut consul et pars patriciorum. Aediles etiam, qui de plebeis non erant, curules. Nam alii itidem plebei erant. Sella igitur dicebatur curulis, quia currulis magistratus in curia nitebantur.

Cap. 2. *Non Tib. Gracchus*) Tiberius Gracchus tribunus plebis seditiosissimus studio repetendi tribunatum multa commisit audacter, eoque poenas luit. Sed licet alia maiora commiserit, delegit orator quod levius erat, ut esset quo coniuratorum spes videretur audacior.

Cap. 3. *Hoc auctore et cognitore huiusce sententiae*) Cognitor, id est defensor et quasi procurator et patronus eius, quam laudo, sententiae. Cognitor autem procurator erat, qui aderat praesenti. — *Abesse non neminem*) Quosdam significat assentatores coniuratorum. Erant autem Clodius, Piso et Gabinius, qui in senatum venire noluerant, ne quod in coniuratores supplicium depromere cogerentur: quos scilicet assentatores Catilinae fuisse compertum est. — *At vero Caesar intelligit legem Semproniam*) Quia sententiam tulerat Gracchus, ut ne quis in civem Romanum capitalem sententiam diceret.

(1) *Scholia haec exstant in Ambrosiana Cod. C. 29 part. inf. membran., venerandae prorsus post Palimpsestos antiquitatis, seculi circiter X, in quo tres libri* de Officiis, Catilinariae *quatuor Orationes, tum* pro Marcello, pro Ligario, *et* pro rege Deiotaro *continentur. Et priora quidem Opera adnotationes nullae comitantur: verum quarta* Catilinaria *et tres Orationes reliquae habent Scholia quaedam margini addita, quorum tum scriptura textui coaetanea est, tum latinitas ita pura, ut ea seculis barbaris prorsus tribui non possit. Immo mihi stilus Asconianus videtur. Quare suspicor haec Scholia (item ut ea quae ad Orationem pro Scauro nuper protuli) excerpta esse e fusiore Commentario Asconii deperdito. Verum, a quocumque demum Auctore sint progenita, ea certe sunt antiqua optima inedita. Exstat utique in Editionibus antiquis quidam Interpres harum quatuor Orationum; verum is non solum diversus a nostro est, sed etiam adeo latinitate durus, et elocutione subrusticus, ut nullo pacto cum hoc praestanti et inedito conferendus sit.* Ex praef. Ang. Mai.

ORATIO

PRO

L. MVRENA

ORATIO

PRO

L. MVRENA

SVMMARIVM

A. V. C. 690, quum Cicero consul comitia consularia haberet, consules in annum proximum designati sunt Decimus Silanus et L. Murena, repulsam autem tulit Serv. Sulpicius iureconsultus. Is ea re commotus ambitus Murenam accusavit cum tribus subscriptoribus, M. Catone, Cn. Postumio, et Ser. Sulpicio adolescente. Murenam prima actione defendit Q. Hortensius, altera M. Crassus, tertia M. T. Cicero consul.

In exordio primum ait se Murenam, quem in comitiis consularibus diis commendavisset, nunc iudicibus commendare; cap. 1. Deinde respondet Catonis reprehensioni, qui negaverat rectum fuisse, Ciceronem et consulem et legis de ambitu latorem, et tam severe gesto consulatu causam M. Murenae attingere; docetque consulem designatum a consule reipublicae causa defendendum esse; nec legis de ambitu lationem impedire, quo minus hominem innocentem periculo liberet; cap. 2, 3. Deinde accedit ad Ser. Sulpicii conquestionem, qui se gravissime et acerbissime ferre dixerat, Ciceronem familiaritatis necessitudinisque oblitum causam L. Murenae contra se defendere; cui Cicero reponit, nihil ipsi consulatum petenti a se defuisse, quod esset aut ab amico, aut a gratioso, aut a consule postulandum. Nunc autem se ei contra salutem Murenae nihil debere, nec aequum esse, se consulem designatum, quicum sibi vetus et magna amicitia sit, in capitis dimicatione deserere; cap. 4.

Iam quum tres totius accusationis partes fuissent, quarum una in reprehensione vitae Murenae, altera in contentione dignitatis,

tertia in criminibus ambitus esset versata: in prima parte diluenda orator primum occurrit Sulpicio, qui Asiam Murenae obiecerat, quam docet Cicero ab eo non ad voluptatem et luxuriam expetitam esse, sed in militari labore peragratam, cap. 5; deinde Catoni, qui eum saltatorem appellaverat, quod maledictum convitiatoris potius, quam accusatoris esse, nihilque in vitam Murenae vere dici posse ostenditur; cap. 6.

Sequitur altera pars de contentione dignitatis. Nempe quia Sulpicius ipse sibi dignior consulatu candidatus visus erat, ut Murenam non sine ambitu consulatum adipisci potuisse crederet: Cicero ostendit in utroque parem esse dignitatem generis, integritatis, industriae ceterorumque ornamentorum, quibus fretus aliquis ad consulatus petitionem aggredi possit, ut neque Murena dignitate a Sulpicio vinci potuerit, neque ille hunc dignitate superarit. Itaque primum de utriusque genere ac nobilitate, cap. 7, deinde de quaestura, tum de rebus post quaesturam gestis agit; ubi ostendit Sulpicium iurisprudentiae laude, Murenam rei militaris gloria floruisse; summam autem esse dignitatem ad consulatum obtinendum in iis qui militari laude antecellant, deinde in dicendi facultate; iuris civilis scientiam quamvis utilem, tamen minus amplam et gratiosam esse; cap. 8–16. Et quoniam Sulpicius obiecerat, se in praeturae petitione priorem esse renuntiatum, demonstratur ex eo non sequi, Sulpicium etiam priore loco consulem fuisse designandum. In praeturae petitione Murenae duas res obfuisse, vehementer desideratas; unam, quod quum aedilis non fuisset, munus h. e. ludos populo deberet, alteram, quod ii quos in provincia ac legatione liberalitatis et virtutis suae testes habuerat, nondum provincia decessissent. Vtrumque ei in consulatu petendo multum profuisse. Nam munus in petitione praeturae desideratum, in praetura amplissimum populo dedisse, et L. Luculli exercitum, qui ad triumphum convenerat, eundem comitem L. Murenae praesto fuisse; hanc autem militum voluntatem in consule declarando multum apud universum populum romanum auctoritatis habere; cap. 17-19. In ipsa praetura gerenda Murenae sortem iuris dicundi, Sulpicio quaestionem peculatus obtigisse; in illa maiorem fuisse facultatem multorum sibi benivolentiam adiungendi. Et quum post praeturam Sulpicius in provinciam ire noluerit, Murenam in regenda Gallia transalpina multas bonas gratias cum optima existimatione attulisse; cap. 20. Postremo in consulatus petitione Sulpicio obfuisse, quod paene quotidie

in accusationibus elaborarit, quibus et populi opinionem a spe adipiscendi consulatus averterit, et amicorum studia debilitarit, et impeditus sit, ne posset omnem curam, operam diligentiamque in petitione ponere; denique etiam multorum animos offenderit; cap. 21-23. Magnum vero ad Murenam praeferendum momentum accessisse, quod quum homines Sulpicium remissiorem in petendo putarent, Catilinam vero in petendo consulatu spe et cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam a republica pestem depellere cuperent, ad Murenam se statim contulerint; cap. 24-26.

Sequitur tertius locus de ambitus crimine, in quo quod Postumius dixerat, per divisores a Murena ad suffragia obtinenda pecunias distributas easque deprehensas fuisse; Sulpicius filius, a L. Murenae privigno L. Natta equites ad prandium invitatos esse: primum Cicero Murenae fortunam conqueritur, quod quum ex honoribus continuis familiae maiorumque suorum summum adscendere gradum dignitatis conatus sit, veniret in periculum, ne propter studium novae laudis etiam in veteris fortunae discrimen adducatur; et quod, praeter Sulpicium patrem, quem non iniuria Murenae, sed honoris contentio permoverat, accusetur a Cn. Postumio, paterno amico, et vetere vicino ac necessario, deinde a Ser. Sulpicio, adolescente, filii sodali, a quo exspectandum esset, ut paternos amicos potius defenderet, quam accusaret; deinque a Catone, qui quum nunquam a Murena alienus fuisset, ea conditione in civitate natus esset, ut eius opes et ingenium praesidio multis etiam alienissimis, vix cuiquam inimico exitio esse deberent; cap. 27.

Iam quae Cicero Postumio et Sulpicio adolescenti respondit, ea omnia interciderunt. Superest ea pars, qua Catonem confutavit. Cuius primum deprecatur auctoritatem, ne forte reo noceat; cap. 28. Deinde mores eius laudat; tum Stoicae philosophiae, cui Cato se addixerat, asperitatem ac duritiem facete ridet, cap. 29-31; deinde quae Cato attulerat ad confirmandum ambitus crimen, refutat; cap. 32-36. Postremo Murenam in consulatu retinendum esse docet, ob pericula a Catilinae reliquiis urbi imminentia, quae magis etiam, quam ipse eius exercitus, timenda sint; cap. 37-39.

In peroratione iudices hortatur, ut otio, ut paci, ut saluti, et vitae civium consulant, eosque obsecrat, ut Murenae beneficium populi conservent, eumque reipublicae consulem reddant, simulque eum ita commendat, ut cupidissimum otii, stu-

diosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum coniurationi Catilinariae futurum esse spondeat; cap. 40, 41.

Murenam absolutum esse constat, et consulatum cum Silano anno 691 gessisse; cf. orat. pro Flacco, cap. 31. Ceterum habet haec oratio plurimum suavitatis et artis. Nam illa contentio Iurisconsulti cum Imperatore, et reprehensio iuris scientiae ac philosophiae Stoicae longe iucundissima est, sed ita comparata, ut non posset magnopere aut Sulpicium aut Catonem offendere, quamquam Plutarchus commemorat, Catonem, quum ita disputaret Cicero, dixisse omnibus audientibus, ut erat in isto genere magna Romae libertas: O dii boni! quam ridiculum consulem habemus. Ceterum iuvat de hac Stoica philosophiae reprehensione audire, Cicero quid dixerit L. IV de Fin. B. et M. cap. 27: « Omnia peccata paria dicitis. Non ego iam tecum ita loquar, Cato, ut iisdem his de rebus, quum L. Murenam, te accusante, defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum. Nunc agendum subtilius. » De artificio autem, quo Sulpicium et Catonem reprehendit, ita Quintilianus L. XI, 1, 68, sqq. « Plus est difficultatis, ubi ipsos, contra quos dicimus, veremur offendere. Duae simul huiusmodi personae Ciceroni pro Murena dicenti obstiterunt, M. Catonis et Serv. Sulpicii. Quam decenter tamen Sulpicio, quum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi consulatus ademit? quid enim aliud esset, quo se homo nobilis et iuris antistes victum magis ferret? Vt vero rationem suae defensionis reddidit, quum se studuisse petitioni Sulpicii contra honorem Murenae, non idem debere accusationi contra caput, diceret? Quam molli autem articulo tractavit Catonem? cuius naturam summe admiratus, non ipsius vitio, sed Stoicae sectae, quibusdam rebus duriorem videri factam volebat, ut inter eos non forensem contentionem, sed studiosam disputationem crederes incidisse ».

Habita est haec oratio mense Novembri A. V. 690, *post Catilinariam secundam.*

I.

Quae deprecatus a diis immortalibus sum, iudices, more institutoque maiorum, illo die, quo auspicato, comitiis centuriatis, L. Murenam consulem renuntiavi, ut ea res mihi magistratuique meo, populo plebique romanae, bene atque feliciter eveniret: eadem precor ab iisdem diis immortalibus ob eiusdem hominis consulatum una cum salute oblinendum, et ut vestrae mentes atque sententiae cum populi romani voluntatibus suffragiisque consentiant, eaque res vobis, populoque romano, pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quod si illa solemnis comitiorum precatio consularibus auspiciis consecrata, tantam habet in se vim et religionem, quantam reipublicae dignitas postulat: idem ego sum precatus, ut iis quoque hominibus, quibus hic consulatus, me rogante, datus esset, ea res fauste, feliciter, prospereque eveniret. Quae quum ita sint, iudices, et quum omnis deorum immortalium potestas aut translata sit ad vos, aut certe communicata vobiscum: idem consul eum vestrae fidei commendat, qui antea diis immortalibus commendavit; ut eiusdem hominis voce

Deprecatus) *Precatus* Ald. Man. Lamb. Lallem.

Renuntiavi) Cur non eius collega Antonius? quia consul priore loco creatus, comitia habebat consularia. MAN. Ostendit Gruchius, *lib.* 1 *de Comitiis*, consuevisse inter se comparare consules, aut certe sortiri, uter habiturus esset comitia; non semper illud negotium datum ei, qui prior renuntiatus esset. FERR.

Voluntatibus) Sic Grut. e codd. MSS. pro vulg. *voluntate*.

Vt iis) Lamb. cod. Memm. et utraque Ven. item alii scripserunt *iis*.

Me rogante) Non, precante, sed interrogante: ut quum diceret: *Rogo vos, Quirites, velitisne L. Licinium Murenam consulem fieri*. Quod si populus probabat, suffragiorum tabellas ferebat ita inscriptas, V. R. id est, Vti rogas. MAN.

et declaratus consul, et defensus, beneficium populi romani cum vestra atque omnium civium salute tueatur. Et quoniam in hoc officio studium meae defensionis ab accusatoribus atque etiam ipsa susceptio causae reprehensa est: antequam pro L. Murena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam; non quo mihi potior, hoc quidem in tempore, sit officii mei, quam huiusce salutis defensio, sed ut, meo facto vobis probato, maiore auctoritate ab huius honore, fama, fortunisque omnibus, inimicorum impetus propulsare possim.

II. Et primum M. Catoni, vitam ad certam rationis normam dirigenti, et diligentissime perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo respondebo. Negat fuisse rectum Cato, me et consulem, et legis ambitus latorem, et tam severe gesto consulatu, causam L. Murenae attingere: cuius reprehensio me vehementer movet, non solum ut vobis, iudices, quibus maxime debeo, verum etiam ut ipsi Catoni, gravissimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, est aequius consulem defendi, quam a consule? Quis mihi in republica potest aut debet esse coniunctior, quam is, cui respublica a me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata? Quod si in iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum iudicii

Ad certam rationis normam dirigenti) E Stoica disciplina. Io.

Legis ambitus latorem) Ambitus et ambitio differunt hoc, quod prior appellatio sit criminis, posterior cupiditatis. Ambitus autem committebatur, quum benigne quis per Tribus appellabat populum, et suffragia corrogabat. Verum quum profusione et largitionibus corrumpebat populum et suffragia mercede comparabat, reus *ambitus* dicebatur, et lege lata puniebatur.

A me una) Lamb. coni. *uno*; quod Graev. recepit; ego malim utrumque abesse.

Periculum iudicii praestare debet) Efficere, ut alienatio illa, et venditio rata sit, ne quid is, qui emit,

praestare debet, qui se nexu obligavit: profecto etiam rectius in iudicio consulis designati, is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi romani defensorque periculi esse debebit. Ac, si, ut nonnullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causae publice constitueretur, is potissime honore affecto defensor daretur, qui eodem honore praeditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quam facultatis. Quod si portu solventibus, ii, qui iam in portum ex alto invehuntur, praecipere summo studio solent et tempestatum rationem, et praedonum, et locorum; quod natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem me animo esse oportet, prope iam ex magna iactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reipublicae tempestates esse subeundas? Quare si est boni consulis, non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit: ostendam alio loco, quantum salutis communis intersit, duos consules in republica Kalendis Ian. esse. Quod si ita est, non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quam respublica consulem ad communem salutem defendendam vocare.

damni patiatur. MAN. Res mancipi dicuntur quae abalienari possunt.

Qui se nexu obligavit) Est, qui se suaque bona nexa et obligata fecit ad evictionem praestandam. Haec dicebatur traditio nexu. Vide Fabri semestria II. 23, et Salmas. de modo usurar. cap. 18. GRAEV.

Portu) *E portu* Quintil. V, 11, 23. Victor.

Quod natura fert) Ita Quintil. l. l. et recepit Ern. auctoribus Lamb. Muret. Graevio pro vulg. *affert*.

Ingrediantur) Cod. Franc. Graev. Lall. *ingrediuntur*; *ingrediantur* habet Quintil. l. l.

Ex magna iactatione terram videntem) Allegorice loquitur de consulatu suo, qui kalendis ianuariis proximis finire debebat. ANON.

Duos consules) D. Silanus, et Murena.

III. Nam quod legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut eam, quam mihimet ipsi iampridem tulerim de civium periculis defendendis, non abrogarem. Etenim si largitionem factam esse confiterer, idque recte factum esse defenderem, facerem improbe, etiamsi alius legem tulisset: quum vero nihil commissum contra legem esse defendam, quid est, quod meam defensionem latio legis impediat? Negat esse eiusdem severitatis, Catilinam, exitium reipublicae intra moenia molientem, verbis et paene imperio urbe expulisse; et nunc pro L. Murena dicere. Ego autem has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab repnblica mihi impositam sustinui, sicut huius imperii dignitas, in summo periculo civium, postulabat. Quod si tum, quum respublica vim et severitatem desiderabat, vici naturam, et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam: nunc, quum omnes me causae ad misericordiam atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire? At de officio defensionis meae, ac de ratione accusationis tuae, fortasse etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.

IV. Sed me, iudices, non minns hominis sapientissimi atque ornatissimi, Ser. Sulpicii, conquestio, quam Catonis accusatio commovebat: qui gravissime et acerbissime ferre dixit, me familiaritatis necessitudinisque oblitum, causam L. Murenae contra se de-

Legem de ambitu) Legem tulerat, ut damnati ambitus decem annorum exilio punirentur: Calpurnia enim honorum tantum petitione, et senatu privabat. FERR.

At de officio) Vulgo *ac de officio*. Particulam *at* substitui auctore Goërenzio ad Acad. II, 2.

Conquestio) Cod. Franc. *questio*.

Accusatio) *Coptio* cod. Pal. sec. quod placuit Grutero.

fendere. Huic ego, iudices, satisfacere cupio, vosque adhibere arbitros. Nam quum grave est, vere accusari in amicitia, tum, etiamsi falso accuseris, non est negligendum. Ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia, pro nostra necessitudine, et debuisse confiteor, et praestitisse arbitror. Nihil tibi, consulatum petenti, a me defuit, quod esset aut ab amico, aut a gratioso, aut a consule postulandum. Abiit illud tempus: mutata ratio est. Sic existimo, sic mihi persuadeo, me tibi contra honorem L. Murenae, quantum tu a me postulare ausus sis, tantum debuisse: contra salutem, nihil debere. Neque enim, si tibi tum, quum peteres consulatum, affui, idcirco nunc, quum Murenam ipsum petas, adiutor eodem pacto esse debeo. Atque hoc non modo non laudari, sed ne concedi quidem potest, ut amicis nostris accusantibus, non etiam alienissimos defendamus. Mihi autem cum Murena, iudices, et vetus et magna amicitia est, quae in capitis dimicatione a Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eodem in honoris contentione superata est. Quae si causa non esset, tamen vel dignitas hominis, vel honoris eius, quem adeptus est, amplitudo, summam mihi superbiae crudelitatisque famam inussisset, si hominis, et suis et populi romani ornamentis amplissimi, causam tanti periculi repudiassem. Neque enim iam mihi licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam. Nam quum praemia mihi tanta pro hac industria sint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis

Petas) Ernestius, quia de tempore sermo sit, verius esse coniiciebat *petis*. Tum vero paulo ante, eandem ob causam, debebat esse *petebas*.

Famam) Guil. coni. *infamiam*. Proprium in hac forma verbum esse *notam* monuit Ern.

et astuti et ingrati. Quod si licet desinere, si te auctore possum, si nulla inertiae, nulla superbiae turpitudo, nulla inhumanitatis culpa suscipitur: ego vero libenter desino. Sin autem fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum haec causa est eiusmodi, quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit. Atque huiusce rei coniecturam de tuo ipsius studio, Servi, facillime ceperis. Nam si tibi necesse putas, etiam adversariis amicorum tuorum, de iure consulentibus, respondere; et, si turpe existimas, te advocato, illum ipsum, quem contra veneris, causa cadere: noli tam esse iniustus, ut, quum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere. Etenim, si me tua familiaritas ab hac causa removisset, et, si hoc idem Q. Hortensio, M. Crasso, clarissimis viris, si item ceteris, a quibus intelligo tuam gratiam magni aestimari, accidisset: in ea civitate consul designatus defensorem non haberet, in qua nemini unquam infimo maiores nostri patronum deesse voluerunt. Ego vero, iudices, ipse me existimarem nefarium, si amico, crudelem, si misero, superbum, si consuli defuissem. Quare quod dandum est amicitiae, large dabitur a me, ut tecum agam, Servi, non secus, ac si meus esset frater, qui mihi est carissimus, isto in loco. Quod

Si nulla inertiae) Lamb. addidit *nota*.

Nec misericors) Ante *nec* in codd. nonnullis et edd. vett. repetitur *quam*, recte deletum a Lamb. et seqq.

Te advocato) Te consulto, et cui tu de iure consultus responsum dederis. Ferr.

Quem contra veneris) Scil. *alio tempore*, *in alio iudicio*. Man.

Quem contra veneris) Saepe enim eveniebat, ut amici adversario consultus responderet, in causa tamen suam amico praesentiam commodaret; ac ne tunc quidem sine molestia ferebat, amici adversarium litem perdere. Ferr.

Isto in loco) Scil. *in subselliis accusatorum*, non, ut Manutius putabat, *in hac dignitate consulari*.

tribuendum est officio, fidei, religioni, id ita moderabor, ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere.

V. Intelligo, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitae, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Atque harum trium partium prima illa, quae gravissima esse debebat, ita fuit infirma et levis, ut illos lex magis quaedam accusatoria, quam vera maledicendi facultas de vita L. Murenae dicere aliquid coëgerit. Obiecta est enim Asia: quae ab hoc non ad voluptatem et luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata. Qui si adolescens, patre suo imperatore, non meruisset, aut hostem, aut patris imperium non timuisse, aut a parente repudiatus videretur. An, quum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet? Hic vero, iudices, et fuit in Asia, et viro fortissimo, parenti suo, magno adiumento in periculis, solatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et, si habet Asia suspicionem luxuriae quandam, non Asiam nunquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse, laudandum est. Quamobrem non Asiae nomen obiiciendum Murenae fuit, ex qua laus familiae, memoria generi, honos et glo-

Accusatoria) I. e. consuetudo accusatorum.

Patre suo imperatore) Murenae patre, L. Murena, qui Sullae legatus de Mithridate triumphavit A. V. 682.

Sedere in equis triumphantium praetextati) Moris erat, ut qui triumphans in urbem introibat, liberos ac cognatos utrinsque sexus, si quidem praetextati essent, in curru iuxta se haberet; sin grandiores essent, equis iugalibus funalibusque imponeret. Quod si plures essent, equis singularibus vecti currum persequebantur, ut scribit Zonaras tom. II annalium ex Dione. Vide quae notavimus ad Sueton. Tiber. c. 6. GRAEV.

Donis militaribus) Ob virtutem a patre acceptis. MAX.

ria nomini constituta est: sed aliquod aut in Asia susceptum, aut ex Asia deportatum flagitium ac dedecus. Meruisse vero stipendia in eo bello, quod tum populus romanus non modo maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis; patre imperatore libentissime meruisse, pietatis; finem stipendiorum patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit. Maledicto quidem idcirco nihil in hisce rebus loci est, quod omnia laus occupavit.

VI. Saltatorem appellat L. Murenam Cato. Maledictum est, si vere obiicitur, vehementis accusatoris: sin falso, maledici conviciatoris. Quare quum ista sis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convivio, neque temere consulem populi romani saltatorem vocare; sed conspicere, quibus praeterea vitiis affectum esse necesse sit eum, cui vere istud obiici possit. Nemo enim fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato atque honesto. Tempestivi convivii, amoeni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum;

Saltatorem appellat) An ergo saltare in vitio erat? non magis quam aedificare, loqui. Vituperationem nihilominus continent *aedificator*, *locutor*: quoniam in his, atque eius generis nominibus aliis implicata est notio immoderationis, quae vitio nunquam caret. OLIV.

Saltatorem) *Spatiatorem* inutilis est coniectura P. Pithoei; etsi Macrob. Sat. II, 10 narrat sic appellatum esse a Catone Caecilium senatorem.

Ex trivio) Ex faece populi, cuius mos est, ut quum quis cui conviciatur, eum saltatorem vocet. ANON.

Tempestivi) Male codd. nonnulli, ut Franc. *intempestivi*, quod receptum est in ed. Med. et aliis quibusdam.

Tempestivi convivii) Sunt *tempestiva convivia*, quae de die, aut ante solemnem coenae horam, quae erat nona, inibantur, ut illius Marii, de quo Iuvenalis:

Exul ab octava Marius bibit etc.

Haec vero tempestiva convivia erant probrosa. Nulla fuisse Romanis nota *intempestiva convivia* pluribus docuit Salmasius ad Flavii Vopisci Florianum. GRAEV. Vide de senectute cap. 14.

relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest. Nullum turpe convivium, non amor, non comissatio, non libido, non sumptus ostenditur. Et quum ea non reperiantur, quae voluptatis nomen habent, quaeque vitiosa sunt; in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriae reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murenae dici potest? Nihil, inquam, omnino, iudices. Sic a me consul designatus defenditur, ut eius nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum proferatur. Bene habet: iacta sunt fundamenta defensionis. Nondum enim nostris laudibus, quibus utar postea, sed prope inimicorum confessione, virum bonum, atque integrum hominem defendimus. Quo constituto, facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis: quae pars altera fuit accusationis.

VII. Summam video esse in te, Ser. Sulpici, dignitatem generis, integritatis, industriae, ceterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad consulatus petitionem aggredi par est. Paria cognosco esse ista in L. Murena, atque ita paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superarit. Contempsisti L. Murenae genus, extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc sumis, nisi qui patricius sit, neminem bono esse genere natum; facis, ut rursus plebes in Aventinum sevocanda esse videatur. Sin autem sunt amplae et honestae familiae plebeiae: et proavus L. Murenae,

Nullum petulans dictum) Vulgo additur *in vita*, quod recte negavit Ern. genuinum esse, Beckius uncinis inclusit.

Nisi qui patricius sit) Patricii dicebantur, qui ex primis illis senatoribus, quos Romulus instituit, genus ducebant. Anon.

Plebes) Hanc vocabuli formam, quae est in optimo cod. Lamb. et aliquot aliis Beckius recepit, pro vulgata *plebs*.

L. Murenae) Hic fuit P. Licinius Murena praetor A. V. 596.

et avus, praetores fuerunt, et pater quum amplissime atque honestissime ex praetura triumphasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit, quod is, iam patri debitus, a filio petebatur. Tua vero nobilitas, Ser. Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus literatis et historicis est notior: populo vero et suffragatoribus obscurior. Pater enim fuit equestri loco, avus nulla illustri laude celebratus. Itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, quod virtute industriaque perfecisti, ut quum equitis romani esses filius, summa tamen amplitudine dignus putarere: nec mihi unquam minus in Q. Pompeio, novo homine, et fortissimo viro, virtutis esse visum est, quam in homine nobilissimo, M. Aemilio. Etenim eiusdem animi atque ingenii est, posteris suis, quod Pompeius fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere: et, ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovare.

VIII. Quamquam ego iam putabam, iudices, multis viris fortibus ne ignobilitas obiiceretur generis, meo

Et avus) P. Licinius P. F. Murena praetor A. V. 640.

Pater enim fuit equestri loco) Animadverte patricii generis equitem romanum esse. Nam Sulpicia gens patricia. Equestri autem loco is est, qui ab equestri ordine in senatorium non transiit. MAN.

Q. Pompeio) Qui cum Cn. Caepione consul fuit anno urbis conditae 609. FERR.

M. Aemilio) M. Aemilio Scauro, qui cos. fuit A. V. 638, iterum A. V. 646.

Ut Scaurus, memoriam prope intermortuam) Hoc Asconii verbis explanatur: *Scaurus*, inquit, *ita fuit patricius, ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, et nullam vitae industriam honores adepti sunt. Itaque Scauro aeque ac novo homini laborandum fuit.* MAN.

labore esse perfectum: qui non modo Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortissimis viris, novis hominibus, sed his recentibus, Mariis et Didiis et Caeliis, commemorandis, iacebant. Quum ego vero tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti pateret: non arbitrabar, quum ex familia vetere et illustri consul designatus ab equitis romani filio, consule, defenderetur, de generis novitate accusatores esse dicturos. Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem:

Curiis) M' Curius Dentatus homo novus ter consul fuit A. V. C. 463, 468, 479.

Catonibus) M. Porcius Cato cos. A. V. 558, deinde censor a. 569.

Pompeiis) Respicitur Q. Pompeios A. F. Nepos cos. A. V. 612. Brut. c. 25, dicitur *homo per se cognitus*. Manutius errabat, quum putabat intelligi Q. Pompeium Rufum A. 665 consulem, ideoque hic pro *Pompeiis* legi volebat *Appiis*. Verum viderunt Ern. Ferr.

Novis hominibus) Hi dicebantur, qui ad consularem dignitatem pervenisseut, ex illis orti familiis, ex quibus antea nemo vel magistratum gesserat, vel fuerat senator. Tales fuere, quicumque a Cicerone hic recensentur, quorum maiores ex plebe, aut ex ordine equestri. Scribit Asconius in comment. ad orat. contra competit. *Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit: duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios ex quibus duos nobiles, C. Antonium, et L. Cassium Longinum* (dicuntur nobiles, quia ex illorum maioribus nonnulli consules fuerant): *duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, et C. Licinium sacerdotem* (hi neque nobiles erant, nullo gesto a maioribus consulatu, neque novi homines, quorum patres aut avi aliquem magistratum ceperant): *solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus*; adeoque consulatum adeptus, non tamen ante consulatum, novus homo. Ferr.

Mariis, et Didiis, et Caeliis) Significantur C. Marius septies consul. T. Didius cos. A. V. 655. C. Caelius Caldus cos. A. 659.

Iacebant) Idest ad honoris amplitudinem non erigebantur, idest, consules non fiebant. Sententia autem est, ante me consulem viri fortes, sed ignobiles, quum petebant consulatum, non adipiscebantur, quamvis commemorarent multos ignobiles virtute praeditos, qui consulatum sint adepti, ut Curium, Catonem. Sylv.

superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Quod si id crimen homini novo esse deberet, profecto mihi neque inimici, neque invidi defuissent. Omittamus igitur de genere dicere, cuius est magna in utroque dignitas: videamus cetera.

IX. « Quaesturam una petiit, et sum ego factus prior. » Non est respondendum ad omnia. Neque enim quemquam vestrum fugit, quum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere, non eundem esse ordinem dignitatis et renuntiationis: propterea quod renuntiatio gradus habeat, dignitas autem sit persaepe eadem omnium. Sed quaestura utriusque propemodum pari momento sortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam: tu illam, cui, quum quaestores sortiuntur, etiam acclamari solet, Ostiensem, non tam gratiosam et illustrem, quam negotiosam et molestam. Consedit utriusque nomen in quaestura. Nullum enim vobis sors campum dedit, in quo excurrere virtus cognoscique posset. Reliqui temporis spatium in contentionem vocatur. Ab utroque dissimillima ratione tractatum est. Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitu-

Galbam) P. Sulpicium Galbam Att. I, 1. Q. Cic. de pet. cons.

Pares dignitate) *Pari dignitate* codd. Pall. duo et quatuor Oxx.

Primum) Lambin. *primus*.

Provinciam tacitam) *Tacita* vocatur, quia fuit una ex provinciis quatuor quaestoriis Italiae, in qua nulla rerum materia, quum longius abessent a bellica tempestate. GRAEV.

Acclamari) Iniquam acclamationem significat. FERR.

Consedit) Otiosum scilicet, et sine gloria. FERR.

Tractatum est) *Certatum est*, cod. Franc. Praeferendum hoc censuit Graev. recepit e cod. Paris. Lallem.

Respondendi, scribendi, cavendi) Tribus verbis iurisconsultorum consuetudinem expressit. Respondent enim de iure consulentibus, quum dicunt: Hoc in lege scriptum est, hoc ius postulat. Id responsum vel voce tantum, vel si rudior, et imperitior esset is, qui consulebat, scriptum dabatur. *Scribere* autem dicuntur, quum formulas scribunt litigantibus. Quo spectat illud ad Trebatium:

dinis ac stomachi, sequutus est; ius civile didicit; multum vigilavit; laboravit; praesto multis fuit; multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exsorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad suum. Magna laus, et grata hominibus, unum hominem elaborare in ea scientia, quae sit multis profutura. Quid Murena interea? Fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori, legatus L. Lucullo fuit; qua in legatione duxit exercitum, signa contulit, manum conseruit, magnas copias hostium fudit, urbes partim vi, partim obsidione cepit; Asiam istam refertam, et eandem delicatam, sic obiit, ut in ea neque avaritiae, neque luxuriae vestigium reliquerit; maximo in bello sic est versatus, ut hic multas res et magnas sine imperatore gesserit, nullam sine hoc imperator. Atque haec, quamquam praesente L. Lucullo loquar, tamen, ne ab ipso, propter periculum nostrum, concessam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis testata sunt omnia; quibus L. Lucullus tantum laudis impertiit, quantum neque ambitiosus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit.

X. Summa in utroque est honestas, summa dignitas; quam ego, si mihi per Servium liceat, pari atque eadem in laude ponam. Sed non licet. Agitat rem militarem; insectatur totam hanc legationem; assiduitatis et operarum harum quotidianarum putat esse consulatum. Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot an-

Quod si scribere oblitus es, minus multi iam te advocato causa cadent. Cavere, de iisdem proprie usurpatur. Cavent enim quum aliquem consilio iuvant, atque instruunt, sive is litigel, sive contrahat. MAN.

Refertam — delicatam) Plenam opibus, et luxui deditam. AN.

L. Lucullus tantum) Edd. Oliv. Lall. Oxx. addunt *Murenae.*

Impertiit) Recte sic Ern. pro vulg. *impertit.* Sequitur enim *debuit.*

Apud exercitum) Obiectio in persona expressa. Habet autem interro-

nos? forum non attigeris? afueris tamdiu? et, quum longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Primum ista nostra assiduitas, Servi, nescis, quantum interdum afferat hominibus fastidii, quantum satietatis. Mihi quidem vehementer expediit, positam in oculis esse gratiam. Sed tamen ego mei satietatem magno meo labore superavi, et tu idem fortasse: verumtamen utrique nostrum desiderium nihil obfuisset. Sed, ut, hoc omisso, ad studiorum atque artium contentionem revertamur: qui potest dubitari, quin ad consulatum adipiscendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam iuris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis, ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores; ille, ne urbes aut castra capiantur. Ille tenet et scit, ut hostium copiae; tu, ut aquae pluviae arceantur; ille exercitatur in propagandis finibus, tu

gationis figura hoc loco indignationem: ut; *Quis tu es, quis mihi es, cur meam tibi?* Est sutem in pronomine elegaos idiotismus, qualis et in aliis linguis aoimadvertitur. Phormiooe, *qui mihi ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* Cam.

Et, quum longo intervallo) *Et quum tam longo intervallo* Quintil. V, 13, 27.

De dignitate) Ita codd. plurimi. Praepositionem *de* omiserunt edd. Lamb. Gothofr. Grut. Graev. ap. Quiutil. l. l. eam habent codd. multi et edd. praeter Burm. et Geso. Spaldiogius restituit.

Ista nostra assiduitas) Hoc loco Cicero, *praesentem esse, et ante oculos civium versari*, plus interdum obesse quam prodesse ad honores coosequeodos ponit. Contra vero pro Cn. Plancio mirum io modum prodesse praeseoliam, ita ill*a* scilicet causa postulante, vult ostendere. Cam.

Magno meo labore superavi) Hanc urbis satietatem et fastidium reorum defensione superavi.

Intendit) *Contendit* legitur ap. Quintil. IX, 2, in edd, aliquot; at ibidem IX, 3, 32 est *intendit.* Ap. Iul. Rufiuian. de figg. c. 37, legitur *ut mature, quo intendit.*

Exercitatur) Vulgo *exercitatus est.* At ap. Quintil. IX, 3, 32, in codd. aliquot et edd. vett. *exercitatur*, quod, ut h. l. aptius, recepi.

in regendis. Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris virtus praestat ceteris omnibus. Haec nomen populo romano, haec huic urbi aeternam gloriam peperit; haec orbem terrarum parere huic imperio coëgit; omnes urbanae res; omnia haec nostra praeclara studia, et haec forensis laus et industria, latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt.

XI. Et, quoniam mihi videris istam scientiam iuris, tanquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari, ut istud nescio quid, quod tantopere didicisti, praeclarum aliquid esse arbitrere. Aliis ego te virtutibus, continentia, gravitate, iustitia, fide, ceteris omnibus, consulatu et omni honore semper dignissimum iudicavi. Quod quidem ius civile didicisti; non dicam, operam perdidisti, sed illud dicam: nullam esse in illa disciplina munitam ad consulatum viam. Omnes enim artes, quae nobis populi romani studia concilient, et admirabilem dignitatem, et pergratam utilitatem debent habere. Summa dignitas est in iis, qui militari laude antecellunt. Omnia enim, quae sunt in imperio, et in statu civitatis, ab iis defendi et firmari putantur. Summa etiam utilitas; siquidem eorum consilio et periculo, quum republica, tum etiam nostris rebus perfrui possumus. Gravis etiam illa est, et plena dignitatis, dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione, et senatus, et populi, et

Iustitia, fide) Ita rescripsi auctore Lambino, non solum quia insolens est *virtus continentiae*, sed etiam, quia sequitur *ceteris omnibus*; postquam praecesserat *aliis*.

Conciliant) Nihil opus, quod Ernestio in mentem venit, corrigere *concilient*.

Quae saepe valuit in consule deligendo) Haec parenthesin constituunt, ut nihil opus sit *quae* deleri, quod Ern. delendum putabat.

eorum, qui res iudicant, mentes permovere. Quaeritur consul, qui dicendo nonnunquam comprimat tribunicios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni resistat. Non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles consulatum consequuti sunt; praesertim quum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat. Quorum in isto vestro artificio, Sulpici, nihil est.

XII. Primum dignitas in tam tenui scientia quae potest esse? Res enim sunt parvae, prope in singulis literis atque interpunctionibus verborum occupatae. Deinde, etiamsi quid apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis, id, enuntiatis vestris mysteriis, totum est contemptum et abiectum. Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant. Fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui consulebantur: a quibus etiam dies, tanquam a Chaldaeis,

In isto studio) Victor. Naug. al. *in isto iure*, male. Graevio placebat lectio cod. Franc. *etiam si quid apud maiores fuit industriae isti admirationis.* Vera est vulgata: Etiamsi admirationis aliquid fuit apud maiores nostros in isto studio iuris, id tamen studium, enuntiatis vestris mysteriis, est contemptum.

Posset agi lege) Agere lege, est, suum ius in iudicio a praetore legibus petere. Lib. 2 in Verr. *Quis unquam isto praetore, Chelidone invita, lege agere potuit? Lege agere*, non quotidie, sed fastis tantum diebus licebat. Fasti autem dies non omnibus olim noti erant, sed a pontificibus petebantur: postea publicati sunt ab eorum scribs Cn. Flavio. Ad Attic. lib. VI: *Quid ergo profecit, qui protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse.* Livius libro IX: *civile ius, repositum in penetralibus pontificum, evulgavit; fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur.* MAN.

Tanquam a Chaldaeis) Qui, siderum observatione, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset, praedicebant. Petebantur igitur agendi dies a pontificibus, tanquam ab iis, qui, tanquam Chaldaei, de bonis, maliave diebus divinare possent. MAN.

petebatur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, et singulis diebus ediscendis fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis iurisconsultis eorum sapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Quum hoc fieri bellissime posset: *Fundus Sabinus, meus est*: — *Imo meus;* deinde iudicium: noluerunt. FVNDVS, inquit, QVI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR. Satis verbose. Cedo, quid postea? EVM EGO EX IVRE QVIRITIVM MEVM ESSE AIO. Quid tum?

Petebatur) Sic Ern. e MS. Guelf. Vulgo *petebantur.*

Inventus est scriba quidam Cn. Flavius) Totam hanc historiam ex Pomponii Euchiridio cognoscere licet, cuius verba extant in Pandectis iuris civilis, titulo de origine iuris: unde haec pauca sumam, atque huc adscribam, eorum, quibus haec ignota sunt, gratia: « Deinde, inquit, ex his legibus eodem fere tempore, actiones compositae sunt, quibus inter se homines disceptarent; quas actiones, ne populus, ut vellet, institueret, certas solemuesque esse voluerunt: et appellabatur haec pars iuris, legis actiones. Et its eodem paene tempore, tria haec iura nata sunt: leges XII tabularum: ex his fluere coepit ius civile: ex iisdem, legis actiones compositae sunt. Omnium tamen harum et interpretandi scientia, et actiones, apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoque anno praeesset privatis: et populus prope centum annos hac consuetudine usus est. Postea quum App. Claudius disposuisset, et ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius, scriba eius, libertini filius, surreptum librum populo tradidit, et adeo gratum id munus populo fuit, ut tribunus pl. fieret, et senator, et aedilis curulis. Hinc liber, qui actiones continet, appellatur ius civile Flavianum. LAMB.

Qui cornicum oculos) Proverbium est de iis, qui callidos et prudentes et circumspectos, qui cavere et scirent et deberent, fallunt ac circumveniunt. Nam cornix quum aliorum animalium oculos potissimum appetat, ipsam scilicet suis maxime prospicere oportet. CAM.

Confixerit — proposuerit — compilarit) Ern. maluit *configeret — proponeret — compilaret*. Pro vulg. *ediscendos* dedi *ediscendis.*

Pervulgata) Nauger. it. Graev. e codd. Franc. ediderunt *promulgata.*

Notas quasdam composuerunt) *Formulas actionum* significat, quas qui non tenuisset, Id est, non quemadmodum oporteret, egisset, causa caderet. CAM. Vid. etiam Index verborum in *Nota.*

Fundus) I. M. Brutus maluit *Fundum.* Ernestio vulgata antiquitatis plus redolere visa.

INDE IBI EGO TE EX IVRE MANV CONSERTVM VOCO. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem iureconsultus, tibicinis Latini modo: VNDE TV ME, inquit, EX IVRE MANV CONSERTVM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Praetor interea, ne pulcrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque carmen compositum est, quum ceteris rebus absur-

Inde ibi) *Ibi* legitur in codd. Franc. et aliquot aliis, item in edd. vett. ante Victor. qui illud omisit, sequentibus aliis. Equidem cum Graevio et Beckio id restituendum censui.

Manu consertum) Gell. lib. xx, cap. 19, exposuit veterum morem in disceptandis vindiciis, quum peteretur res, quae *fundi* esset, id est, ut nunc loquimur, *immobilis*. Nos possumus etiam, ut opinor, simpliciter accipere, *ex iure manu consertum* vocari, qui ad iudicium accipiendum, id est, in ius vocetur. *Conserere* enim *manus* et *conferre manus*, contendere est, et pugnare. Vt autem intelligatur non belli neque armorum pugna, sed civilis disceptatio, additur *ex iure*. Haec autem a priscis sine dubio, ut et alia quaedam ad talem modum facta et usurpata fuere, non excogitata a iurisconsultis, quemadmodum Cicero ait: sed quia vere fieri desiissent, et species tantummodo quaedam illorum remaneret, ideo *fictas res et commentitias* Cicero appellavit. CAM.

Transit idem) Lambin. edidit: *transit ad eum*; maluit tamen *transit eodem*.

Tibicinis Latini modo) Quotannis in monte Albano ab omnibus populis Latini nominis communia quaedam sacra fiebant, ex instituto Tarquinii Superbi, ut refert Dionysius, lib. 4, quae latinae feriae dicebantur; in his autem sacrificabant pro omnibus, quum septem et quadraginta urbes essent, sed principatum sacrorum Romani habebant; hoc est, primum pro populo romano, deinde pro reliquis singillatim, solemnes preces fundebantur. Quum igitur in communi illo sacrificio quaelibet urbs sacrificaret etiam separatim, quumque sacra non fierent, nisi praecinente tibicine, an septem et quadraginta tibicines in montem Albanum veniebant, quia totidem erant urbes, teste Dionysio? Dixerim potius, unum tantum adhibitum fuisse tibicinem, qui modo in hanc, modo in illam partem transiret, ut cuiusque populi magistratus suum certum locum occupabat, et omnium sacrificiis singillatim praecineret. Quae quidem consuetudo notari hoc loco videtur. FERR. Haec velim conferas cum iis, quae adnotavit Turnebus in agrar. II, cap. 34, et Garat. ad Planc. cap. 9 huius edit. TYP.

Inde ibi ego) Vulgo additur *praesentibus*, quod Manutius, Hotom. Graevius e glossa natum esse recte iudicarunt, Ern. uncis inclusit. Vrsinus malebat *utrisque praesentibus superstitibus*, *h. e. litigantibus*. Vid. ind. verbor. in *Superstes*. Servius ad Virg. Aen. III, 339, legit *suis utrisque superstitibus*. Ernestius autem contra codd. et edd. delevit *ibi*.

dum, tum vero in illo: SVIS VTRIVSQVE SVPERSTITIBVS, ISTAM VIAM DICO: ITE VIAM. Praesto aderat sapiens ille, qui ire viam doceret. REDITE VIAM. Eodem duce redibant. Haec iam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur. Homines, quum recte atque in loco constitissent, iuberi abire, ut, unde abissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia, QVANDO TE IN IVRE CONSPICIO; et haec: SED ANNE TV DICIS CAVSA VINDICAVERIS? quae dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus iactata et excussa, inanissima prudentiae reperta sunt, fraudis autem et stultitiae plenissima. Nam quum permulta praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. Mulieres omnes, propter infirmitatem consilii, maiores in tutorum potestate esse voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quae potestate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio

Ite viam) Vulgo *inite viam*. Sed *ite* habuit Priscian. XVIII, p. 1168, 1177. Serv. ad Virg. IV, 467, V, 862, idque cum Beckio recepi. Tum vero etiam paulo post pro vulg. *inire* cum edd. Lamb. scribendum erat *ire*.

Conspicio) Pro Caecin. c. 19 est *quandoquidem* in hac formula. Est autem tantum initium formulae; sequebatur *postulo an fuas auctor*; unde l. c. dicitur actio in auctorem praesentem. Ern.

Sed anne tu dicis causa) Vox ista, *dicis*, iurisconsultorum est, et, ut explicat Hotomannus, perinde significat, ac *simulandi causa*, vel, *per simulationem*. Eustachius vero putat, *dicis* sumi pro more et consuetudine. Varro lib. 5 de L.L. pro eo, quod non serio, sed perfunctorie fit. Itaque varius esse potest sensus huius sententiae, *anne tu dicis causa vindicaveris?* quasi diceret, *anne tu simulandi causa tuum illud ac proprium asseruisti*, vel, *pro more et consuetudine*; vel, *non serio sed perfunctorie?* Sane quum truncatae sint et mutilatae sententiae ex veteribus iurisconsultis, quae non extant amplius, eas ad verum sensum explicare quis possit? quum in istis tantum nugetur Cicero.

Dicis causa) Vulgo *dicis, qui causa*. Recte vero delendum censuerunt *qui* Lambinus, Victor. V. L. IV, 23. Ant. Augustin. Em. II, 2. Cuiacius Obss. V, 33. Manut. ad Verr. IV, 24. Omiserunt Graev. Oliv. Lall. Oxx. Beck.

senes ad coëmptiones faciendas, interimendorum sacrorum causa, reperti sunt. In omni denique iure civili aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt: ut, quia in alicuius libris, exempli causa, id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coëmptionem facerent, Caias vocari. Iam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum; iudicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret.

XIII. Itaque (ut dixi) dignitas in ista scientia consularis nunquam fuit; quae tota ex rebus fictis commenticiisque constaret: gratiae vero multo etiam minores. Quod enim omnibus patet, et aeque promptum est mihi, et adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest. Itaque non modo beneficii collocandi spem, sed etiam illud, quod aliquandiu fuit, LICET CONSVLERE, iam perdidistis. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quae neque extra Romam

Ad coëmptiones faciendas) Per coëmptiones matrimonia intelligit, quae per coëmptionem fiebant. Erat enim triplex ratio matrimonium contrahendi apud Romanos, confarreatione, usu, coëmptione, de quibus multa Brissonius et Hotomannus. GR.

Vt, quia in alicuius libris) Grut. scribi voluit *ut Caium in a. l.* Graev. *ut quia Caia in alicuius libri* exemplo *invenerant*. In aliquot edd. vett. et MSS. est *ut Gaia*. Sed recte vulgatum defendit Em.

Caias vocari) Quum nubebant, sponsa ingrediendo sponsi domum dicebat. *Vbi tu, Caius*, ego *Caia*, idest, *ubi tu dominus*, *ego hera*. Quia vero Caia Caeciliana Tarquinii Prisci regis uxor prae ceteris celebrata est, institutum fuit, ut novae nuptae ante ianuam mariti *interrogatae* de nomine se *Caias* dicerent.

Iam illud — mirum videri solet) Haec Cicero irridens formulas iurisconsult. collegit. Quae a Probo tales quaedam annotantur: I. D. T. S. P. Idest, *in diem tertium sive perendinum*. Et, T. I. A. V. P. V. D. Idest, *tempore iudicem arbitrumve peto ut des*. Varro ait: *Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis*. Ideo in actionibus videmus dici, Q. R. S. L. D. O. Idest, *quam rem sive litem dicere oportet*. CAM.

Minores) Ed. Naug. Man. Lamb. *minus*, quod haud scio an verius sit.

Aliquandiu) Graevius e cod. Franc. aliique dederunt *aliquando*.

Licet consulere) Vel concessio consulti significatur, vel hoc dicebat is,

usquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam valet. Peritus ideo haberi nemo potest, quod in eo, quod sciunt omnes, nullo modo possunt inter se discrepare. Difficilis autem res ideo non putatur, quod et perpaucis et minime obscuris literis continetur. Itaque, si mihi, homini vehementer occupato, stomachum moveritis, triduo me iurisconsultum profitebor. Etenim quae de scripto aguntur, scripta sunt omnia: neque tamen quidquam tam anguste scriptum est, in quo ego non possim QVA DE RE AGITVR videre. Quae consuluntur autem, minimo periculo respondentur. Si id, quod oportet, responderis, idem videare respondisse, quod Servius. Sin aliter, etiam controversum ius nosse et tractare videare. Quapropter non solum illa gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est, verum etiam dicendi consuetudo longe et multum isti vestrae exercitationi ad honorem antecellet. Itaque mihi videntur plerique initio multo hoc maluisse: post, quum id assequi non potuissent, istuc potissimum sunt delapsi. Vt aiunt in graecis artificibus, eos auloedos esse, qui citharoedi fieri non potuerint: sic nonnullos videmus,

qui operam pelebat iurisconsultorum: *Licetne consulere*? scilicet libros fastorum. ANON.

Rebus prolatis) Res prolatae dicebantur, quum feriari licebat, munerum urbanorum vacatione concessa: quo tempore ludi fiebant, votivi, Romani, etc. MAN.

Triduo me iurisconsultum) *Esse* vulgo hic additum, quod delendum putabat Ern. omissum iam nonnullis, teste Lamb., delevi.

Videre) Pro vulg. *addere*, quod h. l. prorsus alienum est, rescripsi *videre*, quod recte probarunt Pantagath. et Manut. Idem est in MS. Guelf. a manu secunda. Sed hoc recepto, scribendum erat ante *in qua*, pro vulg. *quo*. Cicero iocari pergens ait nihil posse tam anguste, h. e. tam minutis literis scriptum esse, ut illam formulam *qua de re agitur* videre et legere non possit.

Antecellet) Lamb. correxit *antecellit*.

Auloedos) Ita Quintilian. Inst. or. VIII, 3 cum plerisque Ciceronis opp. edd. — P. Manut. 1540 et Ald. iun. *auletas*.

qui oratores evadere non potuerunt, eos ad iuris studium devenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa autem gratia. Etenim a vobis salubritas quaedam: ab iis, qui dicunt, salus ipsa petitur. Deinde vestra responsa atque decreta, et evertuntur saepe dicundo, et sine defensione oratoris firma esse non possunt: in qua re si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem; nunc nihil de me dico, sed de iis, qui in dicendo magni sunt aut fuerunt.

XIV. Duae sunt artes, quae possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una imperatoris, altera oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur; ab illo belli pericula repelluntur. Ceterae tamen virtutes ipsae per se multum valent: iustitia, fides, pudor, temperantia; quibus te, Servi, excellere omnes intelligunt: sed nunc de studiis ad honorem dispositis, non de insita cuiusque virtute disputo. Omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simul atque aliquis motus novus bellicum canere coepit. Etenim, ut ait ingeniosus poëta, et auctor valde bonus, proeliis promulgatis, *pellitur e medio*, non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum, *sapientia; vi geritur res; spernitur orator*, non solum odiosus in dicendo, ac loquax, verum etiam *bonus; horridus miles amatur;* vestrum vero studium totum iacet. *Non ex iure manu consertum*, *sed* [*mage*] *ferro*, inquit, *rem repetunt.* Quod si ita est, cedat, opinor, Sulpici, forum castris,

Vt ait ingeniosus poëta) Ennius scil. Versus etiam leguntur ap. Gellium N. A. XX, 9.

Pellitur) *Tollitur* edd. pr. Lamb. e MS. primus edidit *pellitur*, idque est ap. Gellium l. l.

Mage) Abest in MSS. et edd. pr. additum e Gellio. Legendum vero ap. Gellium *magi'* s. *magis* cum elisione indicavit Gronov.

otium militiae, stilus gladio, umbra soli: sit denique in civitate ea prima res, propter quam ipsa est civitas omnium princeps. Verum haec Cato nimium nos nostris verbis magna facere demonstrat: et oblitos esse, bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis esse gestum. Quod ego longe secus existimo, iudices; deque eo pauca disseram: neque enim causa in hoc continetur.

XV. Nam, si omnia bella, quae cum Graecis gessimus, contemnenda sunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M' Curii; de Philippo, T. Flaminini; de Aetolis, M. Fulvii; de rege Perse, L. Paulli; de Pseudophilippo, Q. Metelli; de Corinthiis, L. Mummii; sin haec bella gravissima, victoriaeque eorum bellorum gravissimae fuerunt, cur Asiaticae nationes, atque ille a te hostis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monumentis vel maximum bellum populum romanum cum Antiocho gessisse video; cuius belli victor L. Scipio, partita cum Publio fratre gloria, quam laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso prae se ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine assumpsit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia

De rege Pyrrho) Epirotarum rege, qui A. V. 473 a Tarentinis vocatus, in Italiam contra Romanos venit. De eo triumphavit post annos quinque M' Curius Dentatus. Testis omnis historia. MANUT.

De Philippo) Persei patre, ultimi Macedoniae regis: de quo, et de Macedonia capta triumphavit L. Aemilius Paullus: de Philippo autem T. Quintius Flamininus. *Livius*, *Plutarch*. ID.

Cum Antiocho) Cui victo pacis conditiones hae datae sunt, ut Europa abstineret, Asiaqua omni, quae cis Taurum est, decederet: XV millia talentorum Euboicorum daret: mille talentum per XII annos daret. Eumeni regi, qui populum Romanum in bello iuverat, CCCC talenta redderet. ID.

Scipio, partita) Sic legi voluit Lambin. Gulielm. *sic quasi partita*, quod Grutero placuit. Vulgatum *parta*, quod Ern. post Graevium defendit (qui tamen coniecerat scribendum *parta eadem Poblio fratri gloria*) minus commodum praebet sensum. Quid enim attinebat dicere eum cum Publio fratre gloriam peperisse? *Partita* vero respicit hoc quod L. *Scipio*

M. Catonis, proavi tui: quo ille quum esset, ut ego mihi statuo, talis, qualem te esse video, nunquam esset profectus, si cum mulierculis bellandum esse arbitraretur. Neque vero cum P. Africano senatus egisset, ut legatus fratri proficisceretur, quum ipse, paulo ante, Hannibale ex Italia expulso, ex Africa eiecto, Carthagine oppressa, maximis periculis rempublicam liberasset, nisi illud grave bellum et vehemens putaretur. Atqui, si diligenter, quid Mithridates potuerit, et quid effecerit, et qui vir fuerit, consideraris: omnibus regibus, quibuscum populus romanus bellum gessit, hunc regem nimirum antepones. Quem L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, bello invectum totam in Asiam, cum pace dimisit: quem L. Murena, pater huiusce, vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit: qui rex, sibi aliquot annis sumtis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum ipse opibus conatuque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum putaret. Ad quod bellum duobus consulibus ita missis, ut alter Mithridatem persequeretur,

Asiatici cognomen, ut Publius frater *Africani* meruit.

Statuo) *Statuam* est in edd. pr. et in MSS. Franc. sex Oxx. Guelf. idque Beckius sic exponit, *ut iudicem de sensu meo*. Mihi verba *ut ego mihi statuo* corrupta esse videntur, ita fere corrigenda: *quum esset in eo animi status talis, qualem in te esse video*; scilicet indoles generosa, alta, excelsa.

Nunquam) Vulgo additur *cum Scipione*, inepte; Cato enim non cum Scipione, quod Ern. vidit, sed cum Acilio Glabrione profectus est. Liv. XXXVI, 21.

Pugna excitatum) In h. v. mire variant codd. alii *excitaret*, al. *quum exacerbasset pugna*. Lambin. coni. *exacerbatum* vel *exasperatum*.

Bello) Sic Ern. Vulgo *cum bello*.

Duobus consulibus) L. Lucullo et M. Aurelio Cotta. Et hic quidem a Mithridate, irruptione facta in Bithyniam, superatus est. *Anon.*

Persequeretur) *Prosequeretur* MS. Franc.

alter Bithyniam tueretur: alterius res et terra et mari calamitosae, vehementer et opes regis et nomen auxerunt; L. Luculli vero res tantae exstiterunt, ut neque maius bellum commemorari possit, neque maiore consilio et virtute gestum. Nam, quum totius impetus belli ad Cyzicenorum moenia constitisset, eamque urbem sibi Mithridates Asiae ianuam fore putavisset, qua effracta et revulsa, tota pateret provincia: perfecta ab Lucullo haec sunt omnia, ut urbs fidelissimorum sociorum defenderetur, et omnes copiae regis diuturnitate obsessionis consumerentur. Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine et parva dimicatione commissam arbitraris? Mitto proelia: praetereo oppugnationes oppidorum. Expulsus regno tandem aliquando, tantum tamen consilio atque auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum adiuncto, novis opibus copiisque renovarit.

XVI. Ac si mihi nunc de rebus gestis esset nostri exercitus imperatorisque dicendum, plurima et maxima proelia commemorare possem. Sed non id agimus. Hoc dico: si bellum hoc, si hic hostis, si ille rex contemnendus fuisset, neque tanta cura senatus et populus romanus suscipiendum putasset, neque tot annos gessisset, neque tanta gloria L. Luculli, neque vero eius belli conficiendi curam tanto studio populus romanus ad Cn. Pompeium detulisset; cuius ex omnibus pugnis, quae sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quae cum rege commissa

Alterius) M. Aurelii Cottae.

Et omnes) Sic Graev. e cod. Fran. pro vulg. *ut omnes*.

Obsessionis) Ita est in cod. Pall. 2, 3, 8, S. Vict. al. et recepit Beckius. Vulgo *obsidionis*.

Illa, quae cum rege commissa est) De hac pugna vid. Dion. Cass. lib.

est, et summa contentione pugnata. Qua ex pugna quum se ille eripuisset, et Bosporum confugisset, quo exercitus adire non posset, etiam in extrema fortuna et fuga, nomen tamen retinuit regium. Itaque ipse Pompeius, regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tamen tantum in unius anima posuit, ut, quum omnia, quae ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret; tamen non ante, quam illum vita expulit, bellum confectum iudicarit. Hunc tu hostem, Cato, contemnis, quocum per tot annos, tot proeliis, tot imperatores bella gesserunt? cuius expulsi et eiecti vita tanti aestimata est, ut, morte eius nuntiata, tum denique bellum confectum arbitraremur? Hoc igitur in bello L. Murenam, legatum fortissimi animi, summi consilii, maximi laboris cognitum esse defendimus: et hanc eius operam non minus ad consulatum adipiscendum, quam hanc nostram forensem industriam, dignitatis habuisse.

XVII. At enim in praeturae petitione prior renuntiatus est Servius. Pergitisne vos, tanquam ex syngrapha, agere cum populo, ut, quem locum semel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat? Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox inter-

XXXVI, c. 32; Appian. in Mithrid. Plutarch. in Pompeio. Ern.

Arbitraremur) Sic Lambin. Ern. Vulgo *arbitraretur*.

Ex syngrapha agere) *Syngrapha* proprie est debitae pecuniae perscriptio, et solvendi illam conditiones continet. *Agere* autem *ex syngrapha*, petere significat quod debeatur. Camerar.

Quem Euripum) Euripos dixere freta tenuia et longiora, ut Euboeae, Hellesponti, Taurominii in Sicilia. Haec multo crebrius quam reliqua maria exaestuant atque residunt. Id.

Tam varias habere — ratio comitiorum?) Quintil. h. l. laudans Inst. or. VIII, 6, 49. ita legit: *tam varias habere creditis agitationes, commuta-*

posita, saepe perturbat omnia: et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Saepe etiam sine ulla aperta causa fit aliud, atque existimamus, ut nonnunquam ita factum esse etiam populus admiretur: quasi vero non ipse fecerit. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum summo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio superari posse arbitratus est? quis Q. Catulum, humanitate, sapientia, integritate antecellentem, a Cn. Manlio? quis M. Scaurum, hominem gravissimum, civem egregium, fortissimum senatorem, a Q. Maximo? Non modo horum nihil ita fore putatum est, sed ne quum esset factum quidem, quare ita factum esset, intelligi potuit. Nam ut tempestates saepe certo aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari, saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.

XVIII. Sed tamen, si est reddenda ratio, duae res vehementer in praetura desideratae sunt, quae ambae in consulatu Murenae profuerunt: una, exspectatio

tiones, fluctus, quantas perturbationes et quantos aestus ratio comitiorum.

C. Manlio) Manulio placebat *Mallio.*

Concitantur) Sic cod. Oxx. duo ed. Ven. pr. it. codd. Quintil. VIII, 3, quod cum Garatono praetuli vulgato *excitantur*, ne nimis saepe recurreret syllaba *ex*.

Sic in hac comitiorum tempestate populari) Lambin. edidit: *sic haec comitiorum tempestas popularis.*

Saepe ita obscura) Lambin. coni. *saepe eius ita obscura causa est.*

Quae ambae in consulatu) Vulgo addebatur *tum*, quod Ernest. recte delevit.

Vna, exspectatio muneris — creverat) Aedilis Murena non fuerat, adeoque nullos fecerat ludos: exspectatio igitur, hoc est, frustratio muneris obfuit illi, quum praeturam peteret; quod, omissa aedilitate, populum sibi magnificentia ludorum et apparatu, ut ceteri fere consueverant, non conciliasset. Praecipue quum omissionem aedilitii muneris neque dissimularet populus *rumore*

muneris, quae et rumore nonnullo, et studiis sermonibusque competitorum creverat: altera, quod ii, quos in provincia ac legatione omnis et liberalitatis et virtutis suae testes habuerat, nondum decesserant. Horum utrumque ei fortuna ad consulatus petitionem reservavit. Nam et L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat; idem comitiis L. Murenae praesto fuit: et munus amplissimum, quod petitio praeturae desiderabat, praetura restituit. Num tibi haec parva videntur adiumenta et subsidia consulatus? Voluntas militum? quae quum per se valet multitudine, quum apud suos gratia; tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum romanum auctoritatis habet. Suffragatio militaris? imperatores enim comitiis consularibus, non verborum interpretes deliguntur. Quare gravis est illa oratio: *me saucium recreavit; me praeda donavit; hoc duce castra cepimus, signa contulimus: nunquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit ipse; tum fortis, tum etiam felix.* Hoc quanti putas esse ad famam hominum ac voluntatem? Etenim, si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit praerogativum: quid mirum est, in hoc felicitatis famam sermonemque valuisse?

nonnullo; et competitores suos ipsorum ludos verbis extollerent et studiose amplificarent. Quid deinde? *Munus amplissimum, quod petitio praeturae desiderabat, praetura restituit.* Sortitus enim praetoriam provinciam urbanam, magnifice ludos Apollinares, quos a praetore urbano fieri quotannis necesse erat, apparavit Murena. Qua ratione multum apud populum gratiae illi accessit, consulatum petenti. Fern.

Nondum decesserant) Nondum Lucullus cum exercitu Romam venerat ad triumphum, quum Murena praeturam peteret. Vid. Acad. II, 1. Idem.

Comitiis) Sic pro vulg. *comes* e coniectura Hotomanni edidit Lamb. probante Garatono et Beckio.

Omen valuerit praerogativum) Centuriae praerogativae dicebantur, quae sorte eductae primum rogabantur: eaeque velut omen comitiorum fuerunt, quia saepe reliquae priorum suffragia sequebantur. *Anon.*

XIX. Sed, si haec leviora ducis, quae sunt gravissima, et hanc urbanam suffragationem militari anteponis: noli ludorum huius elegantiam, et scenae magnificentiam valde contemnere; quae huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam, populum ac vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? Minus est mirandum. Quamquam huic causae id satis est. Sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est, non est mirandum, eam L. Murenae apud populum profuisse. Sed si nosmetipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur, et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur: quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui dissimulant, non solum eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione sensi. Nam nos quoque habuimus scenam competitricem. Quod si ego, qui trinos ludos aedilis

Minus est mirandum) Haec genuina esse non videntur. Beckio, praeter ista, suspecta erant etiam quae sequuntur: *quamquam comitia.*

Admirere de multitudine indocta) Lambinus malebat: *admirere multitudinem indoctam*, inutili coniectura.

L. Otho) L. Roscius Otho, trib. plebis, Cicerone consule, legem tulit, ut in theatro equitibus Romanis quatuordecim gradus proximi, spectandi causa, darentur: qua lege restitutam sit Cicero equestri ordini cum dignitate voluptatem. Livius, Asconius, Plutarchus. *Anon.*

Habuimus scenam competitricem) H. e. ego quoque sensi ludos a competitore Antonio factos huic valde profuisse.

Scenam competitricem) Antonius scenam argentatam (de qua Plinius lib. XXXIII, 3) in ludis dederat, collega Ciceronis in aedilitate. Hinc metuebat Cicero, ne scena illa plus apud populum in petitione valeret, quam ipse: et scena pro Antonio petere consulatum videbatur. Ern.

Qui trinos ludos aedilis feceram)

feceram, tamen Antonii ludis commovebar: tibi, qui casu nullos feceras, nihil huius istam ipsam, quam irrides, argenteam scenam, adversatam putas?

XX. Sed haec sane sint paria omnia; sit par forensis opera militari; sit par militari suffragatio urbana; sit idem, magnificentissimos et nullos unquam fecisse ludos: quid? in ipsa praetura nihilne existimas inter tuam et istius sortem interfuisse? Huius sors ea fuit, quam omnes tui necessarii tibi optabamus, iuris dicundi; in qua gloriam conciliat magnitudo negotii; gratiam, aequitatis largitio; qua in sorte sapiens praetor, qualis hic fuit, offensionem vitat aequabilitate decernendi, benivolentiam adiungit lenitate audiendi. Egregia et ad consulatum apta provincia, in qua laus aequitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur. Quid tua sors? tristis, atrox: quaestio peculatus, ex altera parte, lacrymarum et squaloris, ex altera, plena catenarum atque indicum. Cogendi iudices inviti, retinendi contra vo-

Primos Cereri, Libero et Liberae: secundos Florae: tertios Iovi, Iunoni et Minervae. Verr. V, 14. *An.*

Sors — iuris dicundi) Hoc est, provincia iuris dicendi. *Sors* enim quaevis provincia alicui imposita vel cum sorte, vel sine sorte. Sic apud nostrum *sortis coniunctio* est societas collegii. *Sors* autem *iuris dicendi* est praetura urbana, quam qui consequutus erat, dicebatur *honoratus praetor*. Illi etiam soli et peregrino praetori iurisdictio dicebatur assignata esse: reliqui praetores, qui quaestiones sortiti erant, carebant iurisdictione. Hinc Tac. Agric. 6: *Idem praeturae tenor et silentium. Nec enim iurisdictio obvenerat.* Graev.

Aequitatis largitio) Recte largitionis nomen ad aequitatem adiunxit. Nam saepe quod ius negat, aequitas largitur. Man.

Quaestio peculatus) Tu sortitus es quaestionem, hoc est, iudicium de peculatu, seu furto pecuniae publicae. Ceteri enim praetores, excepto urbano et peregrino, sortiebantur inter se quaestiones. Ista quaestio dicitur tristis et atrox, quia peculatus rei in squalore, omnesque illius necessarii in lacrymis versabantur. Graev.

Ex altera parte) Scil. reorum.

Ex altera) Nempe accusatorum.

Plena catenarum) Fortasse metaphorice dictum sicut in Orat. pro Sext. c. 17: *legum sacrarum catenis constrictus.* Si proprie, significatur accusatorem peculatus reo vincula minari.

luntatem; scriba damnatus, ordo totus alienus; Sullana gratificatio reprehensa; multi viri fortes, et prope pars civitatis offensa est; lites severe aestimatae; cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit. Postremo tu in provinciam ire noluisti. Non possum id in te reprehendere, quod in me ipso et praetor et consul probavi. Sed tamen L. Murenae provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit. Habuit proficiscens delectum in Vmbria; dedit ei facultatem respublica liberalitatis; qua usus, multas sibi tribus, quae municipiis Vmbriae conficiuntur, adiunxit. Ipsa autem in Gallia, ut nostri homines desperatas iam pecunias exigerent, aequitate diligentiaque perfecit. Tu interea Romae scilicet amicis praesto fuisti. Fateor: sed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum studia minui solere in eos, a quibus provincias contemni intelligant.

XXI. Et, quoniam ostendi, iudices, parem dignitatem ad consulatus petitionem, disparem fortunam provincialium negotiorum in Murena atque in Sulpicio fuisse: dicam iam apertius, in quo meus necessarius fuerit inferior Servius, et ea dicam, vobis

Scriba damnatus, ordo totus alienus) Scribam Servius praetor de peculatu damnaverat; quo totus ordo scribarum offensus quin comitiis postea consularibus Murenam Servio praeposuerit non est cur dubitetur. Manvt.

Sullana gratificatio reprehensa) Sulla victoriis qui suas partes in bello iuverant, de publico largitus est; ea largitio post illius interitum peculatus nomine in iudicium vocata, multique Servio praetore condemnati. Vnde illi pars civitatis infensa. Id.

Prope pars) I. e. *magna pars*; nisi velis cum Lambino pro *dimidia parte* accipere.

Lites severe aestimatas) Aestimatio litis est, quantum solvere, aut quid sufferre damnatum oporteat. Camer.

Facultatem — liberalitatis) Omittens in delectu habendo, quos vellet. Ferr.

Ipsa autem in Gallia) Optime sic correxit Ern. Vulg. *ipsa autem in Gallia*. Opponitur Gallia, quae Murenae provincia erat, *Vmbriae*, per quam in provinciam proficiscebatur.

Amicorum studia minui) Favent enim candidatis, ut sibi in provinciis gratiam illi rependant. Ferr.

audientibus, amisso iam tempore, quae ipsi soli, re integra, saepe dixi. Petere consulatum nescire te, Servi, persaepe tibi dixi: et in iis rebus ipsis, quas te magno et forti animo et agere et dicere videbam, tibi solitus sum dicere, magis te fortem senatorem mihi videri, quam sapientem candidatum. Primum accusandi terrores et minae, quibus tu quotidie uti solebas, sunt fortis viri; sed et populi opinionem a spe adipiscendi avertunt, et amicorum studia debilitant. Nescio quo pacto semper hoc fit: neque in uno aut altero animadversum est, sed iam in pluribus: simul atque candidatus accusationem meditari visus est, ut honorem desperasse videatur. Quid? ergo acceptam iniuriam persequi non placet? Immo vehementer placet: sed aliud tempus est petendi, aliud persequendi. Petitorem ego, praesertim consulatus, magna spe, magno animo, magnis copiis et in forum et in campum deduci volo; non placet mihi inquisitio candidati, praenuntia repulsae; non testium potius, quam suffragatorum comparatio; non minae magis, quam blanditiae; non declamatio potius, quam persalutatio: praesertim quum iam hoc novo more omnes fere domos omnium concursent, et ex vultu candidatorum coniecturam faciant, quantum quisque animi et facultas habere videatur. « Videsne tu illum

Amisso iam tempore) Quum praeterierit occasio. MANUT.

Accusandi terrores) Accusandi de ambitu, ut nunc accusas Murenam. Quos terrores iam tum candidatus iaciebas. ID.

Populi opinionem a spe adipiscendi avertunt) Efficiunt, ut populus opinetur, eum, qui terroribus eiusmodi utitur, adipisci consulatum non posse. Qui enim candidatus competitoribus suis minatur, is parum sperare consulatum videtur. Quod quum populus animadvertit, desperantem deserit, et amicorum studia debilitantur. ID.

Quid? ergo) Melius sic distinxit Lamb. Vulgo, *Quid ergo?*

Quam persalutatio) Significat candidato tempus potius in prensando et salutandis civibus consumendum esse, quam in declamando.

Domos omnium) Candidatorum.

tristem? demissum? iacet, diffidit, abiecit hastas. » Serpit hic rumor: Scis tu illum accusationem cogitare? inquirere in competitores? testes quaerere? alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat. Eiusmodi candidatorum amici intimi debilitantur, studia deponunt, aut totam rem abiiciunt, et suam operam et gratiam iudicio et accusationi reservant.

XXII. Accedit eodem, ut etiam ipse candidatus totum animum atque omnem curam, operam, diligentiamque suam in petitione non possit ponere. Adiungitur enim accusationis cogitatio, non parva res, sed nimirum omnium maxima. Magnum est enim, te comparare ea, quibus possis hominem e civitate, praesertim non inopem, neque infirmum, exturbare; qui et per se et per suos et vero etiam per alienos defendatur. Omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus; et qui non aperte inimici sumus, etiam alienissimis, in capitis periculis, amicissimorum officia et studia praestamus. Quare ego expertus et petendi et defendendi et accusandi molestiam, sic intellexi: in petendo, studium esse acerrimum; in defendendo, officium; in accusando, laborem. Itaque sic statuo, fieri nullo modo posse, ut idem accusationem et petitionem consulatus diligenter adornet atque instruat. Vnum sustinere pauci possunt, utrumque nemo.

XXIII. Tu, quum te de curriculo petitionis deflexisses, animumque ad accusandum transtulisses, existimasti, te utrique negotio satisfacere posse? Vehe-

Totam rem — accusationi reservant) Auctore Lambino rescripsi *totam* pro corrupto *testatam*, et paulo post pro *aut suam* dedi *et suam*. Sic pulcra fit gradatio in tribus membris *debilitantur — studia deponunt — totam rem abiiciunt*; et in verbis *et suam — reservant*, vitatur disiunctio, cui hic nullus est locus.

Tu, quum te) Sic Grut. et seqq. Antea *te* omissum in edd. plerisque.

menter errasti. Quis enim dies fuit, posteaquam in istam accusandi denuntiationem ingressus es, quem tu non totum in ista ratione consumpseris? Legem ambitus flagitasti, quae tibi non deerat. Erat enim severissime scripta Calpurnia. Gestus est mos et voluntati et dignitati tuae. Sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset: petitioni vero refragata est. Poena gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum. Exsilium in nostrum ordinem concessit senatus postulationi tuae; sed non libenter duriorem fortunae communi conditionem te auctore constituit. Morbi excusationi poena addita est: voluntas offensa multorum, quibus aut contra valitudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi. Quid ergo? haec quis tulit? is, qui auctoritati senatus, voluntati tuae paruit: denique is tulit, qui minime probarat. Illa,

Legem ambitus) Est *lex Tullia de ambitu* Cicerone consule lata in gratiam Sulpicii, qua tria maxime perscribebantur: poena in eos, qui suffragia venderent; exilium in eos, qui largitionem facerent; et ne reis de ambitu excusatio morbi prodesset. Hinc infra innuit, Murenam infirma valetudine iudicio adesse. FERR.

Commoti animi) Vulgo addebatur *sunt*. Id in V codd. et edd. antiquioribus melius abest. Itaque cum Beckio delevi.

Exsilium) A te flagitatum est: quod Calpurnia lex non irrogabat. MANVT.

Morbi excusationi poena addita est) Scilicet reis, testibus, iudicibus morbum excusantibus.

Morbi excusationi poena addita est) Videtur Servius et petiisse a Senatu, et obtinuisse, ut lex ferretur de cogendis omnibus ad comitia consularia, poena addita, si quis morbum excusaret. MANVT.

Aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi) Hunc locum ita legendum arbitror: *aut sine incommodo morbi certe vitae fructus relinquendi.* Nimirum multis qui cogebantur iudicio de ambitu vel testes, vel iudices adesse, molestum erat propter istum laborem vitae fructus ut ambulationes, convivia aliasque voluptates, relinquere.

Aut incommodo morbi etc.) Aut, si propter morbum ad comitia non ivissent, potestate suffragandi in posterum privarentur. Sic enim illud accipio: *ceteri vitae fructus relinquendi.* MANVT.

Qui minime probarat) Vulgo cor-

quae mea summa voluntate senatus frequens repudiavit, mediocriter adversata tibi esse existimas? Confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae, aequationem gratiae, dignitatis, suffragiorum. Graviter homines honesti, atque in suis civitatibus et municipiis gratiosi tulerunt, a tali viro esse pugnatum, ut omnes et dignitatis et gratiae gradus tollerentur. Idem editicios iudices esse voluisti, ut odia occulta civium, quae tacitis nunc discordiis continentur, in fortunas optimi cuiusque erumperent. Haec omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsepiebant.

XXIV. Atque ex omnibus illa plaga est iniecta petitioni tuae, non tacente me, maxima: de qua ab homine ingeniosissimo et copiosissimo, Hortensio, multa gravissime dicta sunt. Quo etiam mihi durior locus est dicendi datus: ut, quum ante me et ille dixisset, et vir summa dignitate, et diligentia, et facultate dicendi, M. Crassus, ego in extremo non partem aliquam agerem causae, sed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Itaque in iisdem rebus fere versor, et, quòd potissimum, iudices, occurro vestrae

rupte *cui minime proderant.* Cicero significat se consulem legem istam de ambitu a se, auctoritate senatus et ex voluntate Sulpicii latam, ipsum minime probasse. Itaque rescripsi *qui minime probarat.*

Confusionem suffragiorum flagitasti) Petierat Servius, non ut, latis suffragiis, centuriae numerarentur, quod fieri solebat, sed ut omnia centuriarum omnium suffragia confunderentur: iisque numeratis quis consul factus esset, quis reiectus, intelligeretur. Ita fiebat, ut ambitus tolleretur, quum nullius centuriae beneficium appareret. MANVT.

Prorogationem legis Maniliae) Vt lex Manilia de suffragiorum confusione, quae iam abrogata fuerat, in posterum valeret. ID.

Aequationem gratiae, dignitatis, suffragiorum) Confusis suffragiis hoc sequebatur, ut eorum, qui suffragia ferebant, non gratia, non dignitas extaret. ID.

Editicios iudices) Non ut sorte eligerentur, sed ipse accusator iudices ederet. FERRAT.

Quod potissimum) Vulgo *quod possum.* Hoc Ern. sic interpretatus: *Ego*

sapientiae. Sed tamen, Servi, quam te securim putas iniecisse petitioni tuae, quum tu populum romanum in eum metum adduxisti, ut pertimesceret, ne consul Catilina fieret, dum tu accusationem comparares, deposita atque abiecta petitione? Etenim te inquirere videbant, tristem ipsum: moestos amicos, observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant: quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscuriores videri solent. Catilinam interea alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis: inflatum tum spe militum, tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Fesulanorum exercitu.

post Hortensium et Crassum dico de illa re; nam de omni re debeo dicere, quum illi de partibus causae dixerint. Sed ego ea in re servio quoad possum vobis iudices, ut re breviter repetita et cognita possitis recte iudicare. At haec explicatio nec difficultatem volgatae lectionis tollit, et a nexu orationis cum superioribus longius aberrat. Cicero enim his verbis *itaque — sapientiae* exponere vult cur sibi durior sit locus dicendi datus post Hortensium et Crassum; quia non partem ageret causae, ab iis intactam, sed de tota re sibi dicendum esset. Itaque se ait in iisdem rebus fere versari, quas illi iam exposuissent; in quo sibi verendum sit ne rerum similitudo sit satietatis mater; et quod maximum sit *occurrere sapientiae iudicum*, qui haec omnia iam satis intelligant, ab Hortensio et Crasso iam satis edocti. Ergo pro *quod possum* rescripsi *quod potissimum*. Lambinus quia in cod. Memmio invenerat *sapietati*, huius scripturae vestigium sequutus, rescripsit *satietati*, in quod Hotomannus quoque coniectura inciderat. Si hoc sequaris, legendum tamen erit, *quod potissimum*.

Occurro vestrae sapientiae) Id est, anteverto expectationem quantum possum eorum, quae mihi dicenda esse intelligitis. Camer. Ea dico, quae iam vos ipsi vera esse cognoscitis. Ferr.

Observationes) Quis largiretur, quis acciperet. Manut.

Testificationes) Tabularum confectio, quae fit adhibitis testibus. Graev.

Seductiones) Quum seorsum ab aliis, cum quibus erant, ducerel. Id.

Secessionem subscriptorum) Qui subscriberent accusationi. Man.

Indicibus) Manutius existimat indices dici hoc loco illos, quorum indicio ad aliquem circumveniendum et accusandum uti solitus sit. *Anon.*

Circumfluentem) Sic Lamb. e cod. Memm. Idem est in VI codd. Oxx. Ven. pr.

Colonorum) Sullae veteranos designat, quos ille Arretium et Fesulas

Quam turbam, dissimillimo ex genere, distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate. Vultus erat ipsius plenus furoris; oculi, sceleris; sermo, arrogantiae, sic ut ei iam exploratus et domi conditus consulatus videretur. Murenam contemnebat; Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem; ei vim denuntiabat; reipublicae minabatur.

XXV. Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit, quantaque desperatio reipublicae, si ille factus esset, nolite a me commoneri velle: vosmetipsi vobiscum recordamini. Meministis enim, quum illius nefarii gladiatoris voces percrebuissent, quas habuisse in concione domestica dicebatur; quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse, nisi eum, qui ipse miser esset; integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere; quare qui consumpta replere, erepta recuperare vellent; spectarent, quid ipse deberet, quid possideret, quid auderet: minime timidum, et valde calamitosum esse oportere eum, qui esset futurus dux et signifer calamitosorum. Tum igitur, his rebus auditis, meministis fieri senatusconsultum, referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie, frequenti senatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus iussi, si quid vellet, quae ad me allatae essent, dicere. Atque ille, ut semper fuit apertissimus, non se purgavit, sed indicavit atque induit. Tum enim dixit, duo corpora esse reipublicae, unum debile,

colonos miserat; nam et ipse Catilina pro Sulla steterat. FERR.

Distinguebant) Vt pocula dicuntur gemmis distincta clarissimis, Verrina 6. *Dissimillimo* autem *ex genere*, quia supra Sullanos nominavit, hic de Marianis sermo est, qui sperabant, perturbata Rep., se posse res suas recuperare. ID.

Perculsi) Sic recte Lamb. Graev. alii. Vulgo *percussi*. At cod. Franc. *perculsi*.

infirmo capite: alterum firmum, sine capite: huic, quum ita de se meritum esset, caput, se vivo, non defuturum. Congemuit senatus frequens, neque tamen satis severe, pro rei indignitate, decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant; partim, quia timebant. Tum erupit e senatu, triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat: praesertim quum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante, Catoni, fortissimo viro, iudicium minitanti ac denuntianti, respondisset, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum.

XXVI. His tum rebus commotus, et quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum, et cum illa lata insignique lorica, non quae me tegeret (etenim sciebam Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere), verum ut omnes boni animadverterent, et quum in metu et periculo consulem viderent, id quod est factum, ad opem praesidiumque meum concurrerent. Itaque quum te, Servi, remissiorem in petendo putarent, Catilinam et spe et cupiditate inflammatum viderent, omnes, qui illam

Infirmo capite) Vt contraria contrariis referantur, legi vult Manutius, *firmo capite.* At non optimam comparationem, et contrapositis elegantem quaerebat Catilina; sed quam tempori, loco, et personis ad excitandam confidentiam maxime convenientem putabat. Eo certe consilio id in senatu dixerat, ut multos novarum rerum studiosos ad coniurandum petraheret. An vero id efficiebat facilius, si firmum esse diceret caput optimatum, contra quos arma laturi erant, quam si infirmum? Legendum igitur, *infirmo capite*, ut nomine *capitis* Cicero consul intelligatur, quem ignobilem, timidum ac minime strenuum dicebant. FERR.

Non latus aut ventrem) Indicat quod non abiectos, sed praecipuos cives Catilina aggrediatur. Vel potius alludit ad illud eius facinus, quum in proscriptione Sullae, Marii Gratidiani collum secuit, et caput a Ianiculo ad aedem Apollinis ad Sullam suis ipse manibus detulit. *An.*

ab republica pestem depellere cupiebant, ad Murenam se statim contulerunt. Magna est autem comitiis consularibus repentina voluntatum inclinatio, praesertim quum incubuit ad virum bonum, et multis aliis adiumentis petitionis ornatum. Qui quum honestissimo patre atque maioribus, modestissima adolescentia, clarissima legatione, praetura probata in iure, grata in munere, ornata in provincia, petisset diligenter, et ita petisset, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur: huic mirandum est, magno adiumento Catilinae subitam spem consulatus adipiscendi fuisse?

XXVII. Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt, a me, quoniam ita Murena voluit, retractandus: quo in loco Postumio, familiari meo, ornatissimo viro, de divisorum indiciis, et de deprehensis pecuniis, adolescenti ingenioso et bono, Ser. Sulpicio, de equitum centuriis, M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipsius accusatione, de senatusconsulto, de republica respondebo. Sed pauca, quae meum animum repente moverunt, prius de L. Murenae fortuna conquerar. Nam quum saepe antea, iudices, et ex aliorum miseriis, et ex meis curis laboribusque quotidianis, fortunatos eos homines

Grata in munere) Ob ludorum in praetura factorum elegantiam et scenae magnificentiam c. 19.

Ille locus est) Male in ed. Ven. et sex codd. Oxx. additur *relictus*.

De divisorum indiciis) Qui contra leges pro Murena pecuniam populo diviserint. Ceterum singulae tribus suos habebant divisores ad legitimas largitiones dividendas. FERR.

Adolescenti) Quis non intelligit, Ser. Sulpicii filium significari? qui et ipse cum Postumio, et Catone, patri Murenam accusanti, subscripserat. MANVT.

Equitum centuriis) Equitum Centurias octodecim a Servio Rege institutas narrat Livius, et suffragium in prima classe tulisse. Hos a L. Natta Murenae privigno ad prandium invitatos obiecerant adversarii. FERR.

iudicarem, qui remoti a studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitae sequuti sunt: tum vero in his L. Murenae tantis, tamque improvisis periculis ita sum animo affectus, ut non queam satis neque communem omnium nostrum conditionem, neque huius eventum fortunamque miserari: qui primum, dum ex honoribus continuis familiae maiorumque suorum unum adscendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne et ea, quae relicta, et haec, quae ab ipso parta sunt, amittat; deinde, propter studium novae laudis, etiam in veteris fortunae discrimen adducitur. Quae quum sint gravia, iudices, tum illud acerbissimum est, quod habet eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderunt. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non iniuria L. Murenae, sed honoris contentione permotum: accusat paternus amicus, Cn. Postumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius; qui necessitudinis causas complures protulit, simultatis nullam commemorare potuit; accusat Ser. Sulpicius, sodalis filii, cuius ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant; accusat M. Cato, qui quamquam a Murena nulla re unquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut eius opes

Gradum dignitatis) Nimirum pater, avus, aliique maiores Murenae praetores quidem fuerant, *consulatum* autem adepti non erant. Hic igitur unum adscendere gradum dignitatis conatus est, ad quem illi non pervenerant.

Etiam in veteris fortunae discrimen adducitur) Primum est ei timendum, ne dignitatem, et quam habet relictam a patre, avo, maioribusque suis, et quam ipse adeptus est, amittat: deinde, ne, dum studet novae laudi, veteris etiam fortunae iacturam faciat. Dividit Cicero Murenae statum in dignitatem, et fortunam MAN.

Descenderunt) Sic Ern. ex ed. Waldorf. Vulgo *descenderent*.

Sodalis filii) Filii scilicet L. Murenae. FERR.

et ingenium praesidio multis etiam alienissimis, exitio vix cuiquam inimico esse deberent. Respondebo igitur Postumio primum, qui nescio quo pacto mihi videtur praetorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. Cuius competitores si nihil deliquerunt, dignitati eorum concessit, quum petere destitit. Sin autem eorum aliquis largitus est, expetendus amicus est, qui alienam potius iniuriam, quam suam persequatur.

Ea omnia, quae et Postumio, et Ser. Sulpicio, adolescenti, responsa sunt, desiderantur.

XXVIII. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis: qui tamen ita gravis est accusator et vehemens, ut multo magis eius auctoritatem, quam criminationem pertimescam. In quo ego accusatore, iudices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murenae dignitas illius, ne quid exspectatio tribunatus, ne quid totius vitae splendor et gravitas noceat: denique ne ea soli huic obsint bona M. Catonis, quae ille adeptus est, ut multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores huius imperii, Carthaginem, Numan-

Exitio — esse deberent) Sic transponenda verba iudicavit Gruterus. Vulg. sic procedebant: *vix cuiquam inimico exitio esse deberent.*

Praetorius candidatus) Praetorius candidatus Postumius praeturam petere destiterat, ut candidatum consularem accusaret Murenam. Quod mirari iure licuit. Cur enim suos potius competitores non accusaret? an exspectabat, ut amicus aliquis alienam persequeretur iniuriam? Nimirum, ait Cicero, eiusmodi hoc est, ut desultorius in quadrigarum curriculum incurrat. Quid enim desultorio cum quadrigis? Desultorii dicebantur, qui ex uno equo in alterum, non intermisso cursu, celerrime desiliebant, Varro lib. 2 de re rust. cap. 7: *Aliter quadrigarius, ac desultor.* Livius lib. XXIII: *Desultorum in modum binos trahentibus equos, inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare moris erat.* MANUT.

Firmamentum) cod. unus ap. Lamb. *fundamentum.*

Posset) *Possit* codd. Lamb.

tiamque, deleverat, quum accusavit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi romani, quod illius opera tenebatur. Saepe hoc maiores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottae profuisse. Noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quemquam cadere in iudicio, ut nimiis adversarii viribus abiectus videretur. Quid? Ser. Galbam (nam traditum memoriae est) nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem, populus romanus eripuit? Semper in hac civitate nimis magnis accusatorum opibus et populus universus, et sapientes ac multum in posterum prospicientes iudices restiterunt. Nolo accusator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. Valeant haec omnia ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum: in periculo vero, et in pernicie civium, repudientur. Nam si quis hoc forte dicet, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa iudicasset: iniquam legem, iudices, et miseram conditionem instituet periculis hominum, si existimabit, iudicium accusatoris in reum pro aliquo praeiudicio valere oportere.

XXIX. Ego tuum consilium, Cato, propter singulare animi mei de tua virtute iudicium, vituperare non audeo; nonnulla in re forsitan conformare et leviter emendare possim. *Non multa peccas*, inquit ille fortissimo viro senior magister; *sed si peccas, te regere*

Quanta in ipso) *Ipso* in aliquot Mss. abest delevitque Graevius.

Senior magister) Videtur designari Achilles eiusque magister Phoenix. Versus ex Ennii vel ex Attii Achille depromptus esse videtur.

Peccas) Quintil. VIII. 6. *et si* peccas.

possum. At ego te verissime dixerim, peccare nihil, neque ulla in re te esse huiusmodi, ut corrigendus potius, quam leviter inflectendus esse videare. Finxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum. Accessit his doctrina non moderata, nec mitis, sed, ut mihi videtur, paulo asperior, et durior, quam veritas aut natura patiatur. Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agrestium: audacius paulo de studiis humanitatis, quae et mihi et vobis nota et iucunda sunt, disputabo.

XXX. In M. Catone, iudices, haec bona, quae videmus, divina et egregia, ipsius scitote esse propria. Quae nonnunquam requirimus, ea sunt omnia non a natura, sed a magistro. Fuit enim quidam summo ingenio vir, Zeno, cuius inventorum aemuli Stoici nominantur. Huius sententiae sunt et praecepta eiusmodi: sapientem gratia nunquam moveri; nunquam cuiusquam delicto ignoscere; neminem misericordem esse, nisi stultum et levem; viri non esse, neque exorari, neque placari; solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites; si servitutem serviant, reges: nos autem, qui sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt: omnia peccata esse paria; omne delictum, scelus esse nefarium; nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam

Te regere possum) Metri causa scribendum esse videtur *regere te*, ut *possum* sequentis versiculi faciat initium.

Leviter) *Leniter* edd. Manut.

Accessit his) Vulgo additur *tot*, quod ferri non potest. Ms. Guelf. habet accessit *istuc*.

Cuius inventorum emuli) Hoc est, sectatores. Gronovius ad illud Livii in lib. I, cap. 18. GRAEV.

eum, qui patrem suffocaverit; sapientem nihil opinari, nullius rei poenitere, nulla in re falli, sententiam mutare nunquam. Haec homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus, arripuit: neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Petunt aliquid publicani? « Cave quidquam habeat momenti gratia ». Supplices aliqui veniunt, miseri et calamitosi? « Sceleratus et nefarius fueris, si quidquam, misericordia adductus, feceris ». Fatetur aliquis se peccasse, et eius delicti veniam petit? « Nefarium est facinus, ignoscere ». At leve delictum est. « Omnia peccata sunt paria ». Dixisti quippiam; « fixum et statutum est ». Non re ductus es, sed opinione. « Sapiens nihil opinatur ». Errasti aliqua in re. Male dici putat. Hac ex disciplina nobis illa sunt: « Dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum ». Iratus dixisti. — « Nunquam, inquit, sapiens irascitur ». At temporis causa. « Improbi, inquit, hominis est, mendacio fallere; mutare sententiam, turpe est; exorari, scelus; misereri, flagitium ».

XXXI. Nostri autem isti (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia, diffisum ingenio meo, quaesisse adiumenta doctrinae), nostri, inquam, illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati,

Petunt aliquid publicani) Vt de minuenda vectigalium mercede. Quibus restitit unus, et pervicit Cato. Vide ad Attic. lib. I. Man.

Dixisti quippiam) *Dixisti*; *—quippe* Lambin. auctoritate cod. Ms.

Dixi in senatu me nomen consularis candidati delaturum) Valet hoc maxime ad causam Murenae sublevandam. A Catone accusatur, non quod contra leges fecerit aliquid, sed quoniam in senatu semel dixit Cato, se nomen consularis candidati delaturum. Alter quispiam, qui Stoicus non esset, fateretur, id se dixisse iratum, et dictum ac mentem mutaret. Hoc fateri non vult Cato, ne quid fecisse videatur indignum sapientia gravitate atque constantia. Idcirco itaque reus est Murena, quoniam Stoici docent irasci non esse sapientis, et se Cato putat sapientem esse. Oliv.

aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam; viri boni esse misereri; distincta genera esse delictorum, et dispares poenas; esse apud hominem constantem ignoscendi locum; ipsum sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat; irasci nonnunquam; exorari eundem et placari; quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare; de sententia decedere aliquando; omnes virtutes mediocritate quadam esse moderatas. Hos ad magistros si qua te fortuna, Cato, cum ista natura detulisset; non tu quidem vir melior esses, nec fortior, nec temperantior, nec iustior (neque enim esse potes), sed paulo ad lenitatem propensior. Non accusares nullis adductus inimicitiis, nulla lacessitus iniuria, pudentissimum hominem, summa dignitate atque honestate praeditum; putares, quum in eiusdem anni custodia te atque L. Murenam fortuna posuisset, aliquo te cum hoc reipublicae vinculo esse coniunctum; quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut seposuisses, aut mitiorem in partem interpretarere. Ac te ipsum (quantum ego opinione auguror) nunc et animi quodam impetu concitatum, et vi naturae atque ingenii elatum, et recentibus praeceptorum studiis flagrantem, iam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. Etenim isti ipsi mihi videntur vestri praeceptores et virtutis magistri fines officiorum paulo longius,

Quum in eiusdem anni custodia) Nempe quod anno proximo Cato tribunus plebis, Murena consul futurus erat. FERR.

Aut seposuisses, aut mitiorem) Lamb. e coniectura Hotomani edidit *aut si potuisses mitiorem*.

Fines officiorum) Id est extremum et ultimum, quod est τέλος. Haec etiam Cicero et alibi *finium* verbo indicavit. Praeclara translatio a terminis agrorum aut regionum, quibus illorum spatia et territoria definiuntur Haec nunc protulisse longius quam natura rerum pateretur, Stoicos ait, id est, in ultimo et extremo quodam bono constituendo excessisse modum conditionis et usos vitae humanae, non quod perveuiri ad tantam profectionem posse crederent, sed ut annitentes procederent longius. CAM.

quam natura vellet, protulisse: ut quum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen, ubi oporteret, consisteremus. « Nihil ignoveris ». Immo aliquid, non omnia. « Nihil gratiae causa feceris ». Immo resistito gratiae, quum officium et fides postulabit. « Misericordia commotus ne sis ». Sed tamen est etiam in dissolvenda severitate laus aliqua humanitatis. In sententia permaneto. Vero; nisi sententiam alia vicerit melior. Huiuscemodi Scipio ille fuit, quem non poenitebat facere idem, quod tu; habere eruditissimum hominem, et paene divinum domi: cuius oratione et praeceptis, quamquam erant eadem ista, quae te delectant, tamen asperior non est factus, sed (ut accepi a senibus) lenissimus. Quis vero C. Laelio comior? quis iucundior, eodem ex studio isto? quis illo gravior? sapientior? Possum de L. Philo, de C. Gallo dicere haec eadem: sed te domum iam deducam tuam. Quemquamne existimas Catone, proavo tuo, commodiorem, communiorem, moderatiorem fuisse, ad omnem rationem humanitatis? de cuius praestanti virtute quum vere graviterque diceres, domesticum te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi: sed tamen naturae

Oporteret) *Oportet* Grot. Graev.

In dissolvenda — humanitatis) Vulgo: *etiam; in diss. sev.: sed tamen est laus al. h.* Fortasse legendum: *in dissolvenda severitate tamen est laus aliqua humanitatis*, ut ad Q. Fr. I, ep. 1, est *severitatem acerbam multis condimentis humanitatis mitigare.* Sic *dissolvenda* positum sit pro *lenienda, mitiganda.* — Lectionem ab Hotomanno propositam recepi, quum sensum vulgatae non assequerer. Typ.

Nisi sententiam alia vicerit melior) *Nisi sententiam sententia alia* codd. Franc. ed. Ven. sec. Graev. al.

Scipio) Africanus minor.

Hominem) Panaetium.

L. Philo) Vulg. *L. Philippo*; qui quum non laudetur ob doctrinam et sapientiam, Manutius iam emendandum censuit *L. Philo*, quod recte Beckius reposuit. Intelligitur *L. Furius Philus.* cf. Agrar. II, 24, de Orat. II, 37.

C. Gallo) C. Sulpicio Gallo.

Communiorem) Sic e codd. Pal. 2, 3, 8, MS. Vict. Franc. aliis recte

similitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque nostrum pervenire potuit: ad imitandum vero tam mihi propositum exemplar illud est, quam tibi. Sed, si illius comitatem et facilitatem tuae gravitati severitatique adsperseris, non ista quidem erunt meliora, quae nunc sunt optima, sed certe condita iucundius.

XXXII. Quare, ut ad id, quod institui, revertar, tolle mihi e causa nomen Catonis: remove ac praetermitte auctoritatem, quae in iudiciis aut nihil valere, aut ad salutem debet valere; congredere mecum criminibus ipsis. Quid accusas, Cato? quid affers in iudicium? quid arguis? Ambitum accusas? non defendo. Me reprehendis, quod idem defendam, quod lege punierim. Punivi ambitum, non innocentiam. Ambitum vero ipsum vel tecum accusabo, si voles. Dixisti, senatusconsultum, me referente, esse factum, « si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributim, et item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri. » Ergo ita senatus iudicat, contra legem facta haec videri, si facta sint; decernit, quod nihil opus est, dum candidatis morem gerit. Nam factum sit, necne, vehementer quaeritur. Si factum sit, quin contra legem sit, dubitare nemo potest. Est igitur ridiculum, quod est dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium potest esse, id iudicare. Atque id decernitur omnibus po-

rescripserunt Graev. Beck. Vulgo *comiorem*.

Si mercede corrupti) *Conducti* aliquot codd. Oxx. ed. Ven. Herv. Lamb.

Si gladiatoribus vulgo locus tributim) Sententia huius loci est, si in spectaculis gladiatoriis per singulas tribus data loca gratuita spectandi. Nam licuisse loca nonnulla quibusdam dare et quidem tribulibus, seu suae tribus hominibus, gratis, patet ex iis, quae mox de hoc capite disputabit Tullius, sed non licebat loca dare gratuito. GRAEV.

stulantibus candidatis: ut ex senatusconsulto, neque cuius intersit, neque contra quem sit, intelligi possit. Quare doce, a L. Murena illa esse commissa, tum egomet tibi, contra legem commissa esse, concedam.

XXXIII. « Multi obviam prodierunt de provincia decedenti, consulatum petenti. » Solet fieri. Eccui autem non proditur revertenti? « Quae fuit ista multitudo? » Primum, si tibi istam rationem non possim reddere, quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato consulari, obviam prodisse multos? quod nisi esset factum, magis mirandum videretur. Quid, si etiam illud addam, quod a consuétudine non abhorret, rogatos esse multos? Num aut criminosum sit, aut mirandum, qua in civitate rogati, infimorum hominum filios, prope de nocte, ex ultima saepe urbe, deductum venire soleamus, in ea non esse gravatos homines prodire hora tertia in campum Martium, praesertim talis viri nomine rogatos? Quid, si omnes societates venerunt, quarum ex numero multi hic sedent iudices? quid, si multi homines nostri ordinis honestissimi? quid, si illa officiosissima, quae neminem patitur non honeste in urbem introire, tota natio candidatorum? si denique ipse accusator noster Postumius obviam cum bene magna caterva sua venit: quid habet ista multitudo admirationis? Omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat: hoc dico, frequentiam in isto officio gratuitam, non modo dignitati ullius unquam, sed ne voluntati quidem defuisse.

Quae fuit ista multitudo) Forlasse scriptum erat: *At quae fuit ista multitudo?*

Omnes societates) Non sunt omnes ordines, ut multi putant, sed omnes societates publicanorum. Graev.

Tota natio candidatorum) Id est, omnium magistratuum candidati. Id.

XXXIV. « At sectabantur multi ». Doce, mercede: concedam esse crimen. Hoc quidem remoto, quid reprehendis? « Quid opus est, inquit, sectatoribus? » A me tu id quaeris, quid opus sit eo, quo semper usi sumus? Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam atque assectationem. Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies, a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur et coli. Tenuiorum et non occupatorum amicorum est ista assiduitas; quorum copia bonis et beneficis deesse non solet. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii, Cato: sine eos, qui omnia a nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. Si nihil erit, praeter ipsorum suffragium, tenue est: si, ut suffragentur alii, nihil valent gratia.

Referendi) Sic Lamb. Ern. e coniectura P. Manutii. Vulg. *proferendi*. Quod Grut. defendit. Graevius recte negat *proferre beneficium* dici pro *conferre*.

Si uno basilicae spatio honestamur) I. e. si illi sectatores hunc honorem habeant ut nos unum spatium per basilicam aliquam conficientes, comitentur.

Si, ut suffragentur alii) Vulgo olim: *si ut suffragantur, nihil valent gratia*. Ern. post Ald. Nep. 1580 et Lamb. e MS. Gu. dedit *si ut suffragentur n. v. g.* Ego vero hoc servato addidi *alii*. Nam *ipsorum suffragium* opponitur *aliorum suffragiis*, quae isti possent conciliare. Hoc autem Cicero negat, quia gratia non valeant. — Ferratius autem contra Manutium vulgatam defendit, et haec subdit: « Lex Manilia iam vel abrogata, vel repudiata iubebat, confusis omnium centuriarum suffragiis, eos esse consules (idemque puta de ceteris magistratibus) qui plura tulissent. Eadem lex ut restitueretur, Sulpicius petabat, cui si senatus assensus fuisset, primo nullius centuriae beneficium apparuisset; hinc tollebatur gratia: deinde omnes simul omnium classium centuriae suffragium tulissent; hinc dignitatem, et ius suorum suffragiorum, primae et secundae classis centuriae amittebant, a quibus plerumque absolvebantur comitia.

Ipsi denique, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt; atque haec a nobis petunt omnia; neque ulla re alia, quae a nobis consequuntur, nisi opera sua, compensari putant posse. Itaque et legi Fabiae, quae est de numero sectatorum, et senatusconsulto, quod est L. Caesare consule factum, restiterunt. Nulla est enim poena, quae possit observantiam tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere. « At spectacula sunt tributim data, et ad prandium vulgo vocati. » Etsi hoc factum a Murena omnino, iudices, non est; ab eius amicis autem more et modo factum est: tamen admonitus re ipsa, recordor, quantum hae quaestiones, in senatu habitae, punctorum nobis, Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit aut nostra aut patrum nostrorum memoria, quo haec, sive ambitio est, sive liberalitas, non fuerit, ut locus et in circo et in foro daretur amicis et tribulibus? haec homines tenuiores primum, nondum qui a suis tribulibus vetere instituto assequebantur ....

Deest nonnihil.

XXXV. ...... praefectum fabrum semel locum tribulibus suis dedisse: quid statuetur in viros prima-

Habes igitur, duas tantum classes, ut plurimum, gratia valuisse in ferendis suffragiis, hoc est, in suffragando, quod fere ob iis absolverentur comitia centuriata, de quibus loquimur, antequam reliquae classes intro vocarentur; proindeque tertia, quarta, et quinta, in suffragando, nulla gratia valebant. Hi erant tenuiores, de quibus ut pateat vere esse dictum: *Si nihil erit praeter ipsorum suffragium, tenue est:* additur ratio: *Si* (pro *quoniam*) *ut suffragantur* (pro ut suffragium ferant) *nulla valent gratia*».

Tributim) Non omnibus tribubus, sed Murenae tribulibus. MAN.

Punctorum) Suffragiorum, quorum numerus post comitia punctis excipiebatur. ID.

In circo) Circensibus ludis in circo, gladiatoribus in foro. ID.

Haec homines tenuiores — sequebantur) Haec corrupta sunt nec sine novis libris corrigi possunt. ERN.

rios, qui in circo totas tabernas, tribulium causa, compararunt? Haec omnia sectatorum, spectaculorum, prandiorum item crimina, a multitudine in tuam nimiam diligentiam, Servi, coniecta sunt: in quibus tamen Murena ab senatus auctoritate defenditur. Quid enim? Senatus num *obviam prodire* crimen putat? non; sed *mercede*. Convince. Num sectari multos? non; sed *conductos*. Doce. Num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime; sed *vulgo*, *passim*. Quid est *vulgo*? universos. Non igitur, si L. Natta, summo loco adolescens, qui, et quo animo iam sit, et qualis vir futurus sit, videmus, in equitum centuriis voluit esse et ad hoc officium necessitudinis, et ad reliquum tempus, gratiosus, id erit eius vitrico fraudi, aut crimini: nec si virgo Vestalis, huius propinqua et necessaria, locum suum gladiatoribus concessit huic, non et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus. Omnia haec sunt officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum.

XXXVI. At enim agit mecum austere et stoice Cato. Negat verum esse, allici benivolentiam cibo: negat, iudicium hominum in magistratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad coenam, petitionis causa, si quis vocat, condemnetur. Quippe, inquit, tu mihi summum imperium, tu summam auctoritatem, tu gubernacula reipublicae petas fovendis hominum sensibus, et deliniendis animis, et adhi-

In tuam nimiam diligentiam, Servi, coniecta sunt) Non in Murenae culpam. Videt populus, nimium te diligentem in his criminibus fuisse; Murenam tamen expertem culpae putat. MAN.

Gladiatoribus) Recte sic Lamb. e MSS., i. e. in ludis gladiatoriis, pro vulg. *gladiatorium*. Imitati sunt Ern. Beck.

Verum esse) Pro, aequum esse. Quo sensu Cicero saepe accipit, ut iam saepe diximus. HOT.

bendis voluptatibus? Vtrum lenocinium, inquit, a grege delicatae iuventutis, an orbis terrarum imperium a populo romano petebas? Horribilis oratio: sed etiam usus, vita, mores, civitas ipsa respuit. Neque tamen Lacedaemonii, auctores istius vitae atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt; neque vero Cretes, quorum nemo gustavit unquam cubans, melius, quam romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt, respublicas suas retinuerunt: quorum alteri, uno adventu nostri exercitus, deleti sunt; alteri nostri imperii praesidio disciplinam suam legesque conservant. Quare noli, Cato, maiorum instituta, quae res ipsa, quae diuturnitas imperii comprobat, nimium severa oratione reprehendere. Fuit eodem ex studio vir eruditus, apud patres nostros, et honestus homo et nobilis, Q. Tubero. Is, quum epulum Q. Maximus, Africani patrui sui nomine, populo romano daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret, quum esset Tubero eiusdem Africani sororis filius. Atque ille homo eruditissimus, ac Stoicus, stravit pelliculis hoedinis lectulos Punicanos, et exposuit vasa Samia: quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus, et non divini hominis Africani mors honestaretur; quem quum supremo eius die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum

In robore) In dura quapiam materia, ac ligno. VICT. *Var. L.* III, 15.

Quorum alteri) Cretenses, quos debellavit Q. Metellus, hinc dictus Creticus. *Anon.*

Alteri) Lacedaemonii.

Quae res ipsa) Olim addebatur *publica* quod abest a compluribus MSS. et cod. antiqq. delevit Ern.

Vt triclinium) Lectos sterneret; in triclinio enim lecti sternebantur. Tribus autem in rebus Tubero peccavit: quod hoedinis pellibus usus est pro veste pretiosa: quod Punicanis, hoc est, ligneis lectis, pro eburneis et argenteis; quod vasis Samiis, hoc est, fictilibus, pro Deliacis, aut Corinthiis. FERR.

natus esset: necesse enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset. Huius in morte celebranda graviter tulit populus romanus hanc perversam sapientiam Tuberonis. Itaque homo integerrimus, civis optimus, quum esset L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi sororis filius, his haedinis pelliculis praetura deiectus est. Odit populus romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit; non amat profusas epulas; sordes et inhumanitatem multo minus. Distinguit rationem officiorum ac temporum; vicissitudinem laboris ac voluptatis. Nam quod ais nulla re allici hominum mentes oportere ad magistratum mandandum, nisi dignitate: hoc tu ipse, in quo summa est dignitas, non servas. Cur enim quemquam, ut studeat tibi, ut te adiuvet, rogas? Rogas tu me, ut mihi praesis, ut committam ego me tibi. Quid tandem? istuc me rogari oportet abs te, an te potius a me, ut pro mea salute laborem periculumque suscipias? Quid? quod habes nomenclatorem, in eo quidem fallis et decipis: nam, si nomine appellari abs te cives tuos, honestum est; turpe est eos notiores esse servo tuo quam tibi. Sin, etiam si noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur ante petis, quam insusurravit? aut quid, quum admoneris. tamen, quasi tute noris, ita salutas? quid, postea quam es designatus, multo salutas negligentius? Haec omnia ad rationem civitatis si dirigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinae praecepta velis, reperiantur pravissima. Quare nec

Etiam si noris) Recte sic legendum esse vidit Lambinus. Vulgo *etiam noris*. Camerarius malebat *sin etiam et non noris, tamen*. Aptior tamen est Lambini ratio ab Ern. et Beckio probata.

Cur ante petis, quam insusurravit) Cur ad homines accedis, et studium, favorem, gratiam petis, antequam servus monitor eorum tibi nomina insusurraverit? De servo monitore Horat. lib. I, Epist. VI, 50, et lib. II, Od. XVIII, 11: *Pauperem dives me petit*. OL.

plebi romanae eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum quae omnia maiores nostri comparaverunt: nec candidatis ista benignitas adimenda est, quae liberalitatem magis significat quam largitionem.

XXXVII. At enim te ad accusandum respublica adduxit. Credo, Cato, te isto animo, atque ea opinione venisse. Sed tu imprudentia laberis. Ego quod facio, iudices, quum amicitiae dignitatisque L. Murenae gratia facio, tum me pacis, otii, concordiae, libertatis, salutis, vitae denique omnium nostrum causa facere clamo atque testor. Audite, audite, consulem, iudices, nihil dicam arrogantius, tantum dicam, totos dies atque noctes de republica cogitantem. Non usque eo L. Catilina rempublicam despexit atque contempsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur. Latius patet illius sceleris contagio, quam quisquam putat; ad plures pertinet. Intus, intus, inquam, est equus Troianus: a quo nunquam, me consule, dormientes opprimemini. Quaeris a me, quid ego Catilinam metuam. Nihil; et curavi, ne quis metueret; sed copias illius, quas hic video, dico esse metuendas: nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinae, quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicuntur. Non enim deseruerunt; sed ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite atque in cervicibus nostris restiterunt. Hi et integrum consulem, et bonum imperatorem, et natura et fortuna cum reipublicae salute coniunctum, deiici de urbis praesidio, et de custodia civitatis, vestris sententiis, deturbari volunt. Quorum ego ferrum et audaciam reieci in campo, debilitavi

Non usque) Male in quibusdam edd. et codd. Franc. sex Oxx. omissum *non*.

in foro, compressi etiam domi meae saepe, iudices; his vos si alterum consulem tradideritis, plus multo erunt vestris sententiis, quam suis gladiis consequuti. Magni interest, iudices, id quod ego multis repugnantibus egi atque perfeci, esse Kalendis Ian. in republica duo consules. Nolite arbitrari, mediocribus consiliis, aut usitatis viis, aut * * (1) Non lex improba, non perniciosa largitio, non auditum aliquando aliquod malum reipublicae quaeritur. Inita sunt in hac civitate consilia, iudices, urbis delendae, civium trucidandorum, nominis romani exstinguendi. Atque haec cives, cives, inquam, (si eos hoc nomine appellari fas est) de patria sua et cogitant et cogitaverunt. Horum ego quotidie consiliis occurro, audaciam debilito, sceleri resisto. Sed vos moneo, iudices: in exitu est iam meus consulatus; nolite mihi subtrahere vicarium meae diligentiae; nolite adimere eum, cui rempublicam cupio tradere incolumem, ab his tantis periculis defendendam.

XXXVIII. Atque ad haec mala, iudices, quid accedat aliud, non videtis? Te, te appello, Cato: nonne prospicis tempestatem anni tui? iam enim hesterna concione intonuit vox perniciosa designati tribuni;

Compressi) In campo Martio reiecit impetus coniuratorum, quando in comitiis lorica tectus venit, et omnes se consuli adiunxerunt: debilitavit in foro, quum tam vehementer concionatus est apud populum in Catilinam: compressit domi, quum duo equites missi a Catilina sunt, quasi eum salutaturi, sed ut eum revera interficerent. *Anon.*

Nolite arbitrari) Hi homines, inquit, nihil mediocre agitant animo; vias non ineunt concitandae multitudinis tritas aliis hactenus factiosis, promulgationem legis improbae, aut perniciosam largitionem, sed atrocibus consiliis, viis adhuc inusitatis, malum quaerunt reipublicae, quale nullum aliquando est auditum. Quae statim exponuntur clarius: *Inita sunt in hac civitate consilia*, etc. OL.

(1) Certum est hic aliquot verba intercidisse; sententia facile patet: *nolite arbitrari Catilinam eiusque socios mediocribus consiliis aut usitatis viis in rempublicam grassari.*

Designati tribuni) Intelligitur Q. Metellus Nepos. Voc. *designati* Lam-

collegae tui: contra quem multum tua mens, multum omnes boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem vocaverunt. Omnia, quae per hoc triennium agitata sunt, iam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse, in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. Qui locus est, iudices, quod tempus, qui dies, quae nox, quum ego non ex istorum insidiis ac mucronibus, non solum meo, sed multo etiam magis divino consilio eripiar atque evolem? Neque isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipublicae praesidio demovere volunt; nec minus vellent, Cato, te quoque aliqua ratione, si possent, tollere; id quod, mihi crede, et agunt et moliuntur. Vident, quantum in te sit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reipublicae praesidii: sed quum consulari auctoritate et auxilio spoliatam vim tribuniciam viderint, tum se facilius inermem et debilitatum te oppressuros arbitrantur. Nam ne sufficiatur consul, non timent. Vident, in tuorum potestate collegarum fore: sperant sibi Silanum, clarum virum, sine collega, te sine consule, rempublicam sine praesidio obiici posse. His tantis in rebus, tantisque in periculis, est tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, sed patriae natus es, videre quid agatur, retinere adiutorem, defensorem, socium in republica, consulem non cupidum, consulem (quod maxime tempus hoc postulat) fortuna constitutum ad amplexandum otium; scientia, ad bellum gerendum; animo et usu, ad quod velis negotium.

bin. et Ern. delendum putarunt. Ceterum tribunos novos iam magistratum iniisse quum haec oratio haberetur non est probabile. Adibant enim magistratum ad IV Id. Dec. Haec autem oratio certe habita est ante Nonas illas Decembres quibus coniurati damnati sunt.

XXXIX. Quamquam huiusce rei potestas omnis in vobis sita est, iudices: totam rempublicam vos in hac causa tenetis, vos gubernatis. Si L. Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset iudicare, condemnaret L. Murenam; si interficere posset, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio respublica, ut minuatur contra suum furorem imperatorum copia; ut maior facultas tribunis plebis detur, depulso adversario, seditionis ac discordiae concitandae. Idemne igitur delecti amplissimis ex ordinibus honestissimi atque sapientissimi viri iudicabunt, quod ille importunissimus gladiator, hostis reipublicae iudicaret? Mihi credite, iudices, in hac causa non solum de L. Murenae, verum etiam de vestra salute sententiam feretis. In discrimen extremum venimus: nihil est iam, unde nos reficiamus, aut ubi lapsi resistamus. Non solum minuenda non sunt auxilia, quae habemus, sed etiam nova, si fieri possit, comparanda. Hostis est enim non apud Anienem, quod bello Punico gravissimum visum est, sed in urbe, in foro (dii immortales! sine gemitu hoc dici non potest); non nemo etiam in illo sacrario reipublicae, in ipsa, inquam, curia non nemo hostis est. Dii faxint, ut meus collega, vir fortissimus, hoc Catilinae nefarium latrocinium armatus opprimat! Ego togatus, vobis bonisque omnibus adiutoribus, hoc, quod conceptum respublica periculum parturit, consilio discutiam et comprimam! Sed quid tandem fiet, si haec elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint? Vnus erit consul, et is non in administrando bello, sed in sufficiendo collega occupatus.

Visum est) Quo tempore Hannibal castra locavit ad illum fluvium *MMM* passuum ab urbe.

Hunc iam qui impedituri sint, ** illa pestis immanis, importuna [Catilinae] prorumpet, qua poterit; et iam populo romano minatur; in agros suburbanos repente advolabit; versabitur in castris furor, in curia timor, in foro coniuratio, in campo exercitus, in agris vastitas; omni autem in sede ac loco ferrum flammamque metuemus. Quae iamdiu comparantur, eadem ista omnia, si ornata suis praesidiis erit respublica, facile et magistratuum consiliis et privatorum diligentia comprimentur.

XL. Quae quum ita sint, iudices; primum reipublicae causa, qua nulla res cuiquam potior debet esse, vos, pro mea summa et vobis cognita in rempublicam diligentia, moneo, pro auctoritate consulari hortor, pro magnitudine periculi obtestor, ut otio, ut paci, ut saluti, ut vitae vestrae et ceterorum civium consulatis: deinde ego fidem vestram, defensoris et amici officio adductus, oro atque obsecro, iudices, ut ne hominis miseri, et tum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenae, recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. Modo, maximo beneficio populi romani ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum, consulatum attulisset; nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrymis ac moerore perditus, vester est supplex, iudices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes intuetur. Nolite, per deos immortales! iudices, hac eum re, qua se hone-

Catilinae) Hoc e margine in textum venisse Lambinus et Beckius probabiliter coniecerunt.

Comprimentur) Hoc, quod iam Lambinus verum esse coniecerat, auctoritate cod. Palat. 1, Beckius reposuit pro vulg. *opprimentur*.

Deinde ego fidem vestram) Delevi *vel*, quod vulgo est ante *defensoris*, iam ab Ernestio improbatum, a Beckio uncis inclusum.

Hac eum re) Legendum vel *una cum hac eum re*, vel saltem *cum hac eum re*.

stiorem fore putavit, etiam ceteris ante partis honestatibus atque omni dignitate fortunaque privare. Atque ita vos Murena, iudices, orat atque obsecrat: si iniuste neminem laesit; si nullius aures voluntatemve violavit; si nemini, ut levissime dicam, odio, nec domi, nec militiae, fuit: sit apud vos modestiae locus; sit demissis hominibus perfugium; sit auxilium pudori. Misericordiam spoliatio consulatus magnam habere debet, iudices. Vna enim eripiuntur cum consulatu omnia. Invidiam vero his temporibus habere consulatus ipse nullam potest. Obiicitur enim concionibus seditiosorum, insidiis coniuratorum, telis Catilinae: ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam solus opponitur. Quare quid invidendum Murenae, aut cuiquam nostrum sit in hoc praeclaro consulatu, non video, iudices. Quae vero miseranda sunt, ea et mihi ante oculos versantur, et vos videre et perspicere potestis.

XLI. Si (quod Iupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis, quo se miser vertet? domumne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia lugentemque videat? an ad matrem, quae misera modo consulem osculata filium suum, nunc cruciatur et sollicita est, ne eundem paulo post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem nova poena legis et domo et parente et omnium suorum consuetudine conspectuque privat? Ibit igitur in exsilium miser? quo? ad Orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, et exercitus duxit,

Quo se miser vertet) Conferas licet cum iis quae de Graccho habentur lib. I de Orat. cap. 26.

Laureatam) Triumphaverat enim pater Murenae de Mithridate. FERR.

Poena legis) Exsilium scil. decem annorum lege Tullia de ambitu damnatis impositum.

et res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore decesseris, eodem cum ignominia reverti. An se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia transalpina, quem nuper summo cum imperio libentissime viderit, eundem lugentem, moerentem, exsulem videat? In ea porro provincia, quo animo C. Murenam, fratrem suum, adspiciet? qui huius dolor? qui illius moeror erit? quae utriusque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunae atque sermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum esse consulem Murenam nuntii literaeque celebrassent, et unde hospites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat ipse nuntius suae calamitatis? Quae si acerba, si misera, si luctuosa sunt, si alienissima a mansuetudine et misericordia vestra, iudices: conservate populi romani beneficium; reddite reipublicae consulem; date hoc ipsius pudori, date patri mortuo, date generi et familiae, date etiam Lanuvio, municipio honestissimo, quod in hac tota causa frequens moestumque vidistis. Nolite a sacris patriis Iunonis Sospitae, cui omnes consules facere necesse est, domesticum et suum consulem potissimum avellere. Quem ego vobis, si quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, consul consulem, iudices, ita commendo, ut cupidissimum otii, studiosissimum bonorum, acerrimum contra seditionem, fortissimum in bello, inimicissimum huic coniurationi, quae nunc rempublicam labefactat, futurum esse promittam et spondeam.

Accedat) Codd. aliquot *excidet*. Gulielm. coni. *exsistet*. Lamb. malebat *accedat*.

A sacris patriis Iunonis Sospitae) Quae Lanuvii colebatur, ideoque eius sacra dicuntur Murenae, qui Lanuvinus erat, patria. Habebat tamen etiam Romae templum, eique quotannis a consulibus solemne sacrificium fiebat.

Facere) Sacra facere. FERR.

ORATIO

PRO

L. FLACCO

ORATIO

PRO

L. FLACCO

SVMMARIVM

L. Valerius Flaccus praetor fuit A. V. 690, M. T. Cicerone C. Antonio coss. Antea fuerat P. Servilio Isaurico in Cilicia tribunus militum. Deinde M. Pupio Pisoni Hispaniam pro praetore regenti quaestor. Postea bello Cretico legatus interfuit imperatore Q. Metello Cretico. In praetura iurisdictionis laude floruit, idemque in coniuratione Catilinaria bene de republica meritus est, eiusque opera Cicero se usum esse demonstrat in deprehendendis Allobrogum legatis. Ex praetura Asiam provinciam sortitus obtinuit P. Orbii successor, eique per annum integrum A. 691 Silano et Murena coss. (non ut Manutius putabat per triennium, aut ut Ferratius per biennium) praefuit. A. 692, quum ex provincia rediisset, nomen eius de repetundis detulit D. Laelius, et quum accusator in inquirendis rebus annum et menses aliquot consumpsisset, accusatus est Caesare et Bibulo coss. A. 694. Inter alios defensus est a Q. Hortensio, et a M. Tullio Cicerone hac oratione. Hortensii oratio commemoratur ep. ad Att. II, 25, his verbis: *At hercule alter tuus familiaris Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret. Sic habeto, nec amantius, nec honorificentius, nec copiosius potuisse dici.*

In exordio orationis Cicero ait se existimasse, si forte aliquis Flacci beneficiorum in rempublicam collatorum obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset, ei tamen multitudinis potius imperitae, quam sapientissimorum virorum iudicium

esse subeundum; et si hoc esset futurum, nunquam tamen existimasse D. Laelium eam accusationem suscepturum esse. Sed quoniam in hoc se opinio fefellerit, eo magis implorandum esse consilium, gravitatem, sapientiam, providentiam iudicum, quod in hoc uno iudicio reipublicae subsidia, status civitatis, memoria temporum praeteritorum, salus praesentium, spes reliquorum posita sit; cap. 1, 2.

Deinde breviter laudata Flacci quaestura, legatione, praetura, cap. 3, accedit ad testium reprehensionem. In quo primum Graecis ingenii, literarum, artium, eloquentiae laudem tribuit, testimoniorum religionem, et fidem denegat; cap. 4. Deinde ostendit accusatorem valde cupidum fuisse in inquirendo, dissipatumque esse rumorem, Cn. Pompeium, L. Flacco inimicum, contendisse a Laelio ut hunc hoc iudicio arcesseret, eique se opes suas ad hoc negotium detulisse. Sic accusatorem adolescentem ingenii plenum Graecos ad testimonia in Flaccum dicenda permovisse, et psephismata multitudinis concitatae expressisse. In quo conciones Graecorum universas, in primis autem testimoniorum in Flaccum prolatorum levitatem exagitat; cap. 5-10. Petit igitur a iudicibus ut causam Flacci acerrime contemplentur; eos enim in testimoniis omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, periurio reperturos; cap. 11. Iam accedit ad singulas querelas criminationesque Graecorum. Primum Flacco obiectum erat, eum classis nomine pecuniam civitatibus imperasse. Id factum Cicero confitetur; docet autem id et licuisse fieri, et opus fuisse, cap. 12, 13, et classem vere navigasse, cap. 14. Sequuntur testimonia et criminationes singularum civitatum, Acmonensium, cap. 15, 16; Dorylensium, cap. 17; Temnitarum, in primis Heraclidis Temnitae, cap. 18-21; Trallianorum, cap. 22-25: quibus omnibus opponit laudes Atheniensium, Lacedaemoniorum, Achaeorum, Boeotorum, Massiliensium Flacco tributas; cap. 26, 27.

Secunda parte tractatur invidia auri Iudaici. Quum enim Iudaeorum nomine aurum ex Italia omnibusque provinciis Romanis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxerat edicto; ne ex Asia exportari liceret, ideoque in invidiam vocabatur, quasi illud aurum avertisset. Cicero autem ostendit laudandum esse Flaccum, quod aurum exportari non siverit, et quum id, quod comprehensum sit, ad aerarium retulerit, nihil esse quod reprehendatur, totum potius crimen in laudem converti; cap. 28.

In tertia orationis parte respondet querelis civium Romano-

rum. Primum Deciani, qui se in iurisdictione a Flacco laesum esse questus erat; cuius turpitudinem in negotiando et crudelitatem perstringit, cap. 29-33; deinde Andronis Sextilii, qui sibi uxoris Valeriae, quae intestata erat mortua, hereditatem ereptam esse dixerat, cap. 34-36; denique Falcidii, cui Flaccus L talenta eripuisse ferebatur; cap. 37.

In peroratione demonstrat certos homines hoc agere, ut ii, qui in Catilinae coniuratione opprimenda elaborarint, evertantur; itaque iudices hortatur, ut in sententia ferenda, quid communis salus, quid reipublicae tempora poscant, cogitent, Flaccumque ab innocentia et virtute laudatum eorum iustitiae et misericordiae commendat; cap. 38-42.

I.

Quum in maximis periculis huius urbis atque imperii, gravissimo atque acerbissimo reipublicae casu, socio atque adiutore consiliorum periculorumque meorum, L. Flacco, caedem a vobis, coniugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam: sperabam, iudices, honoris potius L. Flacci me adiutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem. Quod enim esset praemium dignitatis, quod populus romanus, quum huius maioribus semper detulisset, huic denegaret; quum L. Flaccus veterem Valeriae gentis in liberanda patria laudem, prope quingentesimo anno reipublicae, retulisset? Sed si forte aliquando aut beneficii huius obtrectator,

Honoris) H. e. si consulatum petiturus esset. Praetor enim iam erat. Ergo nihil opus est corrigere *honorum*, quod Faërnus in MSS. aliquot invenit.

Prope quingentesimo anno reipublicae) Anni vere numerantur a Valerio Poplicola, patriae liberatore, ad consulatum Ciceronis, quo praetor Valerius Flaccus patriam a coniuratione Catilinae incolumem servavit, CDLVI (secundum alii CCCCLXVI): sed Ciceroni mos est non subtiliter annos interdum numerare. MANVT.

aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset, existimabam, L. Flacco multitudinis potius imperitae, nullo tamen cum periculo, quam sapientissimorum et lectissimorum virorum iudicium esse subeundum. Etenim, quibus auctoribus et defensoribus omnium tum salus esset non civium solum, verum etiam gentium defensa ac retenta, neminem unquam putavi, per eos ipsos periculum huius fortunis atque insidias creaturum. Quod si esset aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, nunquam tamen existimavi, iudices, D. Laelium, optimi viri filium, optima ipsum spe praeditum summae dignitatis, eam suscepturum accusationem, quae sceleratorum civium potius odio et furori, quam ipsius virtuti atque institutae adolescentiae conveniret. Etenim quum a clarissimis viris iustissimas inimicitias saepe cum bene meritis civibus depositas esse vidissem, non sum arbitratus, quemquam amicum reipublicae, posteaquam L. Flacci amor in patriam perspectus esset, novas huic inimicitias, nulla accepta iniuria, denuntiaturum.

II. Sed quoniam, iudices, multa nos et in nostris rebus et in republica fefellerunt, ferimus ea, quae sunt ferenda. Tantum a vobis petimus, ut omnia reipublicae subsidia, totum statum civitatis, omnem memoriam temporum praeteritorum, salutem praesentium, spem reliquorum, in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc uno iudicio positam esse et defixam putetis. Si unquam respublica consilium, gravitatem, sapientiam, providentiam iudicum imploravit: hoc tempore, hoc, inquam, tempore implorat. Non estis de Lydorum, aut Mysorum, aut Phrygum, qui huc compulsi concitatique venerunt, sed

Atque institutae adolescentiae) Graev. coni. *atque sic institutae adolescentiae.*

de vestra republica iudicaturi, de civitatis statu, de communi salute, de spe bonorum omnium, si qua reliqua est etiam nunc, quae fortium civium mentes cogitationesque sustentet. Omnia alia perfugia bonorum, praesidia innocentium, subsidia reipublicae, consilia, auxilia, iura ceciderunt. Quem enim alium appellem? quem obtester? quem implorem? Senatumne? at is ipse auxilium petit a vobis, et confirmationem auctoritatis suae vestrae potestati permissam esse sentit. An equites romanos? iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cum omnibus senseritis. An populum romanum? at is quidem omnem suam de nobis potestatem tradidit vobis. Quamobrem, nisi hoc loco, nisi apud vos, nisi per vos, iudices, non auctoritatem, quae amissa est, sed salutem nostram, quae spe exigua extremaque pendet, tenuerimus: nihil est praeterea, quo confugere possimus; nisi forte, quae res hoc iudicio tentetur, quid agatur, cui causae fundamenta iaciantur, iudices, non videtis. Damnatus est is, qui Catilinam, signa patriae inferentem, interemit: quid est causae, cur non is, qui Catilinam ex urbe expulit, pertimescat? Repetitur ad poenam, qui indicia communis exitii excepit: cur sibi confidat is, qui ea proferenda et patefacienda curavit? Socii consiliorum, ministri, comitesque

Ceciderunt) Sic Graev. e MSS. duobus Franc. Idem habent codd. Guelf. et edd. vett. Lamb. et Grut. dederunt *occiderunt*.

Confirmationem) Flacco absoluto in gratiam extinctae per ipsum coniurationis, senatus auctoritatem confirmabitis, qui et coniuratos puniri voluit, et praemio dignos censuit, qui tunc temporis Reip. operam navaverant. FERRAT.

De nobis) Hoc Lamb. Ern. Beck. auctoritate cod. Memm. receperunt. Vulgo *de bonis*.

Damnatus est is) Sc. C. Antonius Ciceronis in consulatu collega.

Cur non is) Se ipsum significat.

Expulit) Sic Lamb. e MS. Vulgo *repulit*. Ern. malebat *depulit*.

Excepit) Intelligitur Flaccus in hoc iudicio reus.

vexantur: quid auctores, quid duces, quid principes sibi exspectent? Atque utinam inimici nostri ac bonorum omnium mecum potius contendant! utrum tum omnes boni, duces nostri, an comites fuerint ad communem conservandam salutem .....

* * * *

...... exterium, cum domestica vita naturaque exstarent. Itaque non patiar D. Laeli, te tibi hoc sumere, atque hanc ceteris in posterum, nobis in praesens tempus legem et conditionem constituere. ..... Quum adolescentiam notaris, quum reliquum tempus aetatis turpitudinis maculis consperseris, quum privatarum rerum ruinas, quum domesticas labes, quum urbanam infamiam, quum Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae, quibus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris, tum denique quid Tmolitae et Loreni de L. Flacco existiment audiemus. Quem vero tot tam gravesque provinciae salvum esse cupiant, quem plurimi cives tota ex Italia devincti necessitudinis vetustate defendant, quem haec communis omnium nostrum patria propter recentem summi beneficii memoriam complexa teneat, hunc etiamsi tota Asia deposcit ad supplicium, defendam, resistam. Quid? si neque tota, neque optima, neque incorrupta, neque sua sponte, nec iure, nec more, nec vere, nec religiose, nec integre? si improvisa, si sollicitata, si concitata, si coacta, si impia, si temere, si putide, si inconstanter nomina misit in hoc

Externum) Fragmentum hoc quod sequitur usque ad caput III e codice Ambrosianae Bibliotecae Mediol. nuper eruit laudabili diligentia *Angelus Maius* V. Cl. editumque est cum aliis fragmentis Mediol. 1814. Typ.

Tmolitae) In cod. scriptum est *Molitae*.

iudicium per egentissimos testes, ipsa autem nihil queri vere de iniuriis potest: tamenne, iudices, haec ad breve tempus audita longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogabunt? Tenebo igitur hunc ordinem defensor, quem fugit inimicus, et accusatorem urgebo atque insequar, et ultro crimen ab adversario flagitabo. Quid est, Laeli? numquid ea .... vere .... dicis? Qui quidem non in umbra, neque in illius aetatis disciplinis artibusque versatus est. Etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus. Nimirum etiam hoc ipso nomine aliquid .... usus ....

* * * *

III. Hunc igitur virum, Laeli, quibus tandem rebus oppugnas? Fuit, P. Servilio imperatore, in Cilicia tribunus militum. Ea res siletur. Fuit M. Pisoni quaestor in Hispania. Vox de quaestura nulla missa est. Bellum Cretense ex magna parte gessit, atque una cum summo imperatore sustinuit. Muta est huius temporis accusatio. Praeturae iurisdictio, res varia et multiplex ad suspiciones et simultates, non attingitur. Ea vero, in summo et periculosissimo reipublicae tempore, etiam ab inimicis laudatur. At a testibus laeditur. Antequam dico, a quibus, qua spe, qua re concitatis, qua levitate, qua egestate, qua perfidia, qua audacia praeditis; dicam de genere universo, et de conditione omnium nostrum. Per deos immortales!

Summo imperatore) Q. Metello Cretico.

At a testibus laeditur) Pantagathus coni. *At Asiatica a testibus laeditur*; probante Vrsino.

Qua spe) Olim addebatur *qua vi*, quod quum absit in codd. plurimis deleverunt Lamb. Graev. Ern. Beckio etiam verba *qua re* spuria videntur.

iudices, vos, quomodo is, qui anno ante Romae ius dixerat, anno post in Asia ius dixerit, a testibus quaeretis ignotis? ipsi coniectura nihil iudicabitis? In tam varia iurisdictione tam multa decreta, tot hominum gratiosorum laesae voluntates: quae est unquam iacta non suspicio, quae tamen solet esse falsa, sed iracundiae vox, aut doloris? Et is est reus avaritiae, qui in uberrima re turpe compendium, in maledicentissima civitate, in suspiciosissimo negotio, maledictum omne, non modo crimen effugit? Praetereo illa, quae praetereunda non sunt: nullum huius in privatis rebus factum avarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari sordem posse proferri. Quibus igitur testibus ego hosce possum refutare, nisi vobis? Tmolites ille vicanus, homo non modo nobis, sed ne inter suos quidem notus, vos docebit, qualis sit L. Flaccus? quem vos modestissimum adolescentem, provinciae maximae sanctissimum virum, nostri exercitus fortissimum militem, diligentissimum ducem, temperantissimum legatum quaestoremque cognoverunt? quem vos praesentes constantissimum senatorem, iustissimum praetorem, atque amantissimum reipublicae civem iudicastis? De quibus vos aliis testes esse debetis, de iis ipsi alios testes audietis?

IV. At quos testes? primum dicam (id quod est commune) Graecos: non quo nationi huic ego unus maxime fidem derogem; nam, si quis unquam de nostris hominibus a genere isto, studio ac voluntate non abhorrens fuit, me et esse arbitror, et magis

Compendium) Lucrum, cuius contrarium est dispendium: et erat aptissima lucro iurisdictio urbana. Ferr.

In maledicentissima civitate) Scil. urbe Roma.

Ille vicanus) In *vicanus* Turnebus coniecerat latere nomen proprium *Nicanus*, quod recepit Lamb.

Temperantissimum) Lamb. et Garal. maluut *temperatissimum*.

etiam tum, quum plus erat otii, fuisse: sed sunt in illo numero multi boni, docti, pudentes, qui ad hoc iudicium deducti non sunt; multi impudentes, illiterati, leves, quos variis de causis video concitatos. Verumtamen hoc dico de toto genere Graecorum: tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, si qua sibi alia sumunt, non repugno; testimoniorum religionem et fidem nunquam ista natio coluit; totiusque huiusce rei quae sit vis, quae auctoritas, quod pondus, ignorant. Vnde illud est: DA MIHI TESTIMONIVM MVTVVM? num Gallorum, num Hispanorum putatur? Totum istud Graecorum est: ut etiam, qui graece nesciunt, hoc quibus verbis a Graecis dici soleat, sciant. Itaque videte, quo vultu, qua confidentia dicant; tum intelligetis, qua religione dicant. Nunquam nobis ad rogatum respondent: semper accusatori plus, quam ad rogatum. Nunquam laborant, quemadmodum probent, quod dicunt: sed quemadmodum se explicent dicendo. Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod (ut ipse aiebat) libertus erat eius turpi iudicio condemnatus. Nihil dixit, quod laederet eum, quum cuperet. Impediebat enim religio. Tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore et pallore dixit? Quam promptus homo P. Septimius? quam iratus de iudicio, et de villico? tamen haesitabat;

Pudentes — impudentes) *Prudentes — imprudentes* cod. Barb. et edd. Ven.

Quibus verbis) Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν: *Da mihi scilicet falsum testimonium, quod tibi reddam alia vice.* FERR.

Nunquam nobis) Quum rei patronus eos interrogat, nunquam respondent ad id, quod rogantur: quum accusator, plura etiam dicunt, quam rogantur. ID.

Et de villico?) Garat. mavult abesse praepositionem *de* ante *villico*, quae abest utraque ed. Ven.

tamen eius iracundiae religio nonnunquam repugnabat. Inimicus M. Caelius, quod, quum in re manifesta putasset nefas esse, publicanum iudicare contra publicanum, sublatus erat e numero recuperatorum: tamen tenuit se, neque attulit in iudicium quidquam ad laedendum, nisi voluntatem.

V. Hi si Graeci fuissent, ac nisi nostri mores ac disciplina plus valerent, quam dolor ac simultas, omnes se spoliatos, vexatos, fortunis eversos esse dixissent. Graecus testis quum ea voluntate processit, ut laedat, non iurisiurandi, sed laedendi verba meditatur. Vinci, refelli, coargui putat esse turpissimum; ad id se parat; nihil aliud curat. Itaque non optimus quisque, nec gravissimus, sed impudentissimus loquacissimusque deligitur. Vos autem in privatis minimarum rerum iudiciis testem diligenter expenditis. Etiam si formam hominis, si nomen, si tribum nostis, mores tamen exquirendos putatis. Qui autem dicit testimonium ex nostris hominibus, ut se ipse sustentat! ut omnia verba moderatur! ut timet, ne quid cupide, ne quid iracunde, ne quid plus minusve, quam sit necesse, dicat! Num illos item putatis? quibus iusiurandum iocus est; testimonium ludus; existimatio vestra tenebrae: laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudenti mendacio. Sed non dilatabo orationem meam. Etenim potest esse infinita, si mihi libeat totius gentis in testimoniis dicendis explicare vanitatem. Sed propius accedam: de his vestris testibus dicam. Vehementem accusatorem nacti sumus,

Recuperatorum) In causis civilibus Praetor recuperatores dabat, qui de iis iudicarent. Flaccus autem nefas esse putaverat, Caelium publicanum sedere iudicem contra alium publicanum, quem fore damnandum manifestum erat. Ferr.

Tenebrae) Ant. Augustin. coni. *tricae*. Pantagatho placebat *existimatio vestra verba; tenebrae laus* etc.

Proposita) Ern. malebat *posita*.

iudices, et inimicum in omni genere odiosum ac molestum: quem spero his rebus fore magno usui et amicis et reipublicae. Sed certe inflammatus incredibili cupiditate hanc causam accusationemque suscepit. Qui comitatus in inquirendo? comitatum dico? imo vero quantus exercitus? quae iactura? qui sumptus? quanta largitio? Quae quamquam utilia sunt causae, timide tamen dico; quod vereor, ne Laelius ex his rebus, quas sibi suscepit gloriae causa, putet aliquid, oratione mea, sermonis in sese, aut invidiae esse quaesitum.

VI. Itaque hanc partem totam relinquam: tantum a vobis petam, iudices, ut, si quid ipsi audistis communi fama atque sermone, de vi, de manu, de armis, de copiis, memineritis, quarum rerum invidia, lege hac recenti ac nova, certus sit inquisitioni comitum numerus constitutus. Sed, ut hanc vim omittam, quanta illa sunt? quae quoniam accusatorio iure et more sunt facta, reprehendere non possumus, queri tamen cogimur: primum, quod, distributis partibus, sermo est tota Asia dissipatus, Cn. Pompeium, quod L. Flacco est vehementer inimicus, contendisse a Laelio, paterno amico ac pernecessario, ut hunc hoc iudicio

His rebus) MSS. *verbis* corrupte. Non melius vulg. *rebus* Faërn. coni. *moribus* Lamb. *virtutibus*. Guido Lollius olim coniecerat *aliis rebus*. Melius esset *aliis artibus*, scil. quam accusatoriis. Beckius delendam censet *his rebus*. Sane melius abesset.

Lege hac) Lege Iulia de repetundis, quam paulo ante Caesar Consul promulgaverat. In illa autem lege certus comitum numerus accusatori in requirendo assignabatur, ob invidiam illarum rerum, quas in Flaccum fecerat Laelius. FERR.

Certus sit) Sic e correctione Faërni Ernestiu probata edidit Beck. Vulg. *est*.

Inquisitioni) In negotio inquisitionis ab accusatore susceptae, quum proficisceretur in provinciam, ut literas, testes in reum conquireret.

Distributis partibus) Multis ex suis comitibus in varias Asiae partes distributis, qui sermonem illum de Cn. Pompeio dissiparent. FERR.

Paterno amico) I. c. *amico propter amicitiam quae fuerat inter utrusque patres*.

arcesseret, omnemque ei suam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detulisse. Id hoc verisimilius graecis hominibus videbatur, qui paulo ante in eadem provincia familiarem Laelium Flacco viderant. Pompeii autem auctoritas quum apud omnes tanta est, quanta esse debet, tum excellit in ista provincia, quam nuper et praedonum et regum bello liberavit. Adiunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, testimonii denuntiatione terreret: qui domi stare non poterant, largo et liberali viatico commoveret. Sic adolescens, ingenii plenus, locupletes metu, tenues praemio, stultos errore permovit: sic sunt expressa ista praeclara, quae recitantur, psephismata, non sententiis, neque auctoritatibus declarata, nec iureiurando constricta, sed porrigenda manu, profundendoque clamore multitudinis concitatae.

VII. O morem praeclarum, disciplinamque, quam a maioribus accepimus, si quidem teneremus! sed nescio quo pacto iam de manibus elabitur. Nullam enim illi nostri sapientissimi et sanctissimi viri vim concionis esse voluerunt. Quae scisceret plebes, aut quae populus iuberet, summota concione, distributis

Regum bello) Mithridatis, et Tigranis. Ferr.

Testimonii denuntiatione) Quintil. lib. V, cap. 7: « Duo, inquit, genera « sunt testium, aut voluntariorum, « aut eorum, quibus iudex in publi- » cis iudiciis lege denuntiare solet. » Quorum altero utraque pars utitur, » alterum accusatoribus tantum con- » cessum est ».

Domi stare non poterant) I. e. obaerati erant; hi largo viatico commovebantur, e quo praeter impensas itineris aliquid possent compendi facere, cf. c. 8.

Locupletes) Hi passi sunt fieri psephismata, ne cogerentur venire Romam ad testimonium dicendum: tenuiores, viaticum sperantes, si Romam ipsi a civitatibus mitterentur legati: stulti, Pompeii auctoritate perinoti. Ferr.

Summota concione) Tam tributis comitiis plebs, quam centuriatis populus summovebatur a loco concionis, et in sua quaeque tribus septa distributa suffragium ferebat. Ceterum fusius vide apud Gruchium de Comitiis Rom. Io.

partibus, tributim et centuriatim descriptis ordinibus, classibus, aetatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata et cognita, iuberi vetarique voluerunt. Graecorum autem totae respublicae sedentis concionis temeritate administrantur. Itaque, ut hanc Graeciam, quae iamdiu suis consiliis perculsa et afflicta est, omittam: illa vetus, quae quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, libertate immoderata ac licentia concionum. Quum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique consederant: tum bella inutilia suscipiebant; tum seditiosos homines reipublicae praeficiebant; tum optime meritos cives e civitate eiiciebant. Quod si haec Athenis tum, quum illae non solum in Graecia, sed prope cunctis gentibus enitebant, accidere sunt solita: quam moderationem putatis in Phrygia aut in Mysia concionum fuisse? Nostras conciones illarum nationum homines plerumque perturbant. Quid, quum soli sunt ipsi, tandem fieri putatis? Caesus est virgis Cymaeus ille Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus. Data concio Laelio est. Processit ille, et Graecus apud Graecos non de culpa sua dixit, sed de poena questus est. Porrexerunt manus: psephisma natum est. Hoc testimonium est? Nuper epulati, paulo ante omni largitione saturati, Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat, se velle dixit, id sutores, id zonarii conclamarunt. Hoc testimonium

Enitebant) Sic est in codd. Faërn. edd Ven. Lamb. etc. Alii nonnulli *eminebant*.

Cymaeus) Ab Asiae urbe Cyma, cuius psephisma proferebatur: qui ob exportatum frumentum virgis caesus, et Flacco proinde iratus, data Laelio concione, populares suos, ut decretum in Flaccum facerent, hortatus est. FERR.

Id sutores, id zonarii) Codd. S. Vict. Franc. I. al. *id sutores et coriarii*. Recepit Lallem. Pautagatho et

est civitatis? Ego testes a Sicilia publice duxi. Verum erant ea testimonia non concitatae concionis, sed iurati senatus. Quare iam non est mihi contentio cum teste: vobis videndum est, sintne haec testimonia putanda.

VIII. Adolescens bonus, honesto loco natus, disertus, cum maximo ornatissimoque comitatu venit in oppidum Graecorum; postulat concionem; locupletes homines et graves, ne sibi adversentur, testimonii denuntiatione deterret; egentes et leves spe legationis et viatico publico, privata etiam benignitate prolectat. Opifices et tabernarios, atque illam omnem faecem civitatum, quid est negotii concitare, in eum praesertim, qui nuper summo cum imperio fuerit, summo autem in amore esse, propter nomen ipsum imperii, non potuerit? Mirandum vero est, homines eos, quibus odio sunt nostrae secures, nomen acerbitati, scriptura, decumae, portorium morti, libenter arripere facultatem laedendi, quaecumque detur. Mementote igitur, quum audietis psephismata, non audire vos testimonia; audire temeritatem vulgi, audire vocem levissimi cuiusque, audire strepitum imperitorum, audire concionem concitatam levissimae nationis. Itaque perscrutamini penitus naturam rationemque criminum: iam nihil praeter spem, nihil praeter terrorem ac minas reperietis. * *

Deesse videntur nonnulla.

IX. In aerario nihil habent civitates, nihil in ve-

Graevio placuit *id sutores zonarii ac coriarii.*

Testes a Sicilia publice duxi) Scil. in causa Verrina.

Spe legationis) Edd. vett. nonnullae et cod. Memm. *largitionis.*

Spe legationis) Spem eis faciebat non abituros ut testes, sed ut legatos a republica sua mittendos. Grut.

Nihil praeter spem) Scil. lucri alicuius capiendi. Olim in edd. erat *speciem.* Lambinus e cod. Memm. dedit *spem.* Recte.

ctigalibus. Duae rationes conficiendae pecuniae, aut versura, aut tributo. Nec tabulae creditoris proferuntur, nec tributi confectio ulla recitatur. Quam vero facile falsas rationes inferre, et in tabulas, quodcumque commodum est, referre soleant, ex Cn. Pompeii literis ad Hypsaeum, et Hypsaei ad Pompeium missis, quaeso cognosite: LITERAE POMPEII, ET HYPSAEI. Satisne vobis coarguere his auctoribus dissolutam Graecorum consuetudinem licentiamque impudentem videmur? Nisi forte, qui Cn. Pompeium, qui praesentem, qui nullo impellente fallebant, eos, urgente Laelio, in absentem et in L. Flaccum aut timidos fuisse aut religiosos putamus. Sed fuerint incorruptae literae domi: nunc vero, quam habere auctoritatem, aut quam fidem possunt? Triduo lex ad praetorem deferri, iudicum signis obsignari iubet. Tricesimo die vix deferuntur. Ne corrumpi tabulae facile possint, idcirco lex obsignatas in publico poni voluit. At obsignantur corruptae. Quid refert igitur, tanto post ad iudices deferantur, an omnino non deferantur?

X. Quid, si testium studium cum accusatore sociatum est, tamenne isti testes habebuntur? Vbi est igitur illa exspectatio, quae versari in iudiciis solet? Nam antea, quum dixerat accusator acriter et vehementer, quumque defensor suppliciter demisseque

Aut tributo) I. e. aut pecuniam mutuam sumendo, aut tributo imponendo.

Falsas rationes) Tabulas publicas civitatum recitaverat accusator, in quibus erat summa pecuniae, quam ex aerario et vectigalibus sumptam se Flacco dedisse dicebant. FERR.

Quodcumque commodum est) Quodcumque libuerit.

Triduo) Postquam Romam delatae fuissent. Hoc autem caput unum erat legis Corneliae, qua Flaccus fuerat accusatus. FERR.

Illa exspectatio) Testium, qui loco tertio dicebant. Quid enim dicturi essent, audita accusatione et defensione exspectabatur. Nam si eorum studium cum accusatore sociatum est, scitur quid dicturi sint, non exspectatur. SYLV.

responderat, tertius ille erat exspectatus locus testium, qui aut sine ullo studio dicebant, aut cum dissimulatione aliqua cupiditatis. Hoc vero quid est? Vna sedent, ex accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur. De subselliis queror? Vna ex domo prodeunt. Si verbo titubarint, quo revertantur, non habebunt. An quisquam esse testis potest, quem accusator sine cura interroget, nec metuat, ne sibi aliquid, quod ipse nolit, respondeat? Vbi est igitur illa laus oratoris, quae vel in accusatore antea, vel in patrono spectari solebat? Bene testem interrogavit: callide accessit; reprehendit; quo voluit, adduxit; convicit et elinguem reddidit. Quid tu istum roges, Laeli, qui, priusquam hoc, TE ROGO, dixeris, plura etiam effundat, quam tu ei domi ante praescripseris? Quid ego autem defensor rogem? nam aut oratio testium refelli solet, aut vita laedi. Qua disputatione orationem refellam eius, qui dicit, DEDIMVS, nihil amplius? In hominem dicendum est igitur, quum oratio argumentationem non habet. Quid dicam in ignotum?

XI. Querendum est ergo et deplorandum, id quod iamdudum facio, de omni accusationis iniquitate. Primum de communi genere testium. Dicit enim natio minime in testimoniis dicendis religiosa. Propius accedo. Nego esse ista testimonia, quae tu ipse psephismata appellas, ego aut fremitum egentium, aut motum quendam temerarium graeculae concionis. Intrabo etiam magis. Qui gessit, non adest; qui numerasse

Quo revertantur) Non enim eos amplius hospitio Laelius recipiet. FERR.

Effundat) Sic Ern. e cod. Guelf. Olim *effundet*.

DEDIMVS) Scil. *pecuniam*.

Aut fremitum egentium, aut motum) Ita rescripsi pro vulg. *sed et fremitum egentium, et motum*. Pro particula *sed* iam Beckio placebat ego.

Qui gessit) Scil. negotium; qui pecunias quaesivit apud negotiatores et confecit. ERN.

dicitur, non est deductus; privatae literae nullae proferuntur; publicae retentae sunt in accusatorum potestate. Summa est in testibus. Hi vivunt cum inimicis; adsunt cum adversariis; habitant cum accusatoribus. Vtrum hic tandem disceptationem et cognitionem veritatis, an innocentiae labem aliquam ac ruinam fore putatis? Multa enim sunt eiusmodi, iudices, ut etiamsi in homine ipso, de quo agitur, negligenda sint, tamen in conditione atque in exemplo pertimescenda videantur. Si quem infimo loco natum, nullo splendore vitae, nulla commendatione famae defenderem, tamen cives a civibus communis humanitatis iure ac misericordia deprecarer, ne ignotis testibus, ne incitatis, ne accusatoris consessoribus, convivis, contubernalibus; ne hominibus, levitate graecis, crudelitate barbaris, civem ac supplicem vestrum dederetis; ne periculosam imitationem exempli reliquis in posterum proderetis. Sed, quum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit; cuius virtute regibus exterminatis, libertas in republica constituta est; quae usque ad hoc tempus honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria, continuata permansit; quumque ab hac perenni contestataque virtute maiorum, non modo non degenerarit L. Flaccus, sed, in qua maxime florere generis sui gloriam viderat, laudem patriae in libertatem vindicandae praetor adamarit: in hoc ego

Deductus) Scil. A. Sextilius c. 15.

Ac ruinam) Sic Ern. Vulgo *aut ruinam*.

In conditione) I. e. in statu ac genere civium Romanorum.

Cives) Sic ed. Ven. 1483, probante Garatono. Vulg. *civem*.

Imperiis) Ita Graev. Ern. e MS. et Vict. Vulg. *imperio*.

Sed, in qua maxime florere generis sui gloriam viderat) Bene hanc lectionem restituit Beckius, iam a Lamb. receptam quae est in codd. Faërn. septem Pall. utroque Francii Barb. Vulgo *sed id quod maxime florere in generis sui gloria viderat*.

reo ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam, in quo, etiamsi quid errasset, omnes boni connivendum esse arbitrarentur? Quod quidem ego non modo non postulo, sed contra, iudices, vos oro et obtestor, ut totam causam, quam maxime intentis oculis (ut aiunt) acerrime contemplemini. Nihil religione testatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expressum: contraque omnia corrupta libidine, iracundia, studio, pretio, periurio reperientur.

XII. Etenim iam universa istorum cognita cupiditate, accedam ad singulas querelas, criminationesque Graecorum. Classis nomine pecuniam civitatibus imperatam queruntur: quod nos factum, iudices, confitemur. Sed, si hoc crimen est, aut in eo est, quod non licuerit imperare; aut in eo, quod non opus fuerit navibus; aut in eo, quod nulla, hoc praetore, classis navigarit. Licuisse ut intelligas, cognosce, quid, me consule, senatus decreverit, quum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit. SENATVSCONSVLTVM. Proximum est ergo, ut, opus fuerit classe, necne, quaeramus. Vtrum igitur hoc Graeci statuent, aut ullae exterae nationes, an vestri praetores, vestri duces, vestri imperatores? Equidem existimo, in eiusmodi regione atque provincia, quae mari cincta, portibus distincta, insulis circumdata esset, non sulum praesidii, sed etiam ornandi imperii causa, navigandum fuisse. Haec enim ratio ac magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut, quum in privatis rebus, suisque sumtibus, minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica di-

Nihil religione — veritate — dolore expressum) *Religio* pertinet ad testimonia iuratorum hominum; *veritas* ad tabulas, literas publicas et privatas; *dolor* ad quaestiones per tormenta. Ern.

Decesserit) Lamb. *discesserit*.

gnitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quaeritur enim in re domestica continentiae laus; in publica, dignitatis. Quod si etiam praesidii causa classem habuit, quis erit tam iniquus, qui reprehendat?

XIII. « At nulli erant praedones. » Quid? nullos fore, quis praestare poterat? « Minuis, inquit, gloriam Pompeii. » Immo tu auges molestiam. Ille enim classes praedonum, urbes, portus, receptacula sustulit; pacem maritimam summa virtute atque incredibili celeritate confecit: illud vero neque suscepit, neque suscipere debuit, ut, si qua uspiam navicula praedonum apparuisset, accusandus videretur. Itaque ipse in Asia, quum omnia iam bella terra marique confecisset, classem tamen iisdem istis civitatibus imperavit. Quod si tum statuit opus esse, quum ipsius praesentis nomine tuta omnia et pacata esse poterant; quid, quum ille decessisset, Flacco existimatis statuendum et faciendum fuisse? Quid nos hic? nonne ipso Pompeio auctore, Silano et Murena consulibus, decrevimus, ut classis in Italia navigaret? Nonne eo ipso tempore, quum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum et inferum sestertium ter et quadragies erogabamus? Quid postero anno? nonne M' Curio et P. Sextilio quaestoribus, pecunia in classem est erogata? Quid? hoc omni tempore equites in ora maritima non fuerunt? Illa est enim gloria divina Pompeii: primum praedones eos, qui tum, quum illi

At nulli) Ita scripsi pro vulg. *Nulli*. Particulam *At*, cuius usus est in obiectionibus, facile potuit ultima syllaba verbi *reprehendat* absorbere.

Erogabamus?) Sic Ern. cum Lamb. Vulgo *rogabamus*.

Postero anno) Sic ed. 1483. Naug. Herv. probante Garatono. Scil. A. V. C. 692. Vulgo *postremo*.

M' Curio et P. Sextilio quaestoribus) Hos Pighius lectionem *postremo* sequutus A. V. 691 assignavit. Verior lectio *postero*, i. e. annum consulatus Silani proxime sequente ostendit eos A. V. C. 692 quaestores fuisse.

bellum maritimum gerendum datum est, toto mari dispersi vagabantur, redactos esse omnes in potestatem; deinde Syriam esse nostram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemaeum regem nihil audere; praeterea Cretam Metelli virtute esse nostram; nihil esse, unde proficiscantur; nihil, quo revertantur; omnes sinus, promontoria, litora, insulas, urbes maritimas, claustris imperii nostri contineri. Quod si Flacco praetore nemo in mari praedo fuisset, tamen huius diligentia reprehendenda non esset. Idcirco enim, quod hic classem habuisset, existimarem non fuisse. Quid? si L. Oppii, L. Agrii, C. Cestii, equitum romanorum, huius etiam clarissimi viri, Cn. Domitii, qui in Asia tum legatus fuit, testimonio doceo, eo ipso tempore, quo tu ipse negas classem habendam fuisse, complures a praedonibus esse captos: tamen Flacci consilium in remigibus imperandis reprehendetur? Quid, si etiam occisus est a piratis Adramytenus, homo nobilis, cuius est fere nobis omnibus nomen auditum, Atinas pugil, Olympionices? hoc est apud Graecos (quoniam de eorum gravitate dicimus) prope maius, et gloriosius, quam Romae triumphasse? « At neminem cepisti. » Quam multi orae maritimae clarissimi viri praefuerunt, qui quum praedonem nullum cepissent, mare tamen tutum praestiterunt. Casus est enim in capiendo, locus, eventus, occasio. Defendendi facilis est cautio, non solum latibulis occultorum locorum, sed etiam tempestatum moderatione et conversione.

XIV. Reliquum est, ut quaeratur, utrum ista classis, cursu et remis, an sumptu tantum et literis navigarit. Num id igitur negari potest, cuius rei cuncta

L. Oppii) *Eppi* est in aliquot codd. et edd. vett. idque praefert Gruter.

Atinas) *Atyanas* mavult Garaton. coll. Phlegonte Tralliano ap. Phot. Bibl. 92.

testis est Asia, bipartito classem distributam fuisse, ut una pars supra Ephesum, altera infra Ephesum navigaret? Hac classe M. Crassus, vir amplissimus, ab Aeno in Asiam, his navibus Flaccus ex Asia in Macedoniam navigavit. In quo igitur praetoris est diligentia requirenda? In numero navium, et in descriptione aequabili sumptus. Dimidium eius, quo Pompeius erat usus, imperavit. Num potuit parcius? Descripsit autem pecuniam ad Pompeii rationem, quae fuit accommodata L. Sullae descriptioni: qui, quum in omnes Asiae civitates pro portione [pecunias] descripsisset, illam rationem in imperando sumtu et Pompeius et Flaccus sequutus est, neque est adhuc tamen ea summa completa. « Non refert vero. » Quid lucretur? quum enim genus imperatae pecuniae suscipit, id, quod tu crimen esse vis, confitetur. Qui igitur probari potest, in ea pecunia non referenda, crimen sibi ipsum facere, in qua crimen esset nullum, si referret? At enim negas fratrem meum, qui L. Flacco successerit, pecuniam ullam in remiges imperasse. Equidem Quinti fratris mei laude delector: sed aliis magis, gravioribus atque maioribus. Aliud quiddam statuit, aliud vidit. Existimavit, quocumque tempore auditum quid esset de praedonibus, quam vellet subito, se classem comparaturum. Denique hoc primus frater meus in Asia fecit, ut hoc sumptu remigum civitates levaret. Crimen autem tum videri solet,

Quum in omnes Asiae civitates p. p. p. descripsisset) Sic Lambin. probante Ernestio Vulgo: *quum omnes Asiae civitates pro portione in provincias descripsisset*. Garaton. et Beckius *pecunias* melius ex antecedd. intelligi, quam scribi voluerunt. Itaque Beckius uncis inclusit.

Quum enim genus) Ed. Waldarf. Lamb. *onus*, probatum Graevio et Oliveto. — Si *onus* legi placet, ita cum Graevio interpretandum: quum onus in se suscipit rationis reddendae de imperata pecunia, se illam accepisse, et bene expendisse, fatetur se fecisse, quod tu tanquam crimen ei obiicis. Anon.

quum aliquis sumtus instituit eos, qui antea non erant instituti, non quum successor aliquid immutat de institutis priorum. Flaccus, quid alii postea facturi essent, scire non poterat: quid fecissent, videbat.

XV. Sed, quoniam de communi totius Asiae crimine dictum est, aggrediar iam ad singulas civitates: ex quibus sit sane nobis prima civitas Acmonensis. Citat praeco voce maxima legatos Acmonenses. Prodeant. Procedit unus Asclepiades. Etiamne praeconem mentiri coëgisti? Est enim, credo, is vir iste, ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat; damnatus turpissimis iudiciis domi, notatus literis publicis; cuius de probris, adulteriis ac stupris extant Acmonensium literae; quas ego non solum propter longitudinem, sed etiam propter turpissimam obscenitatem verborum praetereundas puto. Dixit publice data drachmarum CCVI millia. Dixit tantum; nihil ostendit, nihil protulit; sed adiunxit id, quod certe, quoniam erat domesticum, docere debuit, se privatim drachmarum CCVI millia dedisse. Quantum sibi ablatum homo impudentissimus dicit, tantum nunquam est ausus, ut haberet, optare. Ab A. Sextilio dicit se dedisse, et a suis fratribus. Potuit dare Sextilius. Nam fratres quidem, consortes sunt mendicitatis. Audiamus igitur

De communi totius Asiae crimine) Sic Ern. ex cdd. ante Gruterum, qui e suis MSS. dedit *de totius communis Asiae crimine.*

Mentiri) Legatos enim citavit, quum unum citare debuerit. Ferr.

Millia) Sic et paulo post in codd. nonnullis abest *millia.* Sane multo maior est haec pecuniae summa, quam ut credibile sit ita mentitum esse Asclepiadem; ut dixerit se privatim tantum dedisse, quantum publice civitas dederit. Fortasse priori loco verum est *CCVI millia,* altero autem *VI millia* legendum, quod iam Manutius monuit (vid. infra). Si tamen legeris *CCVI* iusto minor est.

Ab Aulo Sextilio) Acceptam ab A. Sextilio. Sed mendosa summa. Quis enim credat, privatum hominem ausum esse dicere, Flacco se tot drachmas dedisse, quot civitatem publice? Quare velim ex hac summa centum drachmarum millia detrahere. Manut.

Sextilium; fratres denique ipsi prodeant; quam volent, impudenter mentiantur; et, quod nunquam habuerint, dedisse se dicant. Tamen aliquid fortasse coram producti dicent, in quo reprehendantur. Non deduxi, inquit, Sextilium. Cedo tabulas. Non deportavi. Fratres saltem exhibe! Non denuntiavi. Quod ergo unus Asclepiades, fortuna egens, vita turpis, existimatione damnatus, impudentia atque audacia fretus, sine tabulis, sine auctore iecerit, id nos, quasi crimen, aut testimonium pertimescamus? Idem laudationem, quam nos ab Acmonensibus Flacco datam proferebamus, falsam esse dicebat: cuius quidem laudationis iactura exoptanda nobis fuit. Nam, ut signum publicum inspexit praeclarus iste auctor suae civitatis, solere suos cives ceterosque Graecos, ex tempore quod opus sit, obsignare, dixit. Tu vero tibi habeto istam laudationem. Nec enim Acmonensium testimonio Flacci vita et dignitas nititur. Das enim mihi, quod haec causa maxime postulat, nullam gravitatem, nullam constantiam, nullum firmum in graecis hominibus consilium, nullam denique esse testimonii fidem. Nisi vero hactenus ista formula testimonii atque orationis tuae describi ac distingui potest, ut Flacco absenti aliquid

Iecerit) Recte eum Victorio Ern. ita scripsit. Olim erat *legerit* quod ineptum est, quia praecedit *sine tabulis*.

Iste auctor suae civitatis) Defensor civitatis et quasi syndicus. Nam auctor interdum est qui pro alio gerit atque agit, ut *pupilli auctor*, tutor. GRON.

Solere tempore) Vulgo sic interpungitur: *solere — Graecos ex tempore, quod opus sit, obsignare dixit.* In quo Graevius *ex tempore* intpr. *subito, fortuito.* Ernestius distinctionem mutavit, ut *ex tempore quod opus sit* int. *temporis ratione postulante.*

Ex tempore) Pro ratione temporis, prout diversitas temporum postulat, servientes tempori: pro qua statim dicit, *temporis causa scripsisse.* GRAEV.

Describi) Fortasse legendum *discerni.* Sic Verr. IV, 41 componuntur *separare ac distinguere.* In codd. duobus Oxx. est *distribui.* Ernestius quidem de verbo *describere*, ut synonymo alterius *distinguere* ad Cla-

civitates tribuisse dicantur: Laelio praesenti, per se agenti, vi legis, iure accusationis, opibus praeterea suis terrenti ac minanti, nihil temporis causa scripsisse aut obsignasse videantur.

XVI. Equidem in minimis rebus saepe res magnas vidi, iudices, deprehendi ac teneri, ut in hoc Asclepiade. Haec, quae est a nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica; quae fere est omnibus nota nobis; qua utuntur omnes non modo in publicis, sed etiam in privatis literis; quas quotidie videmus mitti a publicanis, saepe unicuique nostrum. Neque enim testis ipse signo inspecto falsum non proferre dixit, sed levitatem totius Asiae protulit, de qua nos et libenter et facile concedimus. Nostra igitur laudatio, quam ille temporis causa nobis datam dicit, datam quidem confitetur, consignata creta est: in illo autem testimonio, quod accusatori dicitur datum, ceram esse vidimus. Hic ego, iudices, si vos Acmonensium decretis, si ceterorum Phrygum literis permoveri putarem; vociferarer, et, quantum maxime possem, contenderem: testarer publicanos, excitarem negotiatores, vestram etiam conscientiam implorarem: cera deprehensa, confiderem totius testimonii fictam audaciam manifesto comprehensam atque oppressam teneri. Nunc vero non insultabo vehementius, nec volitabo in hoc insolentius, neque in istum nugatorem, tanquam in aliquem testem, invehar, neque in toto Acmonensium testimonio, sive hic confictum est, ut apparet, sive missum domo est, ut dicitur,

vem h. v. ablegat, sed ibi nihil de eo invenitur.

Vidimus) Sic Ern. cum aliis e MSS. Faërn. Francii utroque Guelf. ed. Waldarf. pro vulg. *videmus*, quod facit clausulam hexametri.

Quantum maxime) *Quam maxime* Graev. et e codd. Pariss. Lallem.

Contenderem) Gulielm. coni. *possem contendere* sc. *voce*, probantibus Grul. Ern.

commovebor. Etenim, quibus ego istam laudationem remittam, quoniam sunt (ut Asclepiades dicis) leves, horum testimonium non pertimescam.

XVII. Venio nunc ad Dorylensium testimonium, qui producti, tabulas se publicas ad speluncas perdidisse dixerunt. O pastores, nescio quos, cupidos literarum! siquidem nihil istis, praeter literas, abstulerunt. Sed aliud esse causae suspicamur, ne forte isti parum versuti esse videantur. Poena est, ut opinor, Dorylai gravior, quam apud alios, falsarum et corruptarum literarum. Si veras protulissent, criminis nihil erat; si falsas, erat poena. Bellissimum putarunt, dicere amissas. Quiescant igitur, et me hoc in lucro ponere, atque aliud agere patiantur. Non sinunt. Supplet enim ille nescio quis, et privatim dicit se dedisse. Hoc vero ferri nullo modo potest. Qui de tabulis publicis recitat iis, quae in accusatoris potestate fuerunt, non debet habere auctoritatem: sed tamen iudicium fieri videtur, quum tabulae illae ipsae, cuiusquemodi sunt, proferuntur. Quum vero is, quem nemo vestrum vidit unquam, nemo, qui mortalis esset, audivit, tantum dicit, DEDI: dubitabitis, iudices, quin ab hoc ignotissimo Phryge nobilissimum civem vindicetis? Atque huic eidem nuper tres equites romani honesti et graves, quum in causa liberali

Dorylai) Hoc restituit Beck. e codd. Faërn. Pall. S. Vict. utroque Franc. aliisque, item edd. antiqq. Ex aliis MSS. et edd. Ern. *Dorylaei* reposuit pro vulg. *Dorylensium*.

Iudicium fieri videtur) Species in eo quaedam iudicii est. MANUT.

Cuiusquemodi) Vulgatam retineo. Schützius *cuicuimodi* rescripsit, Goërenzio obsequutus, qui hoc a librariis plerumque obliteratum esse monuerat ad Cic. de legg. II, 5, de Fin. III, 3. Codd. vero MSS. admodum variant. TYP.

Dubitabitis) Ita codd. et pleraeque edd. ant. probante Niebuhrio V. Cl. Accedit codex antiquiss. Tabularii Basil. Vatic. ab eodem nuper collatus. Vulgo *dubitatis*. T.

In causa liberali) In qua agebatur de libertate illius. FERR.

eum qui asserebatur, cognatum suum esse diceret, non crediderunt. Qui convenit, ut, qui locuples testis doloris et sanguinis sui non fuerit, idem sit gravis auctor iniuriae publicae? Atque hic Dorylensis nuper quum efferretur magna frequentia, consessuque vestro, mortis illius invidiam in L. Flaccum Laelius conferebat. Facis iniuste, Laeli, si putas periculo nostro vivere tuos contubernales: praesertim quod tua negligentia factum arbitremur. Homini enim Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset, fiscinam ficorum obiecisti; cuius mors te ex aliqua parte relevavit: edacem enim hospitem amisisti. Flacco vero quid profuit, qui valuit tamdiu, dum huc prodiret? mortuus est, aculeo iam dimisso, ac dicto testimonio? At istud columen actionis tuae, Mithridates, posteaquam, biduum retentus testis a nobis, effudit, quae voluit, omnia, reprehensus, convictus, fractusque discessit, ambulat cum lorica: metuit homo doctus et sapiens, ne L. Flaccus nunc scelere se alliget, quum iam testem illum effugere non possit: ut, qui ante dictum testimonium sibi temperarit, quum tamen aliquid assequi posset, is nunc id agat, ut ad falsum avaritiae testimonium, verum etiam maleficii crimen adiungat. Sed quoniam de hoc teste, totoque Mithri-

Qui convenit) Vulgo *qui hoc evenit.* Sed iam Gulielmo placuit *convenit.* Et sic saepe Cicero in eiusmodi locis, ubi duo sibi repugnare dicit; e. c. Fin. II, 10, Phil. VII, 2.

Consessuque) MS. Vatic. *consensuque.* Idem paulo post *quum tua.*

Fiscinam ficorum obiecisti) Innuit ficos venenatos fuisse, eamque suspicionem callide tegit verbis *edacem — amisisti*, quasi ille Phryx mortuus esset ex nimia ficorum copia, quam ingessisset.

Dimissa) *Demisso* MS. Guelf. et cod. Ox. Χ. *emisso* cod. Faërn. it. Reg. ap. Lall. quod hic post Lamb. recepit.

Actionis tuae) In MS. Vatic. teste Vrsino *accusationis.*

Illum effugere non possit) Quia testimonium iam in Flaccum dixit. MANVT.

Quoniam) Hoc addidi ex MS. Vat. ap. Nieb. Id. MS. paulo post *crimine.*

Mithridatico crimine) Vulgo abest *crimine.* Garat. aliique intelligi vo-

datico crimine, disseruit et subtiliter et copiose Q. Hortensius, nos, ut instituimus, ad reliqua pergamus.

XVIII. Caput est omnium Graecorum concitandorum, qui cum accusatoribus sedet, Heraclides ille Temnites, homo ineptus et loquax, sed (ut sibi videtur) ita doctus, ut etiam magistrum illorum se esse dicat: et, qui ita sit ambitiosus, ut omnes vos, nosque quotidie persalutet. Temni usque ad illam aetatem in senatum venire non potuit: et, qui se artem dicendi traditurum etiam ceteris profiteatur, ipse omnibus turpissimis iudiciis convictus est. Pari felicitate una legatus venit Nicomedes; qui neque in senatum ulla conditione pervenire potuit, et furti et pro socio damnatus est. Nam princeps legationis Lysanias, adeptus est ordinem senatorium; sed quum rempublicam nimium amplecteretur, peculatus damnatus, et bona et senatorium nomen amisit. Hi tres etiam aerarii nostri tabulas falsas esse voluerunt. Nam servos novem se professi sunt habere, quum omnino sine comite venissent. Decreto scribendo primum video affuisse Lysaniam: cuius fratris bona, quod is populo non solvebat, praetore Flacco, publice venierunt. Praeterea Philippus est, Lysaniae gener, et Hermobius: cuius frater Poles, item pecuniae publicae est condemnatus.

luerunt *negotio* aut *consilio*. Henr. Steph. e cod. edidit *Mithridatico testimonio*. Lambin. e codd. dedit *crimine*, idque Ern. servavit.

Illorum) Sic edd. vett. usque ad Mediol. it. in MSS. nonnullis. Restituit Gruter. Ern. Plerique *aliorum*.

Ad illam aetatem) Ad senectutem, ad illam, quam videtis, aetatem. Manut.

Convictus) *Victus* cod. Faërn. ed. Lamb.

Pro socio) Quod socium fraudasset. Vide pro Quintio, cap. 3.

Rempublicam nimium amplecteretur) Lepida ambiguitas; *rempublicam* refert ad aerarium publicum et intelligit furtum pecuniae publicae. Ern. — *Nimium amplecteretur*) I. e. nimium diligeret. Sed ita Lysanias rempublicam amplectebatur, ut eam spoliaret. Sylv.

Falsas esse voluerunt) Falsum in tabulas aerarii nostri retulerant, professi se habere servos, quos revera non habebant. Ferr.

demnatus. Dicunt se Flacco, et iis, qui simul essent, drachmarum xv millia dedisse.

XIX. Cum civitate mihi res est acerrima, et conficiendarum literarum diligentissima: in qua nummus commoreri nullus potest sine quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis, qui apud illos a populo creantur. Ex hoc tanto numero deductus est nemo; et, quum illam pecuniam nominatim Flacco datam referant; maiorem etiam aliquam quum huic iidem darent, in aedem sacram reficiendam se perscripsisse dicunt: quod minime convenit. Nam aut omnia occulte referenda fuerunt, aut aperte omnia. Quum perscribunt nominatim Flacco, nihil timent, nihil verentur; quum operi publico referunt, iidem homines subito eundem, quem contempserant, pertimescunt. Si praetor dedit, ut est scriptum, a quaestore numeravit; quaestor a mensa publica; mensa aut ex vectigali, aut ex tributo. Nunquam erit istud simile criminis, nisi mihi totam rationem omni et personarum genere, et literarum explicaris. Vel, quod est in eodem decreto scriptum, homines clarissimos civitatis, amplissimis usos honoribus, hoc praetore circumventos. Cur hi neque in iudicio adsunt, neque in decreto nominantur? non enim credo significari isto loco illum, qui se erigit, Heraclidem. Vtrum

Conficiendarum literarum diligentissima) Sic Lamb. Graev. e MS. S. Dionys. et Franc. Idem dedit Lallem. (et ita iam coniecerat Turneb. lib. XXX Advers. cap. 4). Vulgatum *et conficientissima literarum* hoc sensu, qui hic requiritur, latinum esse negavit Ern. Quod autem totum illud de *diligentia conficiendarum literarum* a glossatoribus esse putavit, id propterea nobis non probatur, quod *acerrima* sic nude positum nimis infinitum est.

Conficiendarum literarum) Quae perscribit omnia diligenter.

Mensariis) A mensa, quam habebant propositam in publico, ubi tractabantur numerationes publicae. CAMER.

enim in clarissimis est civibus is, quem iudicatum hic duxit Hermippus? qui hanc ipsam legationem, quam habet, non accepit a suis civibus, sed usque Tmolo petivit? cui nullus honos in sua civitate habitus est unquam; res autem ea, quae tenuissimis committebatur, huic uni in vita commissa sola est. Custos, T. Aufidio praetore, frumento publico est positus. Pro quo quum a P. Varinio praetore pecuniam accepisset, celavit suos cives, ultroqne iis sumtum intulit. Quod posteaquam Temni, literis a P. Varinio missis, cognitum atque patefactum est; quumque eadem de re Cn. Lentulus, qui censor fuit, Temnitarum patronus, literas misisset: Heraclidem istum Temni nemo postea vidit.

XX. Atque, ut eius impudentiam perspicere possitis, causam ipsam, quae levissimi hominis animum in Flaccum incitavit, quaeso, cognoscite. Fundum Cymaeum Romae mercatus est de pupillo Meculonio. Quum verbis se locupletem faceret; haberet nihil praeter illam impudentiam, quam videtis: pecuniam sumpsit mutuam a Sex. Stola, iudice hoc nostro, primario viro, qui et rem agnoscit, neque hominem ignorat; qui tamen credidit P. Fulvii Veratii, lectis-

Iudicatum) Pecuniae Hermippo debitae condemnatum. Qui quum iudicatum non solveret, Hermippo addictus est, et ab eo ductus, ut in eius scilicet potestate esset. MAN.

Vsque Tmolo) Heraclidi ignobilitatem obiicit, qui apud montem Tmolum natus fuerat. FERR.

P. Varinio) Hoc nomen reposuit Beckius pro vulg. *Vareno;* et illud quidem in fragmentis, quae Sallustii putantur, a Donza editis auctioribus ap. Bimardum in diss. 1 Thes. Inscr. Murat. praemissa occurrit (in collectione fragmentorum Sallustii ap. de Brosses p. 27) unde Bimardus h. l. emendandum censuit. Ceterum A. Vatinius Glaber memoratur Appian. bell. civ. I, c. 116 contra Spartacum missus. Praetor fuit A. 680.

Sumtum intulit) Non solum pecuniam pro frumento non dedit suis civibus, sed induxit et intulit in rationes sumtus falsos, quos se fecisse dicebat. FERR.

Meculonio) Pantagath. coni. *M. Aculeone.* Vrsin. *de P. Maculonio.* Gruter. *P. Meculanio.*

Veratii) Muret. in MS. invenit *Veratii.* Alii *Nerati.*

simi hominis, fide. Ei quum solveret, sumpsit a C. et M. Fufiis, equitibus romanis, primariis viris. Hic hercule, cornici oculum, ut dicitur. Nam hunc Hermippum, hominem eruditum, civem suum, cui debebat esse notissimus, percussit. Eius enim fide sumpsit a Fufiis. Securus Hermippus Temnum proficiscitur, quum iste sese pecuniam, quam huius fide sumpserat, a discipulis suis diceret Fufiis persoluturum. Habebat enim rhetor iste adolescentes quosdam locupletes, quos dimidio redderet stultiores, quam acceperat [ubi nihil possent discere, nisi ignorantiam literarum]: neminem tamen adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. Itaque, quum Roma clam esset profectus, multosque minutis mutuationibus fraudavisset, in Asiam venit, Hermippoque percontanti de nomine Fufiano, respondet, se omnem pecuniam Fufiis persolvisse. Interim, neque ita longo intervallo, libertus a Fufiis cum literis ad Hermippum venit: pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclide petit; ipse tamen Fufiis satisfacit absentibus, et fidem suam liberat: hunc aestuantem et tergiversantem iudicio ille persequitur: a recuperatoribus causa cognoscitur. Nolite existimare, iudices, non unam et eandem omnibus in locis esse fraudatorum et infitiatorum impudentiam; fecit eadem omnia, quae nostri debitores solent. Negavit sese omnino versuram ullam fecisse Romae; Fufiorum se affirmavit nunquam

Fide) Hoc, in MS. Val. repertum a Faërn., recte receperunt Graev. Ern. Beck. pro vulg. *fidei*. Significatur enim pecuniam creditam esse fideiussore Veratio.

Cornici oculum) Scil. *confixit*, quod in proverbio dicitur de cauto homine ab alio decepto.

Percussit) Fefellit, damno affecit. Man.

Ubi nihil—literarum) Haec absunt a cod. Vatic. Ursinus glossatori tribuit, cui facile assentior.

Neminem tamen) Ita cod. Vatic. Vulgo, *n. quidem*. T.

Respondet) Faërn. maluit *respondit*, ut est in aliquot MSS.

omnino nomen audisse; Hermippum vero ipsum, pudentissimum atque optimum virum, veterem amicum atque hospitem meum, splendidissimum atque ornatissimum civitatis suae, probris omnibus maledictisque vexavit. Sed quum se homo volubilis quadam praecipiti celeritate dicendi in illa oratione iactaret, repente, testimoniis Fufiorum nominibusque recitatis, homo audacissimus pertimuit, loquacissimus obmutuit. Itaque recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione iudicaverunt. Quum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, et ab hoc ductus est.

XXI. Habetis et honestatem hominis, et auctoritatem testimonii, et causam omnem simultatis. Atque is ab Hermippo missus, quum ei pauca mancipia vendidisset, Romam se contulit: deinde in Asiam rediit, quum iam frater meus Flacco successisset, ad quem adiit, causamque ita detulit: recuperatores, vi Flacci coactos et metu, falsum invitos iudicavisse. Frater meus, pro sua aequitate prudentiaque, decrevit, ut, si iudicatum negaret, in duplum iret. Si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores. Recusavit; et, quasi nihil esset actum, nihil iudicatum, ab Hermippo ibidem mancipia, quae ipse ei vendiderat, petere coepit. M. Gratidius, legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negavit: re iudicata

In illa oratione) Sic e codd. Oxx. duobus et edd. plerisque rescripsit Beck. Vulgo omissum *in*.

Addictus Hermippo) Addictus a servo quid differat, Quintil. lib. 7, c. 3 scribit: *Servus*, inquit, *quum manu mittitur, fit libertinus: addictus, recepta libertate, est ingenuus* etc. Sylv.

Et ab hoc ductus) Scil. *in servitutem*.

Ab Hermippo missus) I. e. *emissus e servitute*, quum pro sua persona mancipia quaedam dedisset.

In duplum iret) Apparet ita fuisse olim datum iudicium iterum de re iudicata, ut qui iudicatum negaret, si contra eum pronuntiatum secundo fuisset, perderet alterum tantum, quantum iudicato contineretur. Cam.

Re iudicata) Ant. Augustin. coni. *rei iudicatae*.

stari ostendit placere. Iterum iste, cui nullus esset usquam consistendi locus, Romam se retulit: persequitur Hermippus, qui nunquam istius impudentiae cessit. Petit Heraclides a C. Plotio senatore, viro primario, qui legatus in Asia fuerat, mancipia quaedam, quae se, quum iudicatum esset, per vim vendidisse dicebat. Q. Naso, vir ornatissimus, qui praetor fuerat, iudex sumitur: qui quum sententiam secundum Plotium se dicturum ostenderet, ab eo iudice abiit, et quod iudicium lege non erat, causam totam reliquit. Satisne vobis, iudices, videor ad singulos testes accedere, neque ut primo constitueram, tantummodo cum universo genere confligere?

Venio ad Lysaniam eiusdem civitatis, peculiarem tuum, Deciane, testem: quem tu, quum ephebum Temni cognosses, quoniam te nudus delectarat, semper nudum esse voluisti. Abduxisti Temno Apollonidem: pecuniam adolescentulo, grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. Hanc fiduciam commissam

Q. Naso) Locus aliqua declaratione indiget. Quod enim dicat Q. Nasonem indicem sumptum, intelligendnm est, eum arbilrum a partibus leclnm. Quod vero sequitur, *ab eo iudice abiit*, subaudiendum *Heraclides*. Ea vero verba *quod iudicium lege non erat*, sic intellige: Quia iudicium illud non erat lege constitutum, sed partium voluntate; nam arbitria, quae nos *compromissa* appellamus, ab libera partium voluntate dependent. Vt si actor causam prosequi uoluerit, nulla id lege facere cogatur. Idcirco Heraclides qui auctor erat, ab eo iudice abiit, et causam lolam reliquit. FERR.

Ab eo iudice abiit) Olim legebatur *et ab eo iudice abiret, quod* —. Faërn. e vestigiis lectionis cod. Vat. in quo est *ab* eo *iudice habitet* eruit *ab eo iudice abiit, et quod;* idque Lamb. Graev. Lall. Ern. receperunl.

Semper nudum esse voluisti) Lepidissimus lusus ex ambignitate voc. *nudus*. Nam *nudus delectarat* significare polest: *tibi placuerat, quum nudus exercebatur ut ephebus*: innuit tamen simul Lysaniam Deciani libidini servisse. *Semper nudum* vero est *omnibus bonis exutum*. — *Nudum esse voluisti*) Nudum, bis dixil, primum Deciani turpem libidinem, deinde avariliam carpens. MAN.

Apollonidem) Edd. Lamb. *Apolloniam*.

Occupavisti) Occupare pecuniam, est in quaestu collocare. Fiduciam accipere, esl fundum accipere ea lege, ut cum aliquando reslituas, fide utrinque data, sine testibus et literis.

tibi dicis: tenes hodie ac possides. Eum tu testem spe recuperandi fundi paterni venire ad testimonium dicendum coëgisti: qui quoniam testimonium nondum dixit, quidnam sit dicturus, exspecto. Novi genus hominum, novi consuetudinem, novi libidinem. Itaque, etsi teneo, quid sit dicere paratus, nihil tamen contra disputabo prius, quam dixerit. Totum enim convertet atque alia finget. Quamobrem et ille servet, quod paravit; et ego me ad id, quod attulerit, integrum conservabo.

XXII. Venio nunc ad eam civitatem, in quam ego multa et magna studia et officia contuli, et quam meus frater in primis colit atque diligit; quae si civitas per viros bonos gravesque homines querelas ad vos detulisset, paulo commoverer magis. Nunc vero quid putem? Trallianos Maeandrio causam commisisse, homini egenti, sordido, sine honore, sine existimatione, sine censu? Vbi erant illi Pythodori, Archidemi, Critones, ceteri homines apud nos noti, inter suos nobiles? ubi illa magnifica et gloriosa ostentatio civitatis? Nonne esset putidum, si hanc causam agerent severe, non modo legatum, sed Trallianum omnino dici Maeandrium? Huic illi legato, huic publico testi patronum suum iam inde a patre, atque maioribus, L. Flaccum, mactandum civitatis testimonio tradidissent? Non est ita, iudices, non est profecto. Vidi ego in quodam iudicio nuper Philodorum testem Tral-

Fundus alicui commissus dicitur, qui loco pignoris creditori obligatus, proprius eius efficitur, debitore ad diem non solvente. Decianus igitur pecuniam dedit Lysaniae, accepto fundo, quem restitueret, restituta pecunia ad certum tempus, ut ille dicebat. Lysanias eo tempore non solvit, et ideo ad se devolutum fundum Decianus putabat; quem tamen se redditurum pollicebatur, si ille contra Flaccum testimonium dixisset. Ferr.

Aetideni, Lepisones) *Archidemi* et *Critones* ex hariolatione scribere, quam tam tetra, barbara et inaudita nomina ferre, *Aetideni, Lepisones*, mallet Niebuhrius, cui obtemperavi. Typ.

lianum, vidi Parrhasium, vidi Archidemum, quum quidem idem hic mihi Maeandrius, quasi ministrator, aderat, subiiciens, quid in suos cives, civitatemque si vellem, dicerem. Nihil enim illo homine levius, nihil egentius, nihil inquinatius. Quare si hunc habent auctorem Tralliani doloris sui, si hunc custodem literarum, si hunc testem iniuriae, si hunc actorem querelarum: remittant spiritus, comprimant animos suos, sedent arrogantiam, fateantur in Maeandrii persona esse expressam faciem civitatis. Sin istum semper illi ipsi domi proterendum esse et conculcandum putaverunt: desinant putare, auctoritatem esse in eo testimonio, cuius auctor inventus est nemo.

XXIII. Sed exponam, quid in re sit, ut, quamobrem ista civitas neque severe Flaccum oppugnarit, neque benigne defenderit, scire possitis. Erat ei Castriciano nomine irata; de quo toto respondit Hortensius: invita solverat Castricio pecuniam, iamdiu debitam. Hinc totum odium, hinc omnis offensio. Quo quum venisset Laelius ad iratos, et illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset, exsiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt, neque ipsius decreti ac testimonii auctores esse voluerunt. Vsque eo orba fuit ab optimatibus illa concio, ut princeps principum esset Maeandrius: cuius lingua, quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio venti-

Si hunc actorem querelarum) Sic e coniectura Camerarii Ernestio probata edidit Beckius.

Faciem) *Speciem* cod. Faërn. Vatic. ed. Lamb.

Proterendum esse) *Esse* abest ed. 1480. Lamb. omittendum censuerunt Faërn. Garat.

Erat ei Castriciano nomine irata) Castricio Tralliani debebant pecuniam. Castricius ad Flacci iudicium Trallianam civitatem adduxit. Vt Tralliani Castricio creditam pecuniam solverent, Flaccus iudicavit. Eam ob causam Flacco Tralliani irascebantur. SYLV.

Exsiluerunt) Male in codd. nonnullis et edd. vett. *siluerunt*.

lata. Itaque civitatis pudentis, ut ego semper existimavi, et gravis, ut ipsi existimari volunt, iustum dolorem querelasque cognoscite. Quae pecunia fuerit apud se, Flacci patris nomine, collata a civitatibus, hanc a se esse ablatam queruntur. Alio loco quaeram, quid licuerit Flacco: nunc tantum a Trallianis requiro, quam pecuniam a se ablatam queruntur, suamne dicant, sibi a civitatibus collatam in usum suum. Cupio audire. Non, inquit, dicimus. Quid igitur? Delatam ad nos, creditam nobis L. Flacci patris nomine, ad huius dies festos atque ludos. Quid tum? Hanc te, inquit, capere non licuit. Iam id videro: sed primum illud tenebo. Queritur gravis, locuples, ornata civitas, quod non retinet alienum: spoliatam se dicit, quod id non habet, quod eius non fuit. Quid hoc impudentius dici aut fingi potest? Delectum est oppidum, quo in oppido uno pecunia a tota Asia ad honores L. Flacci poneretur. Haec pecunia tota ab honoribus translata est in quaestum et fenerationem: recuperata est multis post annis. Quae civitati facta est iniuria?

XXIV. At moleste fert civitas. Credo. Avulsum est enim praeter spem, quod erat spe devoratum lucrum. At queritur. Impudenter facit. Non enim omnia, quae

Dicimus) *Hoc dicimus* MS. Faërn.

Ad huius dies festos atque ludos) In honorem magistratuum populi romani solebant institui ludi ac dies festi a provincialibus, collata publice pecunia ad impensas illorum. Hoc aliquando fiebat vero studio, aliquando a coactis, aliquando ab assentatoribus, ut indicatur in actione IV in Verrem, ubi exagitat hoc festum. Gravabantur certe hoc nomina provinciales. CAM.

Haec pecunia tota) *Tota* omissum Naug. sqq. Lamb.

Translata est in quaestum) Id est, Tralliani collocarunt hanc pecuniam, non impenderunt in institutionem honorum, ad quos fuit collata, quibus fuit destinata: et ita quasi fuit abalienata a Flacco. CAM.

Avulsum) Vulgo usque ad Lamb. edebatur *amissum*. Melius *avulsum* e codd. Memm. Pall. Lambinus et Grut.

dolemus, eadem iure queri possumus. At accusat verbis gravissimis. Non civitas, sed imperiti homines, a Maeandrio concitati. Quo loco etiam atque etiam facite, ut recordemini, quae sit temeritas multitudinis, quae levitas propria Graecorum, quid in concione seditiosa valeat oratio. Hic, in hac gravissima et moderatissima civitate, quum est forum plenum iudiciorum, plenum magistratuum, plenum optimorum virorum et civium; quum speculatur atque obsidet rostra vindex temeritatis, et moderatrix officii, curia: tamen quantos fluctus excitari concionum videtis? Quid vos fieri censetis Trallibus? quid Pergami? Nisi forte hae civitates existimari volunt, facilius una se epistola Mithridatis moveri impellique potuisse, ut amicitiam populi romani, fidem suam, iura omnia officii humanitatisque violarent, quam ut filium testimonio laederent, cuius patrem armis pellendum suis moenibus censuissent. Quare nolite mihi ista nomina civitatum nobilium opponere. Quos enim hostes haec familia contempsit, nunquam eosdem testes pertimescet. Vobis autem est confitendum, si consiliis principum vestrae civitates reguntur; non multitudinis temeritate, sed optimatum consilio bellum ab istis civitatibus cum populo romano esse susceptum: sin ille tum motus est temeritate imperitorum excitatus, patimini, me delicta vulgi a publica causa separare.

XXV. At enim istam pecuniam huic capere non

Quid Pergami) Vulgo *an id quod Pergami?* Ernestius vel *non id quod Pergami?* vel tantum *quid Pergami?* reponendum esse coniecit. Equidem non dubitavi verum esse *quid Pergami?* scil. *fieri censetis.*

Vna se epistola) Significat id, quod in Maniliana exposuit his verbis: *Vno die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una literarum significatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit*, cap. 3. Mar.

Haec familia) scil. *Flaccorum.*

licuit. Vtrum vultis patri Flacco licuisse, necne? Si licuit, sicuti certe licuit, ad eius honores collatam, ex quibus ipse nihil capiebat, patris pecuniam recte abstulit filius: si non licuit, tamen illo mortuo, non modo filius: sed quivis heres rectissime potuit auferre. Ac tum quidem Tralliani, quum ipsi gravi fenore istam pecuniam multos annos occupavissent, a Flacco tamen omnia, quae voluerunt, impetraverunt: neque tam fuerunt impudentes, ut id, quod Laelius dixit, dicere auderent, hanc ab se pecuniam abstulisse Mithridatem. Quis enim erat, qui non sciret, in ornandis studiosiorem Mithridatem, quam in spoliandis Trallianis fuisse? Quae quidem a me si, ut dicenda sunt, dicerentur, gravius agerem, iudices, quam adhuc egi, quantam Asiaticis testibus fidem habere vos conveniret; revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam universorum civium romanorum per tot urbes, uno puncto temporis, miseram crudelemque caedem; praetores nostros deditos, legatos in vincula coniectos, nominis prope romani memoriam cum vestigio imperii, non modo ex aedibus Graecorum, verum etiam ex literis esse deletam. Mithridatem deum, illum patrem, illum conservatorem Asiae, illum Evium, Nysium, Bacchum, Liberum nominabant. Vnum atque idem erat tempus, quum L. Flacco consuli portas tota Asia claudebat: Cappadocem autem illum non modo recipiebat suis urbibus, verum etiam ultro vocabat. Liceat haec nobis, si obli-

Patri Flacco licuisse) Sic e cod. Faërn. Franc. 1, Memm. aliis edidit Lamb. Beck. Vulgo *Flacci*.

Ex quibus) Hoc est, ex Trallianis ipsis. FERR.

Si non licuit) Nisi quum facturus erat ludos; licuit filio, omni ludorum spe intercepta post eius mortem. ID.

Impetraverunt) Vt illis dimitteret omnem usuram, quam inde perceperant. ID.

visci non possumus, at tacere: liceat mihi potius de levitate Graecorum queri, quam de crudelitate. Auctoritatem isti habeant apud eos, quos esse omnino noluerunt? Nam, quoscumque potuerunt, togatos interemerunt; nomen civium romanorum, quantum in ipsis fuit, sustulerunt. In hac igitur urbe se iactent, quam oderunt? apud eos, quos inviti vident? in ea republica, ad quam opprimendam non animus eis, sed vires defuerunt? Adspiciant hunc florem legatorum laudatorumque Flacci, ex vera atque integra Graecia: tum se ipsi expendant, tum cum his se comparent, tum, si audebunt, dignitati horum anteponant suam.

XXVI. Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur; de quorum urbis possessione, propter pulchritudinem, etiam inter deos certamen fuisse proditum est; quae vetustate ea est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur, et eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur; auctoritate autem tanta est, ut iam fractum prope ac debilitatum Graeciae nomen huius urbis laude nitatur. Adsunt Lacedaemonii; cuius civitatis spectata ac nobilitata virtus, non solum natura corroborata, verum etiam disciplina putatur: qui soli toto orbe terrarum septingentos iam annos amplius unis moribus et unquam mutatis legibus vivunt. Adsunt ex Achaia cuncta multi legati, Beotia, Thessalia; quibus locis nuper legatus L. Flaccus, imperatore Metello, praefuit. Neque vero te, Massilia, praetereo, quae

Se iactent) Edd. vett. nonnullae *iactant*.

Anteponant suam) Sic Graev. e codd. Pal. 2. Franc. 1. quibuscum alii consentiunt. In aliis cod. et edd. est *componant*. Olim in nonnullis edd. *opponant*.

L. Flaccum militem quaestoremque cognosti: cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam: quae tam procul a Graecorum omnium regionibus, disciplinis linguaque divisa, quum in ultimis terris, cincta Gallorum gentibus, barbariae fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes eius instituta laudare facilius possint, quam aemulari. Hisce utitur laudatoribus Flaccus, his innocentiae testibus, ut Graecorum cupiditati Graecorum auxilio resistamus.

XXVII. Quamquam quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Graecorum genera sint vere? quorum uni sunt Athenienses, quae gens Ionum habebatur; Aeoles alteri; Dores tertii nominabantur. Atque haec cuncta Graecia, quae fama, quae gloria, quae doctrina, quae plurimis artibus, quae etiam imperio et bellica laude floruit, parvum quendám locum, ut scitis, Europae tenet, semperque tenuit. Asiae maritimam oram, bello superatam, cinxit urbibus, non ut munitam coloniis illam augeret, sed ut obsessam teneret. Quamobrem quaeso a vobis, Asiatici testes, quum vere recordari voletis, quantum auctoritatis in iudicium afferatis, vosmetipsi describatis Asiam: nec, quid alienigenae de vobis loqui soleant, sed quid vosmetipsi de genere vestro statuatis, memineritis. Namque, ut opinor, Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Vtrum igitur nostrum est, an vestrum hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? Quid de tota

Dicam) Olim legebatur *iure dicam*. Sed *iure* abest MSS. pluribus; et deleverunt Lamb. Graev. Ern.

Habebatur) *Habetur* codd. Oxx. tres ed. Ven. Herv. probante Garatono.

Quid de tota Caria) Fortasse legendum: *Quid? de Caria nonne* —

Caria? nonne hoc vestra voce vulgatum est, si quid cum periculo experiri velis, in Care id potissimum esse faciendum? Quid porro in graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? quis unquam Graecus comoediam scripsit, in qua servus primarum partium non Lydus esset? Quamobrem quae vobis fit iniuria, si statuimus, vestro nobis iudicio standum esse de vobis? Equidem mihi iam satis superque dixisse videor de Asiatico genere testium: sed tamen vestrum est, iudices, omnia, quae dici possunt in hominum levitatem, inconstantiam, cupiditatem, etiamsi a me minus dicuntur, vestris animis et cogitatione comprehendere.

XXVIII. Sequitur auri illa invidia Iudaici. Hoc nimirum est illud, quod non longe a gradibus Aureliis haec causa dicitur. Ob hoc crimen hic locus abs te, Laeli, atque illa turba quaesita est. Scis, quanta sit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. Summissa voce agam, tantum ut iudices audiant. Neque enim desunt, qui istos in me, atque in optimum quemque incitent: quos ego, quo id facilius faciant, non adiuvabo. Quum aurum, Iudaeorum nomine, quotannis ex Italia, et ex omnibus provinciis, Hierosolyma exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, iudices, qui hoc non vere laudare possit? Exportari aurum non oportere, quum saepe antea senatus, tum, me con-

In Care) Proverbium erat ἐν Καρὶ κίνδυνος.

A gradibus Aureliis) Circa quos Iudaea gens versari solebat. MANUT. *Gradus Aurelii*, forum Aurelium, et tribunal Aurelium a Cicerone saepe dicitur. SYLV.

Ex omnibus provinciis) Vulgo edebatur *ex omnibus vestris provinciis*. At *vestris* non est in MS. Guelf. quatuor Oxx. edd. Med. Iunt. Itaque delevit Ern. Non enim loquitur ad populum. In iudicio dixisset potius *nostris*.

sule, gravissime iudicavit. Huic autem barbarae superstitioni resistere, severitatis: multitudinem Iudaeorum, flagrantem nonnunquam in concionibus, pro republica contemnere, gravitatis summae fuit. At Cn. Pompeius, captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, sapienter, quod in tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim, credo, religionem et Iudaeorum, et hostium, impedimento praestantissimo imperatori, sed pudorem, fuisse. Vbi ergo crimen est? quoniam quidem furtum nusquam reprehendis, edictum probas, iudicatum fateris, quaesitum et prolatum palam non negas, actum esse per viros primarios res ipsa declarat. Apameae manifesto comprehensum, ante pedes praetoris in foro expensum est auri pondo centum paulo minus per Sex. Caesium, equitem romanum, castissimum hominem atque integerrimum; Laodiceae viginti pondo paulo amplius per hunc ipsum L. Peducaeum, iudicem nostrum; Adramyttii per Cn. Domitium, legatum; Pergami non multum. Auri ratio constat; aurum in aerario est. Furtum non reprehenditur; invidia quaeritur; a iudicibus oratio avertitur; vox in coronam turbamque effunditur. Sua cuique civitati religio, Laeli, est, nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisque Iudaeis, tamen istorum religio sacrorum a splendore huius imperii, gravitate nominis nostri, maiorum institutis, abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quam cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata.

Iudicatum) Agebat enim per iudices Flaccus, in auro deprehendendo, quod Hierosolymam deferebatur. F.

Comprehensum) *Deprehensum* cod. Car. Steph. ed. Lamb.

Quod elocata) MS. Guelf. *locata*.

XXIX. Quamobrem, quoniam, quod crimen esse voluisti, id totum vides in laudem esse conversum: veniamus iam ad civium romanorum querelas. Ex quibus sit sane prima Deciani. Quid tibi tandem, Deciane, iniuriae factum est? Negotiaris in libera civitate. Primum patere, me esse curiosum. Quousque negotiabere? praesertim quum sis isto loco natus. Annos iam triginta in foro versaris; sed tamen in Pergameno. Longo intervallo, si quando tibi peregrinári commodum est, Romam venis: affers faciem novam, nomen vetus, purpuram Tyriam. In qua tibi invideo, quod unis vestimentis tamdiu lautus es. Verum esto: negotiari libet; cur non Pergae? Smyrnae? Trallibus? ubi et multi cives romani sunt, et ius a nostro magistratu dicitur? Otium te delectat; lites, turba, praetor, odio est; Graecorum libertate gaudes. Cur ergo unus tu Apollonidenses, amantissimos populi romani fidelissimosque socios, miseriores habes, quam aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuit unquam?

Graevius maluit *quod est pacata*; quia Iudaea a Pompeio victa quidem fuit et vectigalis reddita, nondum tamen in provinciae formam redacta nec publicanis elocata.

Quod servata) Ed. Iunt. *serva.* Pantagath. coni. *enervata.* Cos. Scalig. *serva facta.* Manut. *servata* fortasse valere coniicit i. q. observata, in custodias tradita et quasi obsessa. Si in cod. aliquo legeretur: *quod est victa*, *quod subacta*, *quod elocata*, nihil superesset incommodi. — *Servata*) Beneficio victoris, qui iure belli universam gentem interficere potuisset. Ferr.

Purpuram Tyriam) Angusti clavi; neque enim puto illum adeptum fuisse magistratus, quum perraro Romam veniret, adeo ut nova semper facie videretur, et eadem semper per tot annos tunica uteretur, eademque lauta; quod paucissimos dies Romae maneret. Ferr.

Non Pergae) Ita Victor. quem plerique sequuti sunt. Et Camerar. sic legi testatur in libro Veneto. Vulgo olim *Pergami.*

Miseriores habes) Facis, ut sint miseriores. Habemus aliquem miserum, habemus sollicitum, ut Terent. *Omnes sollicitos habemus servos.* Catt.

Pater tuus) Videtur igitur pater Deciani ante quam tribunus plebis factus esset, in Asia fuisse, ibique Apollonidenses nescio quomodo vexasse. Ern. aliique accipiunt de saevitia feneratoria patris Apollonide negotiantis.

cur his per te frui libertate sua, cur denique esse liberis non licet? Homines sunt tota ex Asia frugalissimi, sanctissimi, a Graecorum luxuria et levitate remotissimi, patresfamilias suo contenti, aratores, rusticani; agros habent et natura perbonos, et diligentia culturaque meliores. In hisce agris tu praedia habere voluisti. Omnino mallem (et magis erat tuum, si te crassi agri delectabant) hic alicubi in Crustumino, aut in Capenati paravisses. Verum esto: Catonis est dictum: Pedibus compensari pecuniam. Longe omnino a Tiberi ad Caicum: quo in loco etiam Agamemnon cum exercitu errasset, nisi ducem Telephum invenisset. Sed concedo id quoque; placuit oppidum; regio delectavit; emisses. Amyntas est genere, honore, existimatione, pecunia, princeps illius civitatis. Cuius socrum, mulierem imbecilli consilii, satis locupletem, pellexit Decianus ad sese; et, quum illa, quid ageretur, nesciret, in possessione praediorum eius familiam suam collocavit; uxorem abduxit ab Amynta praegnantem, quae peperit apud Decianum filiam: hodieque apud Decianum est uxor Amyntae et filia. Nunquid harum rerum a me fingitur, Deciane? Sciunt haec omnes nobiles, sciunt boni viri, sciunt denique nostri homines, sciunt mediocres negotiatores. Exsurge Amynta; repete a Deciano, non pecuniam, non praedia; socrum denique sibi habeat; restituat uxorem; reddat misero patri filiam. Nam membra, quae

Habere voluisti) Non, emere, sed, habere; quia fraude occupaverat. MAN.

Capenati) Crustumium et Capena erant Hetruriae oppida, ubi agri uberrimi. AN.

Pedibus compensari pecuniam) Quia quo minoris emuntur, eo laboriosus visuntur longinqui agri; et quod in pecunia lucrum fit, pedum labore compensetur. MAN.

Ad Caicum) Phrygiae fluvium, ex Mysia fluentem. ID.

Emisses) Saltem emisses, non dolo occupasses, *vel*: sed certe emere debebas. FER.

Familiam suam) h. e. servos.

debilitavit lapidibus, fustibus, ferro; manus, quas contudit; digitos, quos confregit, nervos, quos concidit, restituere non potest. Filiam, filiam, inquam, aerumnoso patri, Deciane, redde. Haec Flacco non probasse te miraris? cui, quaeso, tandem probasti? Emptiones falsas, praediorum proscriptiones cum mulierculis, aperta circumscriptione, fecisti. Tutor his rebus Graecorum legibus adscribendus fuit. Polemocratem scripsisti, mercenarium et administrum consiliorum tuorum. Adductus est in iudicium Polemocrates de dolo malo et de fraude a Dione, huius ipsius tutelae nomine. Qui concursus ex oppidis finitimis undique? qui dolor animorum? quae querela? Condemnatus est Polemocrates sententiis omnibus, irritae venditiones, irritae proscriptiones. Num restituis? Defers ad Pergamenos, ut illi reciperent in suas literas publicas praeclaras proscriptiones et emptiones tuas. Repudiant, reiiciunt. At qui homines? Pergameni, laudatores tui. Ita enim mihi gloriari visus es laudatione Pergamenorum, quasi honorem maiorum tuorum assequutus esses: et hoc te superiorem putabas esse, quam Laelium, quod te civitas Pergamena laudaret. Num honestior est civitas Pergamena, quam Smyrna? at ne ipsi quidem dicunt.

XXXI. Vellem tantum habere otii, ut possem recitare psephisma Smyrnaeorum, quod fecerunt in Castricium mortuum: primum, ut in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur; deinde, ut ferrent ephebi; postremo, ut imponeretur aurea corona mortuo. Haec P. Scipioni, clarissimo viro, quum esset

Circumscriptione) Impostura et manifesta fraude. *Circumvenire*, et *circumscribere*, fallere ac decipere significat. Cam.

Num restituis) Sic Ern. Olim *non restituis.*

Haec P. Scipioni) Ei qui Tib. Gracchum occidit: quo facto Pergamum in exsilium abiit. Max.

Pergami mortuus, facta non sunt. At Castricium quibus verbis, dii immortales! *decus patriae*, *ornamentum populi romani*, *florem iuventutis* appellant. Quare, Deciane, si cupidus es gloriae, alia ornamenta censeo quaeras. Pergameni te deriserunt. Quid? tu ludi te non intelligebas, quum tibi haec recitabant, *clarissimum virum*, *praestantissima sapientia*, *singulari ingenio*? mihi crede, ludebant. Quum vero coronam auream literis imponebant, re vera non plus aurum tibi, quam monedulae committebant. Ne tum quidem hominum venustatem et facetias perspicere potuisti? Isti igitur, isti Pergameni proscriptiones, quas tu afferebas, repudiaverunt. P. Orbius, homo et prudens et innocens, contra te omnia decrevit.

XXXII. Apud P. Globulum, meum necessarium, fuisti gratiosior. Vtinam neque ipsum neque me poeniteret! Flaccum dicis vi et iniuria decrevisse, motum paternis odiis. Verasque adiungis causas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, aedili curuli, pater tuus,

Literis imponebant) H. e. quum tibi psephismate perscripta coronam auream imponendam decernebant. — *Imponebant*) Erat in literis, ut donaretur Decianus corona aurea, sed reipsa non fuit ea corona donatus: neque enim periculosum est aurum credere rapaci Deciano, ac Monedulae, quae avis aurum furari dicitur. Ferr.

Monedulae) Olim corrupte *monedium*. Lectionem *monedulae* Peutingerus eruit ex Isidori Origg. XII, 7.

Proscriptiones) Ed. Cratandr. *perscriptiones*. Veram lectionem *proscriptiones* dedit Camerar. Eandem e cod. Steph. ascivit Lambio. — *Proscriptiones*) Praediorum, quae Decianus a se empta dicebat. Man.

P. Orbius) Tres Asiae praetores nominat, P. Orbium, P. Globulum, L. Flaccum. Orbius, inquit, contra te decrevit: in Globulum fuisti gratiosior, id est munera contulisti: ideo nihil contra te decrevit. Flaccum decrevisse fateris, verum inimicitiis et iracundia incitatum. Id.

Apud P. Globulum) Ita necessario legendum pro vulg. *In P. Globulum*.

Flaccum — odiis) Vulgo corrupte *Flaccum in curia decrevissent*. In codd. Steph. *Flaccus vi et iniuria decrevit motus paternis odiis*, quam lectionem paucis mutatis secutus sum. Lamb. malebat *Flaccum elatum iracundia decrevisse dicis*. *Et vero* —

Verasque) Sic cod. Steph. Recte. Vulg. *Veridicas*.

Aedili curuli) A. V. C. 654. M. Antonio, A. Postumio Albino coss.

Pater tuus) C. Decianus.

tribunus plebis, diem dixerit. At istud ne ipsi quidem patri Flacci valde molestum esse debuit: praesertim quum ille, cui dies dicta est, praetor postea factus sit, et consul; ille, qui diem dixit, non potuerit privatus in civitate consistere. Sed, si iustas inimicitias putabas, cur quum tribunus militum Flaccus esset, in eius legione miles fuisti, quum tibi per leges militares effugere liceret iniquitatem tribuni? Cur autem praetor te, inimicum paternum, in consilium vocavit? quae quidem quam sancte solita sint observari, scitis omnes. Nunc accusamur ab iis, qui in consilio nobis fuerunt. « Decrevit Flaccus. » Num aliud, atque oportuit? « In liberos. » Num aliter, ac censuit senatus? « In absentem decrevit. » Quum ibidem esses, quum prodire nolles. Non est hoc in absentem reum decernere. SENATVSCONSVLTVM, ET DECRETVM FLACCI. Quid, si non decrevisset, sed edixisset? quis posset vere reprehendere? Num etiam fratris mei literas, plenissimas humanitatis et aequitatis, reprehensurus es? quas easdem mulieri a me datas, apud Pataranos requisivit. Recita literas Q. Ciceronis. LITERAE Q. CICERONIS. Quid? haec Apollonidenses, occasione facta,

Consul) Praetor fuit L. Valerius Flaccus pater A. V. C. 658, consul suffectus A. V. 667.

Consistere) Nempe post tribunatum Decianus pater iudicio damnatus exsulavit.

In consilium) Vt iudex esses. In quo tibi honorem habuit, oblitus inimicitiarum, quae patri tuo cum illius patre fuerant. MAN.

Quae quidem quam sancte solita sint observari.) Quaenam? fuisse militem in eius legione, vocatum ab eo esse in consilium: quae tu, Deciane, non observas: Flaccum enim accusas. MAN.

Nobis) Συνεκδοχικῶς, id est, a mea parte et Flacco. CAM.

Decernere) addidi auctoritate cod. Steph.

Edixisset) Vet. cod. Vrsini *dixisset*. Augustin. malebat *addixisset*. — *Sed edixisset*) Quod pro imperio fit: quum decernatur iure, causa cum consilio cognita. MAN.

Apud Pataranos) Pantagathus h. l. sic emendandum censuit: *num — reprehensurus, queis easdem mulieres amandatas apud Pataranos requisivit*. Scil. Q. Cicero Amyntae uxorem et filiam a Deciano Pataram amandatas literis requisivit.

nonne ad Flaccum detulerunt? Apud Orbium acta non sunt? ad Globulum delata non sunt? Ad senatum nostrum, me consule, nonne legati Apollonidenses omnia postulata de iniuriis unius Deciani detulerunt? At haec praedia etiam in censu dedicavisti. Mitto, quod aliena; mitto, quod possessa per vim; mitto, quod convicta ab Apollonidensibus; mitto, quod a Pergamenis repudiata; mitto etiam, quod a nostris magistratibus in integrum restituta; mitto, quod nullo iure, neque in re, neque in possessione tua. Illud quaero, sintne ista praedia censui censendo; habeant ius civile; sint, necne sint, mancipi; subsignari apud aerarium, apud censorem possint. In qua tribu denique ista praedia censuisti? Commisisti, si tempus aliquod gravius accidisset, ut ex iisdem praediis et Apollonide et Romae imperatum esset tributum. Verum esto: gloriosus fuisti, voluisti magnum agri modum censeri, et eius agri, qui dividi plebi romanae non potest. Census es praeterea numeratae

Nonne ad Flaccum detulerunt) Inserui *nonne* vulgo omissum. Pro *occasione* Lamb. maluit *censione* Guliel. *concursione*.

Orbium) Qui A. V. C. 690 propraetor Asiae fuit, successitque P. Servilio Globulo.

At haec) Sic ait Ern. se edidisse pro vulg. *Ad haec*. Enim vero iam Lambinus, Graevio probante, sic legendum coniecerat. Erravit autem Ern. quum in his verbis inesse obiectionem Deciani putavit.

In censu) *In censum* scribi voluit post Cuiacium et Lipsium Gronov. de Pec. vet. IV, 1. — *In censu dedicavisti*) Professus es, in censum retulisti. MAN.

Dedicavisti) Lamb. coni. *dicasti*. Pantagath. *iudicavisti*.

Convicta ab Apollonidensibus) Iudicio tibi adempta ab Apollonidensibus, condemnatione Polemocratis. ID.

Censui censendo) Non poterant censeri, adeoque subsignari bona, quae non haberent ius civile: et non essent mancipi, hoc est, nisi ita essent sua, ut possent abalienari. FERR.

Subsignari) Id est in tabulas publicas referri. MAN.

Tempus aliquod) Bellum eiusmodi, ut ubique tributum imperari necesse esset. ID.

Esset tributum) Nam Apollonide censebantur nomina Amyntae, Romae nomine Deciani. FERR.

Dividi — non potest) Quia in liberas civitates deduci coloniae non poterant. ID.

pecuniae centum triginta HS millia. Eam opinor tibi numeratam non esse abs te. Sed haec omitto. Census es mancipia Amyntae. Neque huic ullam in eo fecisti iniuriam. Possidet enim ea mancipia Amyntas. Ac primo quidem pertimuit, quum te audisset servos suos esse censum. Retulit ad iurisconsultos. Constabat inter omnes, si aliena censendo Decianus sua facere posset, [maximam habiturum esse rerum omnium copiam. Responsum est, eius facta non videri. Idem visum est postea Flacco, quum rem cognosceret: itaque decrevit.]

XXXIII. Habetis causam inimicitiarum, qua causa inflammatus Decianus ad Laelium detulerit hanc opimam accusationem. Nam ita questus est Laelius, quum de perfidia Deciani diceret: « Qui mihi auctor fuit, qui causam ad me detulit, quem ego sum sequutus: is a Flacco corruptus est, is me deseruit ac prodidit. » Siccine tu auctor tandem eum, cui tu in consilio fuisses, apud quem omnes gradus dignitatis tuae retinuisses, pudentissimum hominem, nobilissima familia natum, optime de republica meritum, in discrimen omnium fortunarum vocavisti? Sed defendam Decianum, qui tibi in suspicionem nullo suo delicto venit. Non est, mihi crede, corruptus. Quid enim fuit, quod ab eo redimeretur? ut duceret iudicium? cui sex horas omnino

Centum triginta millia) Quum haec summa nimis parva sit, Manutios coni. legendum esse CXXX HS. h. e. *centies tricies*. Haec tamen modum facultatum Deciani longe superare videbatur. Fortasse verum est *tricies* HS.

Maximam habiturum esse rerum omnium copiam) Haec Henr. Steph. e cod. suo *protulit* vulgo omissa. In Lambini cod. adscriptum erat in margine *maximam habiturum esse familiam*; una cum ceteris quae sequuntur: *Responsum est — decrevit.*

Sed defendam) *Scilicet defendam* (ironice) quod placuit Manutio, ediderunt Graev. Oliv. Lall. et al.

Redimeretur) Quod ab eo Flaccus emeret. MAN.

Vt duceret iudicium) Hoc est, ut produceret, ut moram necteret. CAM.

Sex horas omnino lex dedit) Tres

lex dedit. Quantum tandem ex his horis detraheret, si tibi morem gerere voluisset? Nimirum illud est, quod ipse suspicatur. Invidisti ingenio subscriptoris tui. Quod ornabat facete locum, quem prehenderat, et acute testes interrogabat, aut circumveniebat; fortasse fecisset, ut tu populi sermone excideres. Idcirco Decianum usque ad coronam applicuisti. Sed, ut hoc verisimile est, ita haud verisimile, Decianum a Flacco esse corruptum. Ita scitote, iudices, esse cetera: vel quod ait Lucceius, L. Flaccum sibi dare cupisse, ut a fide se abduceret, sestertium vicies. Et eum tu accusas avaritiae, quem dicis sestertium vicies voluisse perdere? nam quid emebat, quum te emebat? ut ad se transires? quam partem causae tibi daremus? An ut enuntiares consilia Laelii? qui testes ab eo prodirent? quid? nos non videbamus habitare una? quis hoc nescit? tabulas in Laelii potestate fuisse, num dubium est? An, ne vehementer, ne copiose accusares? Nunc facis suspicionem, ita enim dixisti, ut nescio quid abs te impetratum esse videatur.

XXXIV. At enim Androni Sextilio gravis iniuria facta est, et non ferenda: quod, quum esset uxor eius Valeria intestato mortua, sic egit eam rem Flaccus, quasi

accusatori, totidem defensori in causa repetundarum. MAN.

Subscriptoris tui) Subscriptores dicebantur, qui faventes accusatori, et accusationem una facientes, subscribebant ad accusatoris nomen suum nomen in reum. CAM.

Facete) *Facete* cum Lamb. scripsi pro vulg. *facile*.

Fortasse fecisset — excideres) Sic Manut. Vulgo *fortasse fecistis et tu et populi sermo, ne exciperes.—Fortasse fecisset* etc.) Hoc est: Si locum, inquit, illi tanquam subscriptori tuo eiusdem agendae causae dedisses, fortasse tuam laudem obscurasset. M.

Idcirco Decianum usque ad coronam applicuisti) Haec nemo explicavit. Sine dubio sunt corrupta. Fortasse legendum: *idcirco Decianum perfidiae accusasti, teque ad coronam applicuisti*; i. e. his querelis populo te et coronae dedisti.

Nunc facis) Lamb. coni. *iacis*.

Ita enim dixisti) Ita frigide, ita ieiune Flaccum accusasti, ut corruptus ab eo videri possis. MAN.

Quasi ad ipsum) Quod Valeriae

ad ipsum hereditas pertineret. In quo quid reprehendas, scire cupio. Quod falsum intenderit? qui doces? Ingenua, inquit, fuit. O peritum iuris hominem! Quid? ab ingenuis mulieribus hereditates lege non veniunt? In manum, inquit, convenerat. Nunc audio. Sed quaero, usu, an coëmptione? Vsu non potuit. Nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate deminui. Coëmptione? Omnibus ergo auctoribus. In quibus certe Flaccum fuisse non dices. Relinquitur illud, quod vociferari non destitit, non debuisse, quum praetor esset, suum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis. Maximas audio tibi, L. Luculle, qui de L. Flacco sententiam laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximisque beneficiis in tuos, venisse hereditates, quum Asiam provinciam consulari imperio obtineres. Si quis eas suas esse dixisset, concessisses? Tu, T. Vetti, si qua tibi in Africa venerit hereditas, usu amittes? an tuum, nulla avaritia, salva dignitate, retinebis? At istius hereditatis, iam Globulo praetore, Flacci nomine, petita possessio est. Non igitur impressio, non occasio, non vis, non tempus, non imperium, non secures ad iniuriam faciendam Flacci animum impulerunt. Itaque eodem etiam M. Lurco, vir optimus, meus familiaris convertit aculeum testimonii sui. Negavit, a privato pecuniam in provincia praetorem petere oportere. Cur tandem, M. Lurco, non oportet? Eripere, extorquere, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, nunquam ostendes, nisi docueris non licere. An legationes

propinquus esset, et illa intestato esset mortua. Man.

Destitit) Sic Faërn. Lambin. etc. Olim *desistit*.

T. Vetti) *T. Vettius Index* h. a. praetor fuit, et in hoc iudicio quaesitor. Olim ante Manut. et Lambin. legebatur *T. Vecti*, quod Ern. quoque servavit. Melius Beckius revocavit *Vetti*.

Vsu amittes?) Permittes, ut usucapione alius acquirat? Fern.

sumere liberas, exigendi causa, sicut et tu ipse nuper, et multi viri boni saepe fecerunt, rectum est; quod ego non reprehendo; socios video queri: praetorem, si hereditatem in provincia non reliquerit, non solum reprehendendum, verum etiam condemnandum putas?

XXXV. « Doti, inquis, Valeria pecuniam omnem suàm dixerat. » Nihil istorum explicari potest, nisi ostenderis, illam in tutela Flacci non fuisse. Si fuit, quaecumque sine hoc auctore est dicta dos, nulla est. Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo orationi suae, tamen iratum Flacco esse vidistis, neque enim occultavit causam iracundiae suae, neque reticendam putavit. Questus est, libertum suum, Flacco praetore, esse damnatum. O conditiones miseras administrandarum provinciarum! in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum; ubi severitas periculosa est, liberalitas ingrata; sermo insidiosus, assentatio perniciosa; frons omnium familiaris, multorum animus iratus; iracundiae occultae, blanditiae apertae; venientes praetores exspectant, praesentibus inserviunt, abeuntes deserunt. Sed omittamus querelas, ne nostrum consilium in praetermittendis provinciis laudare videamur. Literas misit de

Non reliquerit) In MSS. Faërn. et Memm. aberat *non*. Itaque Lambin. conj. *hereditatem in provincia creverit*. Vulgatum tamen *non reliquerit* est in plerisque MSS. et edd. vett.

Inquis) Recepi *inquis* quod Beckio placuit, pro vulgo *inquit*.

In tutela) Cod. Dresd. Barb. ed. Ven. pr. *in tutelam*.

Orationi suae) Sic rescripsi pro vulg. *religioni suae*, quod ferri non posse vidit Ernestius. Ille igitur pro *moderatus* legendum putabat *obsequutus*, vel *obtemperavit*. Facilior autem est correctio nostra. *Et moderatus est orationi suae* significat, quod nos dicimus: *Er wusste sich in seinem Ausdrucke zu massigen*. Et sic dicitur L. Fr. 1, 1: *animo et orationi moderari*.

Praetermittendis provinciis) Quum scilicet e consulatu in provinciam ire noluit, quum postea consilium mutaverit, et in Ciliciam iverit. Edd. ante Lamb. *omittendis*.

Literas misit) Flaccus. *Anon.*

villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus caedem fecerat: Septimium ardentem iracundia videre potuistis. In Lurconis libertum iudicium ex edicto dedit. Hostis est Lurco. Quid igitur? hominum gratiosorum splendidorumque libertis fuit Asia tradenda? an simultates, nescio quas, cum libertis vestris Flaccus exercet? an vobis in vestris vestrorumque causis severitas odio est; eandem laudatis, quum de nobis iudicatis?

XXXVI. At iste Andro, spoliatus bonis, ut dicitis, ad dicendum testimonium non venit. Quid, si veniat? Decisionis arbiter C. Caecilius fuit. Quo splendore vir? qua fide? qua religione? obsignator C. Sextilius, Lurconis sororis filius, homo et pudens et constans et gravis. Si vis erat, si fraus, si metus, si circumscriptio: quis pactionem fieri, quis adesse istos coëgit? Quid, si ista omnis pecunia huic adolescentulo, L. Flacco, reddita est? si petita? si redacta? si per hunc Antiochum, paternum huius adolescentis libertum, seni illi Flacco probatissimum? videmurne non solum avaritiae crimen effugere, sed etiam liberalitatis laudem assequi singularem? Communem enim hereditatem, quae aequaliter ad utrumque lege venisset, concessit adolescenti, propinquo suo: nihil ipse attigit de Valerianis bonis. Quod statuerat facere, adductus huius pudore, et non amplissimis patrimonii copiis, id non solum fecit, sed etiam prolixe cumulateque fecit. Ex quo intelligi debet, eum contra leges pecunias non

Decisionis arbiter C. Caecilius fuit) Testis transactionis, qui praesto fuit quum paciscerentur, tanquam testis. *Decidere* enim est transigere. Graev.

Obsignator) Non pecuniae, ut vult Manutius, sed pactionis, seu decisionis. *Obsignator* est hic, qui aliter dicitur *signator*. Sic *signatores testamentorum*, sunt testes, arbitri, qui testamento subscribunt nomina, et id suis signis obsignant. Id.

Seni illi Flacco) Patri huius Flacci, quem Cicero defendit.

cepisse, qui tam fuerit in hereditate concedenda liberalis.

XXXVII. At Falcidianum crimen est ingens. Talenta quinquaginta se Flacco dicit dedisse. Audiamus hominem. Non adest. Quomodo igitur dicit? Epistolam mater eius profert, et alteram soror: scriptum ad se dicunt esse ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. Ergo is, cui si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam, quod volet, iniuratus probabit? At qui vir? quam non amicus suis civibus? qui patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere potuit, Graecorum conviviis maluit dissipare. Quid attinuit relinquere hanc urbem? libertate tam praeclara carere? adire periculum navigandi? quasi bona comesse Romae non liceret. Nunc denique materculae suae festivus filius, aniculae minime suspiciosae, purgat se per epistolam, ut eam pecuniam, quacum traiecerat, non consumsisse, sed Flacco dedisse videatur. At fructus isti Trallianorum, Globulo praetore venierant. Falcidius emerat HS nongentis millibus. Si dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, ut rata sit emptio. Emit igitur aliquid, quod certe multo pluris esset; dat de lucro: nihil detrahit de vivo. Minus igitur lucri facit. Cur Albanum venire iubet? cur matri praeterea blanditur? cur epistolis et sororis et matris imbecillitatem aucupatur? postremo cur non audimus ipsum?

Cui si) Vulgo *qui si*. At *cui si* ex emendatione Graevii recepit Beck.

Quacum traiecerat) MSS. Franc. Guelf. al. *quam traiecerat*.

Venierant) Sic edd. ante Lambin. it. codd. Oxx. quinque. Lamb. dedit *venierunt*. Eum sequuti sunt alii. Beckius antiquam lectionem restituit.

Si dat) Incipit argumentari: quae quidem argumentatio est obscura nobis, quibus negotium non est notum. CAMER.

Nihil detrahit de vivo) De eo quanti est, quod emisti. CAM. — Lucrum et vivum in emptione sunt ad hunc modum: si quis rem valentem triginta scutatos, viginti scutatis emat, *vivum* est viginti scutati, *lucrum* decem. SYLV.

Retinetur, credo, in provincia, mater negat. Venisset, inquit, si esset denuntiatum. Tu certe coëgisses, si ullum firmamentum in illo teste posuisses. Sed hominem ab negotio abducere noluisti. Magnum erat ei certamen propositum, magna cum Graecis contentio: qui tamen, ut opinor, iacent victi. Nam iste unus totam Asiam magnitudine poculorum bibendoque superavit. Sed tamen quis tibi, Laeli, de epistolis istis indicavit? mulieres negant se scire. Quis is est igitur? ille ipse tibi, se ad matrem et sororem scripsisse, narravit? an etiam scripsit oratu tuo? At vero M. Aebutium, et constantissimum et pudentissimum hominem, Falcidii affinem, nihil interrogas? nihil eius generum, pari fide praeditum, C. Manilium? qui profecto de tanta pecunia, si esset data, nihil audisse non posset. His tu igitur epistolis, Deciane, recitatis, his mulierculis productis, illo absente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putasti? praesertim, quum ipse non deducendo Falcidium, iudicium feceris, plus falsam epistolam habituram ponderis, quam ipsius praesentis fictam vocem et simulatum dolorem?

XXXVIII. Sed quid ego de epistolis Falcidii, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani censu tamdiu disputo et expostulo, de salute omnium nostrum, de fortunis civitatis, de summa reipublicae taceo? quam vos universam in hoc iudicio vestris humeris,

Ab negotio) locatur. Nullum enim erat Falcidio in Graecia negotium, nisi ut pergraecaretur, id est cum Graecis ipsis, graeco more bibendo, contenderet. MANUT.

Quis is est igitur? ille ipse tibi) Graev. in Med. Garat. in edd. 1483 legi testantur. *Quid est igitur? ille tibi* Grul. e codd. suis edidit: *negant se scire, qui sis. Ipse igitur ille tibi.*

Oratu) Pal. 1, 2 *hortatu*, Franc. 1 *ornatu*. Naug. edidit *rogatu*.

Iudicium) MS. Franc. *indicium*, quod probavit Graev.

Disputo et expostulo) Sic Lamb. e codd. Memm. Vulgo *disputo postulo*. Ern. delevit *postulo*.

De summa reipublicae) *De summa republica* Lambin. Lallem.

vestris, inquam, humeris, iudices, sustinetis. Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur. Quum alia multa certi homines, tum hoc vel maxime moliuntur, ut vestrae quoque mentes, vestra iudicia, vestrae sententiae, optimo cuique infestissimae atque inimicissimae reperiantur. Gravia iudicia, pro reipublicae dignitate, multa de coniuratorum scelere fecistis; non putant satis conversam rempublicam, nisi in eandem impiorum poenam optime meritos cives detruserint. Oppressus est C. Antonius. Esto: habuit quandam ille infamiam suam: neque tamen ille ipse, pro meo iure dico, vobis iudicibus damnatus esset; cuius damnatione sepulcrum L. Catilinae, floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est: iusta Catilinae facta sunt. Nunc a Flacco Lentuli poenae per vos expetuntur. Quam potestis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum coniugumque vestrarum trucidatos, incendio patriae sepelire conatus est, mactare victimam gratiorem, quam si L. Flacci sanguine illius nefarium in nos omnes odium saturaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus eiectos: nimiae pietatis et summi amoris in patriam vicissim nos poenas, si ita placet, sufferamus. Nos iam ab indicibus nominamur; in nos crimina finguntur; nobis pericula comparantur. Quae si per alios agerent; si denique per populi nomen civium imperitorum multitudinem concitassent; aequiore animo ferre possemus. Illud vero ferri non potest, quod per senatores et per equites romanos, qui haec omnia pro salute omnium, communi consilio, una mente

Lentuli) P. Lentuli Surae in coniuratione Catilinae socii, et cum aliis iussu Senatus interfecti.

atque virtute gesserunt, harum rerum auctores, duces, principes spoliari omnibus fortunis, atque civitate expelli posse arbitrantur. Etenim populi romani perspiciunt iam mentem et voluntatem; omnibus rebus, quibus potest, populus romanus significat, quid sentiat; nulla varietas est inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla sermonis.

XXXIX. Quare, si quis illuc me vocat, venio: populum romanum disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deposco. Vis absit; ferrum ac lapides removeantur; operae facessant; servitia sileant. Nemo erit tam iniustus, qui me audierit, sit modo liber et civis, quin potius de praemiis meis, quam de poena cogitandum putet. O dii immortales! Quid hoc miserius? Nos, qui P. Lentulo ferrum et flammam de manibus extorsimus, imperitae multitudinis iudicio confidimus, lectissimorum civium et amplissimorum sententias pertimescimus. M'Aquillium patres nostri multis avaritiae criminibus testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, iudicio liberaverunt. Consul ego nuper defendi C. Pisonem: qui quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est reipublicae conservatus. Defendi item consul L. Murenam, consulem designatum. Nemo illorum iudicum, clarissimis viris accusantibus, audiendum sibi de ambitu putavit, quum, bellum iam gerente Catilina, omnes, me auctore, duos consules Calendis Ianuariis scirent esse oportere. Innocens et bonus vir, et omnibus rebus ornatus, bis hoc anno, me defendente,

Lentuli poenae per vos expetuntur) Damnatione Flacci sperant fore, ut placentur manes Lentuli. Camer.

Atque virtute) Codd. Faer. edd. Lamb. Graev. Beck. *ac virtute.*

Atque civitate) *Ac de civitate* edd. Naug. Man. Herv. al.

Operae facessant) Operarii, quorum auxilio improbi utebantur ad vim faciendam, recedant, absint. Sylv.

absolutus est A. Thermus. Quanta, reipublicae causa, laetitia populi romani, quanta gratulatio consecuta est? Semper graves et sapientes iudices in rebus iudicandis, quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid reipublicae tempora poscerent, cogitaverunt. Quum tabella vobis dabitur, iudices, non de Flacco dabitur solum; dabitur de ducibus auctoribusque conservandae civitatis; dabitur de omnibus bonis; dabitur de vobismetipsis; dabitur de liberis vestris, de vita, de patria, de salute communi. Non iudicatis in hac causa de exteris nationibus, non de sociis; de vobis ac de vestra republica iudicatis.

XL. Quod si provinciarum vos ratio magis movet, quam vestra: ego vero non modo non recuso, sed etiam postulo, ut provinciarum auctoritate moveamini. Etenim opponemus Asiae provinciae primum magnam partem eiusdem provinciae, quae pro huius periculis legatos laudatoresque misit; deinde provinciam Galliam, provinciam Ciliciam, provinciam Hispaniam, provinciam Cretam; Graecis autem, Lydis et Phrygibus et Mysis obsistent Massilienses, Rhodii, Lacedaemonii, Athenienses, cuncta Achaia, Thessalia, Boeotia. Septimio et Caelio, testibus, P. Servilius et Q. Metellus, huius pudoris integritatisque testes repugnabunt. Asiaticae iurisdictioni urbana iurisdictio respondebit. Annui temporis criminationis omnis aetas L. Flacci et perpetua vita defendet. Et si prodesse

Omnibus bonis) Vulgo additur *civibus*, quod Lamb. auctoritate codd. MSS. omisit; probante Ern. Beckius uncis inclusit.

Q. Metellus) Sic recte Nang. Man. Lamb. Beck. Est Q. Metellus Creticus, cui Flaccus legatus fuit in bello Cretensi. Perperam in codd. nonnullis et edd. Ven. utraque *M. Metellus* Grut. e codd. Pall. al. *A. Metellus*.

Urbana iurisdictio respondebit) Nam praetor urbanus fuit Flaccus, cuius iurisdictio in summo et periculosissimo reip. tempore etiam ab inimicis laudatur. CAMRA.

L. Flacco, iudices, debet, quod se tribunum militum, quod quaestorem, quod legatum imperatoribus clarissimis, exercitibus ornatissimis, provinciis gravissimis, dignum suis maioribus, praestitit: prosit, quod hic, vobis videntibus, in periculis communibus omnium vestrum sua pericula cum meis coniunxit: prosint honestissimorum municipiorum coloniarumque laudationes; prosit etiam senatus populique romani praeclara et vera laudatio. O nox illa, quae paene aeternas huic urbi tenebras attulisti! quum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, coniurati ad ferrum et flammam vocabantur; quum ego te, Flacce, caelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar; quum tuae fidei optimae et spectatissimae salutem urbis et civium commendabam. Tu, tum, Flacce, praetor, communis exitii nuntios cepisti; tu inclusam in literis reipublicae pestem deprehendisti; tu periculorum indicia, tu salutis auxilia ad me et ad senatum attulisti. Quae tibi tum gratiae sunt a me actae? quae ab senatu? quae a bonis omnibus? Quis tibi, quis C. Pomptino, fortissimo viro, quemquam bonum putaret unquam, non salutem, verum honorem ullum denegaturum?

XLI. O nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! quem ego diem vere natalem huius urbis, aut certe salutarem appellare possum. O nox illa, quam iste est dies consequutus, fausta huic urbi! miserum me, metuo ne funesta nobis! Qui tum animus L. Flacci (nihil dicam enim de me), qui amor in patriam, quae virtus, quae gravitas exstitit? Sed quid ea commemoro,

O nonae illae decembres) Quo die expositis in senatu, atque editis coniurationis indiciis, consule Cicerone, quid fieri placeret, consulente, senatus censuit, ut P. Lentulus, quum se praetura abdicasset, itemque alii octo qui cum eo coniuraverant, in custodiam traderentur. MAN.

quae tum, quum agebantur, uno consensu omnium, una voce populi romani, uno orbis terrae testimonio, in caelum laudibus efferebantur? Nunc vereor, ne non modo prosint, verum etiam aliquid obsint. Etenim multo acriorem improborum interdum memoriam esse sentio, quam bonorum. Ego te, si quid gravius acciderit, ego te, inquam, Flacce, prodidero: mea dextera illa, mea fides, mea promissa, quum te, si rempublicam conservaremus, omnium bonorum praesidio, quoad viveres, non modo munitum, sed etiam ornatum fore pollicebar. Putavi, speravi, etiamsi honos noster vobis vilior fuisset, salutem certe caram futuram. At L. Flaccum quidem, iudices, si (quod dii immortales omen avertant!) gravis iniuria afflixerit, nunquam tamen prospexisse vestrae saluti, consuluisse vobis, liberis, coniugibus, fortunis vestris, poenitebit. Semper ita sentiet, talem se animum et generis dignitati et pietati suae et patriae debuisse: vos ne poeniteat tali civi non pepercisse, per deos immortales, iudices, providete! Quotus enim quisque est, qui hanc in republica sectam sequatur? qui vobis, qui vestri similibus placere cupiat? qui optimi atque amplissimi cuiusque hominis atque ordinis auctoritatem magni putet; quum illam viam sibi videant expeditiorem ad honores, et ad omnia, quae concupiverunt? Sed cetera sint eorum: sibi habeant potentiam, sibi honores, sibi ceterorum commodorum summas facultates; liceat iis, qui haec salva esse voluerunt, ipsis esse salvis. Nolite, iudices, existimare, eos, quibus integrum est, qui nondum ad honores accesserunt, non exspectare huius exitum iudicii. Si L. Flacco tantus amor in bonos omnes, tantum in rempublicam studium, calamitati

Prodidero) Sic Grut. e codd. MSS. Olim *perdidero*.

Potentiam) Edd. Oliv. Lall. Oxx. *potestatem*.

fuerit: quem posthac tam amentem fore putatis, qui non illam viam vitae, quam ante praecipitem et lubricam esse ducebat, huic planae et stabili praeponendam esse arbitretur? Quod si talium civium vos, iudices, taedet, ostendite: mutabunt sententiam, qui potuerint; constituent, quid agant, quibus integrum est; nos, qui iam progressi sumus, hunc exitum nostrae temeritatis feremus. Sin hoc animo quam plurimos esse vultis, declarabitis hoc iudicio, quid sentiatis. Huic, huic misero puero, vestro ac liberorum vestrorum supplici, iudices, hoc iudicio vivendi praecepta dabitis. Cui si patrem conservatis, qualis ipse debeat esse civis, praescribetis. Sin eripitis, ostendetis, bonae rationi et constanti et gravi nullum a vobis fructum esse propositum. Qui vos, quoniam est id aetatis, ut sensum iam percipere possit ex moerore patrio, auxilium nondum patri ferre possit; orat, ne suum luctum patris lacrymis, patris moerorem suo fletu augeatis. Qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat, ac repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriae spoponderim, dignitatem. Miseremini familiae, iudices, miseremini fortissimi patris, miseremini filii: nomen clarissimum et fortissimum, vel generis, vel vetustatis, vel hominis causa, reipublicae reservate.

Potuerint) Ern. sine libris dedit *poterunt.*

Huic misero puero) L. Flacci filio.

Nomen clarissimum) Amicus Vrsini maluit *hominem clarissimum.* Manut. *civem clarissimum.*

ORATIO

PRO

P. SVLLA

ORATIO

PRO

P. SVLLA

SVMMARIVM

P. Cornelius Sulla A. V. 687, cum P. Autronio Paeto consul designatus a L. Torquato filio lege Calpurnia de ambitu accusatus et consulatus deiectus est. Eorum loco A. V. 688 consulatum gesserunt L. Aurelius Cotta, et L. Manlius Torquatus, illius adolescentis pater. Itaque Cic. de Fin. II, 19, hic adolescentulus dicitur consulatum P. Sullae eripuisse et ad patrem transtulisse. Tum Sulla denuo A. 691, Silano et Murena coss. accusatus est ab eodem Torquato filio, quod coniurationis Catilinariae socius fuisset. Et quoniam bis coniuratum erat a Catilina, Hortensius et Cicero P. Sullae defensionem sic inter se partiti sunt, ut ille eum a prima, Cicero autem ab altera coniuratione abfuisse demonstraret.

In exordio Cicero se ipsum defendit, quod causam Sullae contra Torquatum susceperit; id quod accusator ei vitio verterat. Non enim se solum sed alios quoque clarissimos viros eius causae favere; Hortensium non dubitasse, quin innocentem defenderet; aliorum etiam, qui salvum Sullam velint, summorum virorum studio ac dignitate hoc iudicium celebrari. Eos qui vere coniuraverint, nec a se, nec ab aliis fuisse defensos. Et quum duas Torquatus coniurationes constituerit, unam quae Lepido et Volcatio coss. facta esse dicatur, alteram quae Cicerone consule fuerit, adversus prioris coniurationis crimen Sullam defensum esse ab Hortensio, qui eius coniurationis suspiciones propius cognoverit, et particeps consiliorum Torquati patris fuerit. Sibi igitur has esse partes impositas, ut Sullam a crimine maximae coniurationis se consule factae defendat; cap. 1-4. Et quod Torquatus mirari se dixerat, quod Cicero Autronio defuerit, Sullam defendat, ostendit utriusque causam prorsus

diversam esse; cap. 5, 6. Deinde quod Torquatus se regnum Ciceronis ferre posse negaverat, eumque peregrinum appellaverat, Cicero se nec regem esse, nec peregrinum docet; cap. 7–9. Deinde ipsum Torquatum reprehendit, quod suppressa voce et leniter de coniuratione, de supplicio P. Lentuli magna et queribunda voce dixisset; quum nihil magis alienum sit ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere. Tum illud vel maxime reprehendendum esse dicit, quod Torquatus arbitretur plebi Romanae res eas non probari, quae se consule omnes boni pro salute communi gesserint. Itaque excurrit in laudes rerum a se in consulatu adversus Catilinam gestarum, idque se coactum a Torquato, quod in se esset oratione sua invectus, facere ostendit; cap. 10–12.

Tum accedit ad ipsam causam et Torquati criminationes diluendas. Primum ille dixerat ab Allobrogibus nominatum esse Sullam. Cicero demonstrat in eorum indicio nihil esse, quod sit in Sullam criminosum; cap. 13. Deinde Torquatus dixerat, Ciceronem aliter ac dictum fuerit in tabulas publicas retulisse; quam calumniam Cicero graviter retundit; cap. 14–17. Tum refutat id quod ille dixerat, Sullam ab eius Cornelii, qui inter socios Catilinae fuerat, filio accusari, cap. 18, et gladiatores ab eo ad caedem et tumultum emptos esse, ubi ostenditur Sullam hos ad munus edendum emisse; cap. 19. Porro Torquatus dixerat Sittium a Sulla in ulteriorem Hispaniam missum, ut eam provinciam perturbaret. Cui Cicero respondet Sittium ante coniurationis suspicionem profectum esse ob necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta; cap. 20. Iam vero quod Torquatus subiecerat Pompeianos h. e. oppidi Pompeiorum incolas esse a Sulla impulsos, ut ad coniurationem Catilinariam accederent, id cuiusmodi sit negat Cicero se intelligere posse. Neque enim coniurasse Pompeianos, neque Sullam eos a colonis disiunxisse, ut hoc discidio facto posset eos in sua potestate habere. Tum quod Torquatus obiecerat, L. Caecilium, cap. 21, Sullae fratrem, in eius gratiam legem ferre voluisse de minuenda ambitionis poena; Cicero demonstrat hanc legem paucos dies propositam, ferri coeptam nunquam esse; cap. 22, 23. Denique quod Torquatus ex epistola Ciceronis ad Pompeium de suis rebus gestis scripta crimen aliquod in P. Sullam quaesiverat, id nullam prorsus vim habere ostendit; cap. 24.

Iam, criminibus dissolutis, Cicero de Sullae vita ac moribus dicit, eiusque animum in rempublicam, constantiam vitae, dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis collandat, excusat etiam vulnus damnatione de ambitu acceptum; cap. 25-27.

Et quoniam Torquatus quaestiones ac tormenta servorum minatus erat, Cicero se quidem in iis nihil periculi suspicari, tormenta tamen plerumque veritati loci nihil relinquere, et quaestionem potius de vita Sullae, quam quaestionem de servis per tormenta habendam esse ostendit; cap. 28. Magnum vero Sullae praesidium esse debere in virorum consularium auctoritatibus et suo ipsius testimonio, cap. 29, 30.

Postremo testatur deos se integro animo ac libero P. Sullae causam defendere, cap. 31, eumque iudicum mansuetudini et humanitati commendat; cap. 32.

Absolutum esse P. Sullam constat. Anno 699 enim Gabinium de ambitu accusavit. Ep. ad Q. Fratr. III, 3.

I.

Maxime vellem, iudices, ut P. Sulla et antea dignitatis suae splendorem obtinere, et, post calamitatem acceptam, modestiae fructum aliquem potuisset percipere: sed, quoniam ita tulit casus infestus, ut amplissimo honore, cum communi ambitionis invidia, tum singulari Autronii odio everteretur, et in his pristinae fortunae reliquiis, miseris et afflictis, tamen haberet quosdam, quorum animos ne supplicio quidem suo satiare posset: quamquam ex huius incommodis magnam animo molestiam capio, tamen in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque, notam omnibus quondam, nunc, quasi intermissam, agnoscerent, improbi ac perditi cives, redomiti atque

Obtinere) Edd. velt. it. Graev. obtineret. Et sic MSS. Dresd. Franc. IV. Oxx. al.

Modestiae) Vt nemo eum denuo accusaret, quum damnatus de ambitu id modeste tulissel. Fsaa.

Redomiti) Sic plerique MSS. et edd. pr. Restituit Grut. Ern. *edomiti*

victi, praecipitante republica, vehementem me fuisse, atque fortem. conservata, mitem ac misericordem faterentur. Et quoniam L. Torquatus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existimavit, si nostram in accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate meae defensionis posse detrahere: cum huius periculi propulsatione coniungam defensionem officii mei. Quo quidem genere non uterer orationis, iudices, hoc tempore, si mea solum interesset. Multis enim mihi locis et data facultas est, et saepe dabitur, de mea laude dicendi. Sed, ut ille, iudices, quantum de mea auctoritate deripuisset, tantum se de huius praesidiis deminuturum putavit: sic hoc ego sentio, si mei facti rationem vobis, constantiamque huius officii ac defensionis probavero, causam quoque me P. Sullae probaturum.

II. Ac primum abs te illud, L. Torquate, quaero, cur me a ceteris clarissimis viris, ac principibus civitatis, in hoc officio atque in defensionis iure secernas. Quid enim est, quamobrem abs te Q. Hortensii factum, clarissimi viri atque ornatissimi civis, non reprehendatur, reprehendatur meum? Num si initum est consilium a P. Sulla inflammandae civitatis, huius exstinguendi imperii, delendae urbis, mihi maiorem hae res dolorem, quam Q. Hortensio, mihi maius odium afferre debent? meum denique gravius est

Iunt. Vict. Lamb. — *Redomiti* pro *domiti* ponitur, ut *recubor* pro *cubor*, *redimo* pro *emo*, *refero* pro *fero*, ut *refero ad senatum*; *reformido* pro *formido*, *refugio* pro *fugio*, et huius generis alia. GRAEV.

Necessitatem) Necessitudinem. F.

Deripuisset) Ita codd. Memm. Fran. alii ed. Lamb. Graev. al. Olim *diripuisset*.

Putavit) *Speravit* edd. Med. Naug. Herv. Lamb. al. *putavit* MS. S. Vict. ed. Iunt. Ern. Vtrumque omissum in codd. Pall. novem Franc. 2, aliis, ed. Grut. Graev.

Num) Vulgo *nam*; minus apte.

Gravius est iudicium) Sic MS. Dresd. Vulg. *esse*.

Gravius est iudicium) Hoc est: plusne momenti sit in meo, quam in

iudicium, qui adiuvandus in his causis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deserendus esse videatur? « Ita, inquit. Tu enim investigasti, tu patefecisti coniurationem. » Quod quum dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curasse, ut id omnes viderent, quod antea fuisset occultum. Quare ista coniuratio, si patefacta per me est, tam patet Hortensio, quam mihi. Quem quum videas, hoc honore, auctoritate, virtute, consilio praeditum, non dubitasse, quin innocentem P. Sullam defenderet: quaero, cur, qui aditus ad causam Hortensii patuerit, mihi interclusus esse debuerit. Quaero illud etiam, si me, qui defendo, reprehendendum putas esse, quid tandem de his existimes summis viris et clarissimis civibus, quorum studio et dignitate celebrari hoc iudicium, ornari causam, defendi huius innocentiam vides? Non enim una est ratio defensionis ea, quae posita est in oratione. Omnes, qui adsunt, qui laborant, qui salvum volunt, pro sua parte atque auctoritate defendunt. An vero, in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina reipublicae viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum atque in hanc celsissimam sedem dignitatis atque honoris, multis meis ac magnis laboribus et periculis, adscendissem? Atque, ut intelligas, Torquate, quem accuses, si te id offendit, quod ego,

Hortensii et aliorum iudicio, quo perpendimus, quo statuimus, quis nobis sit defendendus reus, quis deserendus. *Anon.*

Celebrari) Venerant non ut patroni causam acturi, sed ut advocati reum sua praesentia, suaque auctoritate sublevaturi. Man.

Quorum ego opera) H. e. in his subselliis me apparere nollem, quorum opera h. e. defensionum laboribus, post ceteros honores, summum consulatus honorem adeptus sum. Qui pronomen *quorum* ad *ornamenta ac lumina reipublicae* referendum putarunt, non animadverterunt Ciceronem sibi nimium derogaturum fuisse, si aliorum virorum clarorum opera se ad consulatum pervenisse dixisset.

qui hoc genere quaestionis defenderim neminem, non desim P. Sullae; recordare de ceteris, quos adesse huic vides: intelliges, et de hoc et de ceteris iudicium meum et horum par atque unum fuisse. Quis nostrum adfuit Vargunteio? nemo; ne hic quidem Q. Hortensius, praesertim qui illum solus antea de ambitu defendisset. Non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitrabatur, quum ille, tanto scelere commisso, omnium officiorum societatem diremisset. Quis nostrum Ser. Sullam, quis P. Lentulum? quis M. Laecam? quis Cornelium defendendum putavit? quis his horum adfuit? nemo. Quid ita? Ceteris in causis, etiam nocentes, viri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse non putant: in hoc crimine non solum levitatis est culpa, verum etiam quaedam contagio sceleris, si defendas eum, quem obstrictum esse patriae parricidio suspicere. Quid? Autronio nonne sodales, non collegae sui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes qui sunt in republica principes, defuerunt? Immo etiam testimonio plerique laeserunt. Statuerant, tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet.

III. Quamobrem quid est, quod mirere, si cum iisdem me in hac causa vides adesse, cum quibus in ceteris intelligis adfuisse? Nisi vero me unum vis ferum, praeter ceteros, me asperum, me inhumanum existimari, me singulari immanitate et crudelitate praeditum. Hanc mihi tu si propter res meas gestas

Hoc genere quaestionis) Lege Lutatia de vi. FERR.

Si necessarii sunt — putant) Grut. e Pal. edidit *si necessarii sunt defendendos esse non putaret*, quem sequuti sunt Graev. Lall. Oxx.

Obst. e. p. parricidio) *Parricidio* addidit Grut. ex Erf. et Pal. 9.

Quid Autronio?) Apparet eum his esse damnatum: de ambitu primum; deinde, quod hic significatur, de maiestate. MAN.

Non occultari) *Non* omissum in Pal. 9, probante Grutero.

imponis in omni vita mea personam, Torquate, vehementer erras. Me natura misericordem, patria severum, crudelem nec patria, nec natura esse voluit. Denique istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et respublica imposuit, iam voluntas et natura ipsa detraxit. Illa enim ad breve tempus severitatem postulavit: haec in omni vita misericordiam lenitatemque desiderat. Quare nihil est, quod ex tanto comitatu virorum amplissimorum me unum abstrahas. Simplex officium atque una est bonorum omnium causa. Nihil erit, quod admirere posthac, si in ea parte, in qua hos animadverteris, me videbis. Nulla est enim in republica causa mea propria. Tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris: doloris vero, et timoris, et periculi fuit illa causa communis. Neque enim princeps tunc ad salutem esse potuissem, si esse alii comites noluissent. Quare necesse est, quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id iam privato cum ceteris esse commune. Neque ego hoc partiendae invidiae, sed

CAP. III. ... (1)Videtur adsciscere, sit se non periculum communicare, sed laudem, nec ut plures periclitentur, sed ut multi aequaliter glorientur.

Bonorum omnium causa) Sic cod. Barb. ed. Ven. I, Lambin. ante eum legebatur *omnium bonorum causa*.

Partiendae invidiae) Quasi una mecum illi etiam in coniuratos animadverterint: quod apud populum invidiosum erat. FERR.

(1) Interserui antiqua in hanc orationem Commentaria, quae doctis viris videntur Asconii Pediani, paucis ab hinc annis primum edita cura V. Cl. A. MAII. Hoc idem praestabo ad orationes pro *Archia*, pro *Plancio*, et in *Vatinium*. Et integra quidem in Archiam; in reliquis vero plus minusve mutila, uti exstant. Capitum discretio in his Commentariis eadem est ac in vulgatis editionibus. Ab hac vero Schutzius saepe recedit, aliamque non ubique aptam invexit. Est etiam ubi male discrevit, quae omnino nexus orationis seiungere vetaret, uti patet ex orat. contra *Rullum* 1, cap. 6: incipit hoc caput in illius editione a verbis *Quid tum?* pag. 23 huius edit. In Catil. I, caput II incipit a *Fuit, fuit ista*: male utroque loco, ut mihi visum est: propterea vulgatam distinctionem restitui. Aliis quoque locis quamplurimis sensi, minus recte Schutzium totum hoc negotium peregisse: adeout si mihi esset integrum, illum, quoad hoc, desererem; eoque lubentius quod Indices Ciceroniani absolutissimi nuperrime prodierunt labore et cura Ios. Victor. LECLERC, capitibus iuxta vulgatam citatis. TYP. TAUR.

communicandae laudis causa loquor. Oneris mei partem nemini impertio, gloriae bonis omnibus. «In Autronium testimonium dixisti, inquit: Sullam defendis.» Hoc totum eiusmodi est, iudices, ut, si ego sim inconstans ac levis, nec testimonio fidem tribui convenerit, nec defensioni auctoritatem. Sin est in me ratio reipublicae, religio privati officii, studium retinendae voluntatis bonorum: nihil minus accusator debet dicere, quam a me defendi Sullam, testimonio laesum esse Autronium. Videor enim iam non solum studium ad defendendas causas, verum opinionis aliquid et auctoritatis afferre; qua et moderate ego utar, iudices, et omnino non uterer, si ille me non coëgisset.

IV. Duae coniurationes abs te, Torquate, constituuntur: una, quae Lepido et Volcatio consulibus,

In Autronium testimonium dixisti, inquit: Sullam defendis etc.) Acutissimum torquet *argumentum* prope ad vim dialecticorum, ut adversarii propositio utrinque conclusa teneatur. Dixisti, inquit, in Autronium testimonium, et quodammodo nunc deficis a constantia tua, qui P. Sullae patrocinaris. Huic ita factae propositioni opponitur, ut animadvertis, acuta responsio. Si minus integre, inquit, testimonium dixi, nec defensioni meae, quum nunc adgredior, inesse debet auctoritas: si vero fides constitit mihi testimonium dicendi, cur non ab eadem fide etiam defensionis huius aequitas descendat? Et hic iam se animis iudicum latenter insinuat, ut praesens defensio in testimonii vicem cedat. — *Videor enim iam non solum* etc.) Cavet valde, ne odium quoddam nimiae huius adseverationis incurrat. Facit enim periculum impudentiae, qui quum patronus sit, velit testis videri.

Cap. IV. *Duae coniurationes abs te*) Coniuratio diversi generis infertur geminata propositione: et fit a M. Tullio consultissima et non incuriosis lectoribus admiranda discretio; ut solum tempus ipse defendat coniurationis eius, quae se consule deprehensa sit; illud vero superius Hortensio patrocinante fateatur dilucide peroratum. Ita nec fit ulla iactura defensionis, quod illud superius tempus omittat, quoniam defendit Hortensius; et quum hoc sibi

Ratio reipublicae) Quum alterum nocentem noverim, alterum esse innocentem certo sciam, quo modo ostendit, se minime levem esse et inconstantem. In.

Lepido et Volcatio consulibus) Cf. 687 M. Aemilio Lepido L. Volcatio Tullo coss. Lambinus cum aliquot edd. superioribus scripsit *Lepido et L. Tullo coss.*

patre tuo consule designato, facta esse dicitur: altera, quae me consule. Harum in utraque Sullam dicis fuisse. Patris tui, fortissimi viri atque optimi consulis, scis, me consiliis non interfuisse; scis, me, quum mihi summus tecum usus esset, tamen illorum expertem temporum et sermonum fuisse; credo, quod nondum penitus in republica versabar, quod nondum ad propositum mihi finem honoris perveneram, quod mea me ambitio et forensis labor ab omni illa cogitatione abstrahebat. Quis ergo intererat vestris consiliis? Omnes hi, quos vides huic adesse, et inprimis Q. Hortensius: qui quum propter honorem ac dignitatem, atque animum eximium in rempublicam, tum propter summam familiaritatem, summumque amorem in patrem tuum, tum communibus, tum praecipuis patris tui periculis commovebatur. Ergo istius coniurationis crimen defensum ab eo est, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps et consilii vestri fuit, et timoris. Cuius in hoc crimine propulsando quum esset copiosissima atque ornatissima oratio, tamen non minus inerat auctoritatis in ea, quam facultatis. Illius igitur coniurationis, quae facta contra vos, delata ad vos, a vobis prolata esse dicitur, ego testis esse non potui. Non modo enim[1] nihil comperi, sed vix ad aures meas istius suspicionis fama

potissimum velut privatim et peculiariter vindicet ad diluendum, magis existimetur testimonio uti quam probatione, defendens ea scilicet quibus ipse consul interfuit. — *Ergo istius coniurationis crimen* etc.) Non contentus sibi uni vindicare testis auctoritatem, etiam in illo praecedentis coniurationis tempore, quoniam se non potest, vel ipsum testem constituit Hortensium. Sic contra iniuriam temporis utriusque non defensiones duorum, sed testimonia videntur opponi. — *Non modo animo nihil comperi*, etc.) Obnixe negando de illa superiore coniuratione nihil se comperisse, hoc persuadere conatur, omnia sibi in consulatu suo fuisse manifesta.

Quod mea me ambitio) Cod. Pal. 9 *quod me ambitio* probantibus Grut. et Garat.

(1) Interpres antiq. infra legit *animo*.

pervenit. Qui vobiscum in consilio fuerunt, qui vobiscum illa cognorunt, quibus ipsis periculum tum conflari putabatur, qui Autronio non adfuerunt, qui in illum testimonia gravia dixerunt, hunc defendunt, huic adsunt, in huius periculo declarant, se non crimine coniurationis, ne adessent ceteris, sed hominum maleficio, deterritos esse. Mei consulatus autem tempus, et crimen maximae coniurationis a me defendetur. Atque inter nos partitio non est fortuito, iudices, nec temere facta: sed, quum videremus, eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum testes esse possemus, uterque nostrum id sibi suscipiendum putavit, de quo aliquid scire ipse atque existimare potuisset. Et, quoniam de criminibus superioris coniurationis Hortensium diligenter audistis, de hac coniuratione, quae, me consule, facta est, hoc primum attendite.

V. Multa, quum essem consul, de summis reipublicae periculis audivi, multa quaesivi, multa cognovi: nullus unquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullae literae pervenerunt, nulla suspicio. Multum haec vox fortasse deberet valere eius hominis, qui consul insidias reipublicae consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset, quum ipse nihil audisse de P. Sulla, nihil suspicatum esse diceret. Sed ego nondum utor hac

Cap. V. *Multa quum essem consul — nulla suspicio*) Haec vero non patroni magis quam testis oratio est. Quibus enim verbis, praeterquam his, uti posset qui testimonium rogaretur? mire *sibi* obtinens *ut fides adhibeatur*, quasi expectandum iam non sit ut probet, quoniam credi debeat reip. conservatori. — *Sed ego nondum utor hac voce*, etc.) Moderate et consulte facit, quo magis mereatur obtinere testis auctoritatem, quam sibi ipse non

Aliquid scire ipse) *Ipse* abest in edd. Lamb. Grut. *aliis*. Restituit e codd. Franc. et edd. antiquioribus Graev. et Gron.

voce ad hunc defendendum; ad purgandum me potius utor; ut mirari Torquatus desinat, me, qui Autronio abfuerim, Sullam defendere. Quae enim Autronii fuit causa? quae Sullae est? Ille ambitus iudicium tollere ac disturbare primum conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu; deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione atque concursu. Sulla, si sibi suus pudor ac dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit. Ille damnatus ita se gerebat, non solum consiliis et sermonibus, verum etiam adspectu atque vultu, ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriae videretur. Hic se ita fractum illa calamitate atque afflictum putavit, ut nihil sibi ex pristina dignitate superesse arbitraretur, nisi quod modestia retinuisset. Hac vero in coniuratione, quid tam coniunctum, quam ille cum Catilina, cum Lentulo? quae tanta societas ullis inter se rerum optimarum, quanta ei cum illis sceleris, libidinis, audaciae? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod sine eodem illo Catilina facinus admisit? quum interim Sulla cum eisdem illis non modo noctem solitudinemque non quaereret, sed ne mediocri quidem sermone et congressu coniungeretur. Illum Allobroges, maximarum rerum verissimi indices, illum multorum literae ac nuntii coarguerunt: Sullam interea nemo insimulavit, nemo nominavit. Postremo, eiecto sive emisso iam ex urbe Catilina, ille arma misit, cor-

vindicet. — *Quae enim fuit Autronii causa*) Dissimilitudinem duorum P. Sullae et Autronii facta comparatione prosequitur, ne huius praedamnatio sit illa sententia, quae in Autronium dicta est necessario. Igitur ostendit nunquam similes fuisse, ut per hoc facilius Sullam persuadeat innocentem. — *Illum Allobroges*, etc.) Oratoria subtilitate adserit hic et confitetur Allobrogum fidem, quos verissimos iudices dicit, a quibus Sullam nominatum

nua, tubas, falces, signa legionis; ille relictus intus, exspectatus foris, Lentuli poena compressus, convertit se aliquando ad timorem, nunquam ad sanitatem. Hic contra ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit; ubi neque homines fuisse putantur huius affines suspicionis; et locus est ipse non tam ad inflammandos calamitosorum animos, quam ad consolandos accommodatus.

VI. Propter hanc igitur tantam dissimilitudinem hominum atque causarum, dissimilem me in utroque praebui. Veniebat enim ad me, et saepe veniebat,

non esse constabat. — *Hic contra ita quievit*) Quoniam videri poterat P. Sulla damnatus conscientia detecti criminis sui ab oculis omnium secessisse, et urbem Romam reliquisse, trahit orator ad verecundiae argumentum, dicens, eapropter sub oculis esse civium noluisse, quod erubesceret in aliquo vitae suae *articulo* honorem defloratum dignitatemque mutilatam. Nec moverit nos quod ita loquatur de Sulla Cicero, quasi damnatus crimine ambitus habuerit Romae demorandi facultatem. Habuit enim secundum legem Calpurniam. Nam superioribus *temporibus* damnati lege Cornelia hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos abstinerent. Aliquanto postea severior lex Calpurnia et pecunia multa fuit, et in perpetuum honoribus iussit carere damnatos. Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea iam damnatis Sulla et Autronio, poenam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero sauxeruut, ut praeter haec veteribus legibus constituta, etiam exilio multarentur. — *Et locus est ipse*, etc.) Dicit Neapolitanam civitatem procul fuisse ab omni contagio illius coniurationis, ac propterea delcetam P. Sullae, ut ubi non sceleratus lateret, sed miser conquiesceret.

Cap. VI. *Veniebat ad me*, etc.) Salubriter instituit huic parti. Multis et impensis precibus, commemoratis amicitiae veteris officiis, Autronium postulasse, multosque alios ad hoc impetrandum pro se deprecatores adhibuisse, nec tamen extorsisse, ut patronus et defensor adsisteret. Ne hoc dicere adversarius posset: idcirco Autronium non defendisti, quod non satis egerit, ut a te defenderetur. Sed si hoc impensissime deprecatus est, nec impetravit,

Tubas) Cod. Franc. 1, *tabulas*.

Falces) Cod. Pal. 9 *fasces*, quod Garatonus recte repudiat, quum *fasces* Cat. II, 6 iam essent a Catilina praemissi. Incerta auctoritate affertur inter V. L. edit. Graev. *faces*.

Signa legionis) Vulgo *signa*, *legiones*. At quas legiones potuisset Autronius mittere? Itaque Ant. Augustin. apud Vrsin. legi voluit *legionis*, quod recepi.

Autronius, multis cum lacrymis, supplex, ut se defenderem; et se meum condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quaestura commemorabat fuisse: multa mea in se, nonnulla etiam sua in me proferebat officia. Quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem; ut iam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer. Quae si de uno me cogitasset, qua mollitia sum animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lacrymis ac precibus restitissem. Sed, quum mihi patriae, quum vestrorum periculorum, quum huius urbis, quum illorum delubrorum atque templorum, quum puerorum infantium, quum matronarum ac virginum veniebat in mentem; et quum illae infestae ac funestae faces, universumque totius urbis incendium, quum tela, quum caedes, quum civium cruor, quum cinis patriae versari ante oculos, atque animum memoria refricare coeperat: tum denique ei resistebam, neque solum illi hosti ac parricidae, sed his etiam propinquis illius, Marcellis, patri et filio, quorum alter apud me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat: neque me arbitrabar sine summo scelere posse, quod maleficium in aliis vindicassem, idem in illorum socio, quum scirem, defendere. Atque idem ego neque P. Sullam supplicem ferre, neque eosdem Marcellos, pro huius periculis lacrymantes

videri iam potest idcirco ad defendendum Sullam venire, quod de eius innocentia certus sit.

Sedibus) *Aedibus* Lamb.

Pro huius periculis lacrymantes adspicere) In codd. multis et edd. aberant haec verba. Primus addidit e cod. Erf. et Pal. 9 Gruterus.

adspicere, neque huius M. Messallae, hominis necessarii, preces sustinere potui. Neque enim est causa adversata naturae, nec homo, nec res misericordiae meae repugnavit. Nusquam nomen, nusquam vestigium fuerat; nullum crimen, nullum indicium, nulla suspicio. Suscepi causam, Torquate, suscepi, et feci libenter, ut me, quem boni constantem semper, ut spero, existimassent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent.

VII. Hic ait se ille, iudices, regnum meum ferre non posse. Quod tandem, Torquate, regnum? consulatus, credo, mei; in quo ego imperavi nihil, sed contra patribus conscriptis et bonis omnibus parui; quo in magistratu non institutum est a me, iudices, regnum, sed repressum. An tum, in tanto imperio, tanta potestate, non dicis fuisse regem; nunc privatum regnare dicis? quo tandem nomine? «Quod, in quos testimonia dixisti, inquit, damnati sunt: quem defendis, sperat se absolutum iri.» Hic tibi ego de testimoniis meis hoc respondeo: si falsum dixerim; te in

Cap. VII. *Quod tandem, Torquate*, etc.) Cumulaturus invidiam Torquatus in personam M. Tullii, et hoc dixerat: quodam illum spiritu velut regiae potestatis exposcere, ut Sulla innocens iudicetur. Itaque ... statim ... *addit* ... consulatum suum talia edidisse moderationis et continentiae et virtutis exempla, ut non ipse rex, sed aliis regnum affectantibus esset inimicus. Qua exsecutione simul et invidia liberat auctoritatem suam, et impetrabilius facit quod ad Sullae victoriam locuturus est. — *An tu in tanto imperio*, etc.) A maiore ad minus. Vt quod nunc privatus in defendendo reo innocentissimo faciat, non sit regiae superbiae, sed fidei religiosae, qua non putet innocentes esse damnandos. Nec cadat suspicio regiae cupiditatis in privatum senatorem, quae non ceciderit in consulem. — *Si falsum dixerim*, etc.) In altero *accusatio adversarii* est, in altero *sui defensio*. Aut invidiae mecum particeps, inquit, videberis, si quid in eo regaliter feci, quod in sceleratos

Nulla suspicio) Haec, antea omissa, addidit Gruterus ex iisdem codd. T.

Sed repressum) Vulgo *sed non permissum*. Vnus cod. ap. Lall. *sed repulsum*. Lectionem *sed repressum* Grut. invenit in cod. Pal. 9, recepit Graev. Lall. Beck.

eos dixisse: sin verum; non esse hoc regnare, quum verum iuratus dicas, probare. De huius spe tantum dico, nullas a me opes P. Sullam, nullam potentiam, nihil denique, praeter fidem defensionis, exspectare. « Nisi tu, inquit, causam recepisses, nunquam mihi restitisset, sed, indicta causa, profugisset. » Si iam hoc tibi concedam, Q. Hortensium, tanta gravitate hominem, si, hos tales viros non suo stare iudicio, sed meo; si hoc tibi dem, quod credi non potest, nisi ego huic adessem, hos adfuturos non fuisse: uter tandem rex est, isne, cui innocentes homines non resistunt, an is, qui calamitosos non deserit? At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse

homines testimonium dixi, quoniam et te in eosdem dixisse manifestum est; aut si fides et religio incorrupta in illis omnibus testimoniis fuit, non potest rex videri, qui testimonio adserit veritatem. In parte igitur percussit Torquati verecundiam, in parte diluit regalis animi proprietatem. — *Vter tandem rex est*, etc.) Praemiserat enim Torquati propositionem valde insolentissimam, et liberae civitatis odio dignam: nisi tu defendisses P. Sullam, nemo defenderet. Cui statim in forma concessiva occurrit. Vt, inquit, alios concedam patrocinium denegaturos fuisse, in quem iustius derivabitur animi regalis cupiditas, in me qui protego innocentes, an in te qui subveniendum non putas innocentibus? Non tantum ergo se liberavit, sed Torquatum multo acerbius proscidit. — *At hic etiam facetus esse voluisti*, etc.) Novitatem Ciceronis multi quidem per illa tempora contumeliis agitare voluerunt, ut Catilina et Clodius, et ipse, quamvis collega fuerit, C. Antonius. *Nam quia* virtutibus obtrectare non poterant, eius humilitatem natalium maledica insectatione carpebant. Notissimum est autem fuisse Ciceronem natione Volscum Arpino municipio, unde illi quaedam peregrinitatis ab invisoribus concinnabatur infamia. Nec in praesentis causae iudicio Torquatus pepercerat, facta mentione regum peregrinorum Tarquinii et Numae. Fuerat enim Popilius Curibus Sabinis ortus. Tarquinius vero Priscus Demarati Corinthi filius, qui fugiens dominationem Cypseli, in Italiam se Tarquinios contulerat, ibique liberos procreaverat. Animadvertamus tamen quantis aculeis asperitatis talionem M. Tullius referat hic Torquato, quem partim despicien-

Quum vero iuratus dicas) Olim legebatur *quum vero iuratos dicas*. Inde Lamb. correxit: *quum verum dicas, iuratis probare*. Grut. e Pal. 9 eruit *iuratus*: idque optimum praebet sensum: *quum verum iuratus testis dixeris, id iudicibus probare s. persuadere.*

Id quod tibi necesse minime fuit) In his verbis iocus est in Torquatum, cuius ingenio facetiae non conveniebant. Ern.

voluisti, quum Tarquinium, et Numam, et me tertium peregrinum regem, esse dixisti.

VIII. Mitto iam de rege quaerere; illud quaero, peregrinum cur me esse dixeris. Nam, si ita sum, non tam est admirandum, regem esse me, quia, ut tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt, quam consulem Romae fuisse peregrinum. « Hoc dico, inquit, te esse ex municipio. » Fateor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est. Sed scire ex te pervelim, quamobrem, qui ex municipiis veniant, peregrini tibi esse videantur. Nemo enim istuc M. illi Catoni seni, quum plurimos haberet inimicos, nemo T. Coruncanio, nemo Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, quum ei multi inviderent, obiecit unquam. Equidem vehementer laetor, eum esse me, in quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret. Sed tamen te a me, pro magnis causis nostrae necessitudinis, monendum esse etiam atque etiam puto. Non possunt omnes esse patricii. Si verum quaeris, ne curant quidem; nec se aequales tui, propter istam

do plus abiicit et humillimum facit, partim maiore insectatur invidia, quod in exemplis maiorum illius haereat invidia tyrannidis. — *Hoc dico, inquit*, etc.) Magna cum gloria subdidit consensionem, amplectens municipii sui Arpinalis egregiam nobilitatem, unde et C. Marius extiterit bellorum maximorum strenuissimus victor, et ipse, cuius consulatus ad opprimendam Catilinae coniurationem salutaris inluxerit. — *Nemo istuc M. Catoni seni*, etc.) M. Cato ille Censorius et Tib. Coruncanius fuerunt e municipio Tusculano. Manius porro Curius, qui de Samnitibus triumphavit,

Vnde iterum iam salus) Per Marium primum, deinde per Ciceronem ex municipio Arpinati. FERR.

Curio) Sic Lamb. Grut. e MSS. Vulgo olim *Curioni*.

Ne curant quidem) Scil. plebeii, se non esse patricios, nempe, ut monuit Ern. quia tum patricii nihil admodum praecipui iuris habebant, quum honores etiam plebeiis paterent.

causam, abs te anteiri putant. Ac, si tibi nos peregrini videmur, quorum iam et nomen et honos inveteravit et huic urbi et hominum famae ac sermonibus: quam tibi illos competitores tuos peregrinos videri necesse erit, qui iam, ex tota Italia delecti, tecum de honore, et de omni dignitate contendunt? quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum suffragiis obruare. Qui, si attulerint nervos et industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum iactationem, et te ex somno saepe excitabunt; nec patientur, se abs te, nisi virtute vincentur, honore superari. Ac si, iudices, ceteris patriciis me et vos peregrinos videri oporteret, a Torquato tamen hoc vitium sileretur. Est enim ipse a materno genere municipalis, honestissimi ac nobilissimi generis, sed tamen Asculani. Aut igitur doceat, Picentes solos non esse peregrinos, aut gaudeat suo generi me meum ante non ponere. Quare neque me peregrinum posthac dixeris, ne gravius refutere; neque regem, ne derideare. Nisi forte regium tibi videtur, ita vivere,

Sabinis oriundus videtur, ubi etiam foculo adsidens aurum, quod sibi hostes obtulerunt, repudiavit, confessus votum sibi esse praecipuum, non ut ipse opibus adflueret, sed ut pecuniosis hostibus imperaret.

Cap. VIII. *Est enim ipse materno genere municipalis*) Quo sin totum destruere non potuit, ex parte destruxit. Nam familiae Manliae veteris egregia nobilitas eminebat, sed maternum genus humilitare conatus est; quasi non sit illi ad originem parentis utriusque dignitas vetustatis aequalis. — *Honestissimi generis, sed tamen Asculani*) Asculum civitas est in Piceno, unde etiam principia belli socialis arseruut. — *Nisi forte regium tibi videtur*, etc.) Decore et hoc cum sublimitate maximae laudis

Ex tota Italia delecti) Ernestius negabat se assequi quid hic sit *delecti*. Sunt autem i.q. *nobilissimi*, quod bene monuit Beck. Eodem modo Sext. 49 *delecti* et *principes* iunguntur.

Asculani) Asculum Piceni colonia prop. Rom. invisa erat, propterea quod initio belli Italici Q. Servilius proconsul cum omnibus Romanis civibus, qui in eo oppido erant, occisus est, ut est apud T. Livium. Sylv.

Non ponere) Sic Grut. e codd. Pall. S. Vict. aliis, cui sequentes recte obsequuti sunt. Olim *non anteponere*.

ut non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem ulli servias; contemnere omnes libidines; non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere; in senatu sentire libere; populi utilitati magis consulere, quam voluntati; nemini cedere, multis obsistere. Si hoc putas esse regium, me regem esse confiteor. Sin te potentia mea, si dominatio, si denique aliquod dictum arrogans, aut superbum movet: quin tu id potius profers, quam verbi invidiam contumeliamque maledicti?

IX. Ego, tantis a me beneficiis in republica positis, si nullum aliud mihi praemium a senatu populoque romano, nisi honestum otium, postularem, quis non concederet? sibi haberent honores, sibi imperia, sibi provincias, sibi triumphos, sibi alia praeclarae laudis insignia, mihi liceret eius urbis, quam conservassem, conspectu, tranquillo animo et quieto frui? Quid, si hoc non postulo? si ille labor meus pristinus, si sollicitudo, si officia, si operae, si vigiliae deserviunt amicis, praesto sunt omnibus; si neque amici in foro requirunt studium meum, neque respublica in curia: si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris, neque aetatis excusatio vindicat a la-

impletur: ea ostendens inesse moribus suis, quae non congruentia, sed contraria sint regiae cupiditati.

Cap. IX. *Ego tantis a me beneficiis — quis non concederet*) Gloriose in hunc locum decurrit orator laudibus suis, plurimis demeritis erga remp. tribuens, quod tantis iam perfunctis periculis honeste posset ab omni labore requiescere, nisi animus nullo posset otio consenescere. Et hic, quantum mea opinio est, imitatus est C. Gracchum. Sic enim et ille DE LEGIBVS PROMVLGATIS, ut ipsius etiam verborum faciam mentionem. — SI VELLEM, inquit, APVD VOS VERBA FACERE, ET A VOBIS POSTVLARE, CVM GENERE SVMMO ORTVS ESSEM, ET QVVM FRATREM PROPTER VOS AMISISSEM, NEC QVISQVAM DE P. AFRICANI ET TIBERI GRACCHI FAMILIA, NISI EGO ET PVER

Vendicat) Graev. e Franc. 2, et ed. Manut. *vindicat*. — Hoc praefero. T.

bore; si voluntas mea, si industria, si domus, si animus, si aures patent omnibus; si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis: tamen hoc regnum appellabitur? cuius vicarius qui velit esse, inveniri nemo potest. Longe abest a me regni suspicio. Si quaeris, qui sint Romae regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domesticis imaginibus invenies. Res enim gestae, credo, meae, me nimis extulerunt, ac mihi nescio quos spiritus attulerunt. Quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, iudices, hoc possum dicere, me, qui e summis eripuerim periculis urbem hanc et vitam omnium civium, satis adeptum fore, si ex hoc tanto in omnes mortales beneficio nullum in me periculum redundarit. Etenim, in qua civitate res tantas gesserim, memini, et in qua urbe verser, intelligo. Plenum forum est eorum hominum, quos ego a vestris

RESTAREMVS, VT PATEREMINI HOC TEMPORE ME QVIESCERE, NE A STIRPE GENVS NOSTRVM INTERIRET, ET VTI ALIQVA PROPAGO GENERIS NOSTRI RELIQVA ESSET; HAVD *SCIO* AN LVBENTIBVS A VOBIS IMPETRASSEM. — *Etenim in qua civitate — a meis non removi*) Figura quidem in orationibus plurimis frequentata Ciceroni, qua velut divino quodam mentis instinctu imminentem sibi providebat invidiam, et ex ea periculum quod evenit. Verum mihi altius consideranti hanc omnem, quam localiter intulit *figuram*, occurrit vehemens, et ad causam P. Sullae salubriter pertinens virtus. Nam quum in praesenti exsecutione testetur, extinctis iam plurimis hostibus patriae, superesse tamen innumerabiles qui sibi nocere votis ardentibus cupiant, hoc sine dubio relinquit iudicum tacitis cogitationibus, nunquam se ad defendendum Sullam processurum fuisse, si eum vel tenui aliquo argumento sensisse cum hostibus reip. suspicaretur, cui minuendus esset illius coniurationis numerus, ne plures in posterum sibi reservaret inimicos.

Longe abest) Hunc verborum ordinem recte Beck. e Graevio restituit. Ernestius dederat *Longe a me abest*.

Ex domesticis imaginibus) II. e. inter maiores tuos. Scil., quod Manutius vidit, respicit M. Manlium Torquatum, qui postquam Capitolium servaverat, in suspicionem regni adductus, de eo deiectus est.

cervicibus depuli, iudices, a meis non removi. Nisi vero paucos fuisse arbitramini, qui conari, aut sperare possent, se tantum imperium posse delere. Horum ego faces eripere de manibus, et gladios extorquere potui, sicut feci: voluntates vero consceleratas ac nefarias nec sanare potui, nec tollere. Quare non sum nescius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, quum mihi uni cum omnibus improbis aeternum videam bellum esse susceptum.

X. Quod si illis meis praesidiis forte invides; et, si ea tibi regia videntur, quod omnes boni omnium generum atque ordinum, suam salutem cum mea coniungunt: consolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt infensae et adversae. Qui me non solum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios et furorem sceleratum repressi; sed eo etiam magis, quod nihil iam se simile, me vivo, conari posse arbitrantur. At vero quid ego miror, si quid ab improbis de me improbe dicitur, quum L. Torquatus ipse, primum, his fundamentis adolescentiae iactis, ea spe proposita amplissimae dignitatis, deinde L. Torquati, fortissimi consulis, constantissimi senatoris, semper optimi civis, filius, interdum efferatur immoderatione verborum? qui, quum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia coniuratorum omnium dixisset, tantummodo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis: de supplicio P. Lentuli, de carcere, magna et queribunda voce dicebat. In quo primum illud erat absurdum, quod, quum ea, quae leviter dixerat, vobis probare volebat, eos autem, qui circum

Sceleratum) *Sceleratum* e cod. Dresd. recepi, pro vulg. *consceleratum*, quo iam paulo ante usus erat.

Fortissimi consulis) A. V. C. 688.

Leviter) Sylvius et Ursinus coni. *leniter*, quod receperunt Lamb. Ern.

iudicium stabant, audire nolebat; non intelligebat, ea, quae clare diceret, ita illos audituros, quibus se venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probabatis. Deinde alterum iam oratoris vitium, non videre, quid quaeque causa postulet. Nihil est enim tam alienum ab eo, qui alterum coniurationis accuset, quam videri coniuratorum poenam mortemque lugere. Quod quum is tribunus plebis facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, non mirum est: difficile est enim tacere, quum doleas. Te, si quid eiusmodi facis, non modo talem adolescentem, sed in ea causa, in qua te vindicem coniurationis velis esse, vehementer admiror. Sed reprehendo tamen illud maxime, quod isto ingenio et prudentia praeditus, causam reipublicae non tenes, qui arbitrere, plebi romanae res eas non probari, quas, me consule, omnes boni pro salute communi gesserunt.

XI. Ecquem tu horum, qui adsunt, quibus te contra ipsorum voluntatem venditabas, aut tam scelera-

Cap. X. *Quod quum is tribunus pl. — quum doleas*) Insectatur invidia maiore Torquatum: et quum sit ab illo ipse reprehensus, quasi mutato proposito voluntatis, qui Catilinae oppresserit coniurationem, reis tamen eiusdem criminis patrocinetur; versa quodammodo vice ipsum Torquatum quasi defensorem coniurationis insimulat, et dicit imitari eum tribunum pl., qui moleste poenas hominum publicorum ferat. Significat videlicet L. Calpurnium Bestiam, sive (nam et hoc suspicari possumus) Q. Metellum Nepotem. Post quod exemplum in fine sententiam posuit, quod genus in Tullianis orationibus rarum est. Difficile est, inquit, tacere quum doleas. Dolor enim quibusdam tormentis animi laborantis effusus ad impatientiam vocis erumpit.

Probabatis) Recte hoc Ern. revocavit ex edd. antt. Alterum *probatis* in Gruteri edd. vitio operarum irrepserat.

Is tribunus plebis) Recte Garatonus intelligit L. Calpurnium Bestiam l. d. trib. pl. in coniuratis nominatum a Sallustio Cat. XVII, 3.

Non mirum est) In antiquis edd. *nec mirum est*, quod revocavit Beck. cod. Pal. non. *minime mirum est.* Lamb. et seqq. *non mirum est.*

Ecquem) Ita Beck. cum Oliv. Lall. Oxx. rescripsit pro vulg. *Et quem*. Recte.

tum statuis fuisse, ut haec omnia perire voluerit, aut tam miserum, ut et se perire cuperet, et nihil haberet, quod salvum esse vellet? An vero clarissimum virum generis vestri ac nominis nemo reprehendit, qui filium suum vita privavit, ut in ceteris firmaret imperium: tu rempublicam reprehendis, quae domesticos hostes, ne ab iis ipsa necaretur, necavit? Itaque attende iam, Torquate, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei. Maxima voce, ut omnes exaudire possint, dico, semperque dicam: adestote omnes animis, qui adestis corporibus, quorum ego frequentia magnopere laetor! erigite mentes auresque vestras, et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite! Ego consul, quum exercitus perditorum civium, clandestino scelere conflatus, crudelissimum et luctuosissimum exitium patriae comparasset; quum ad occasum interitumque reipublicae Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus: meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehen-

Cap. XI. *Qui filium suum vita privavit, ut in ceteros firmaret imperium*) De familia Torquati mutuatur exemplum, quo validius ad consensum adigeretur, puniendos a rep. fuisse hostes intra moenia deprehensos, quum per contextum sui generis recordetur extitisse, qui filium capite puniret. Et hoc in loco Manlium significat, qui cum P. Decio functus est consulatum. Hic ex virtute cognomen Torquati habuit, quod uno de Gallis hostibus interfecto, torquem sibi velut spolium superati hostis induerat. Ab hoc comperimus filium non ob aliquod criminosum, sed gloriosum et militare facinus interemptum, quod contra patris imperium cum hoste, quamvis feliciter, dimicasset.

Quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei) Ironiee, pro *quam ego non defugiam*, quod ipsom habent nonnulli libri scripti et editi.

Quam ego defugiam) Defugere auctoritatem, est negare, se auctorem fuisse. Nos Galli dicimus *Desavouer.* Lamb.

sis atque confossis, incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi: ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi. An me existimasti haec iniuratum in iudicio non esse dicturum, quae iuratus in maxima concione dixissem?

XII. Atque etiam illud addam, ne qui forte incipiat improbus subito te amare, Torquate, et aliquid sperare de te; atque, ut idem omnes exaudiant, clarissima voce dicam. Harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute communi suscepi et gessi, L. ille Torquatus, quum esset meus contubernalis in consulatu, atque etiam in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit, quum princeps, quum signifer esset iuventutis; parens eius, homo amantissimus patriae, maximi animi, summi consilii, sin-

Cap. XII. *Atque etiam illud addam ne qui forte incipiat improbus subito te amare, Torquate*) Ista dicit insidiosa quadam benignitate perstringens adversarium.

Quae iuratus) Vltimo consulatus die iuravit, a se servatam esse rempublicam. Man.

Torquatus) Nempe hic digitis monstrat Torquatum adversarium in hac causa, Sullae accusatorem.

Contubernalis in consulatu) Ita tunc mos erat, ut adolescentes quotidiano convictu et sermone clarorum virorum, administrandae reipublicae scientiam perciperent. Sic L. Gellius C. Carbonis in consulatu cuutubernalis fuit ut in Bruto. Sic M. Caelius Q. Pompeio proconsuli contubernalis in Africam est profectus, ut in orat. pro ipso. *Idem.*

Auctor) *Auctor* potest esse, qui consilia dat: vel sic tamen nimium tribuere videtur Torquato. Malim abesse. Flaccum esse socium tantum et adiutorem consiliorum suorum dixerat Orat. *pro Flacco* cap. 1.

Quum princeps) Vulgo additur *quum auctor.*

Princeps — iuventutis) Dicebatur, qui primus erat ex equitibus lectus a censoribus, et in albo primo loco scriptus. Graev.

Parens eius) L. Manlius Torqua-

gularis constantiae, quum esset aeger, tamen omnibus rebus illis interfuit; nunquam est a me digressus; studio, consilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, quum infirmitatem corporis animi virtute superaret. Videsne, ut eripiam te ex improborum subita gratia, et reconciliem bonis omnibus? qui et te diligunt, et retinent, retinebuntque semper: nec, si a me forte desciveris, idcirco te a se, et a republica, et a tua dignitate deficere patientur. Sed iam redeo ad causam; atque hoc vos, iudices, testor: mihi de memetipso tam multa dicendi necessitas quaedam imposita est ab illo. Nam si Torquatus Sullam solum accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum, qui accusatus esset, defenderem: sed quum ille tota illa oratione in me esset invectus, et quum initio, ut dixi, defensionem meam auctoritate spoliare voluisset, etiamsi dolor meus respondere non cogeret, tamen ipsa causa hanc a me orationem flagitasset.

XIII. Allobrogibus nominatum Sullam esse dicis.

Cap. XIII. *Ab Allobrogibus — quemadmodum nominatus sit*) Facta ab indicio Allobrogum et inlata propositio, ne sensio in contrarium vergeret vigilantissime ...... ipsius indicii modum tractare adgressus est, et ostendere quaesisse Gallos de L. Cassio Longino quemadmodum Sulla esset animatus. Et hoc eos fecisse, non quo de eius moribus et proposito voluntatis aliquid audissent, sed quod facta mentione P. Autronii, quem consortem fuisse praecedentis illius de ambitu damnationis audierant, existimassent aliquid etiam de coniuratione quaerendum. Deinde vincenter subiicit responsum Cassi illud unum respondentis, nihil se de P. Sulla scire pro certo. Ibidemque statim, quod nos a pari dicimus, defensionem complectitur, dicens huiusmodi responsum Cassi pro eo habendum atque si negasset P. Sullam sceleris huius esse participem: quoniam is qui de omnibus instructissimus fuerit, de

tus cos. A. V. C. 688 cum L. Aurelio Cotta.

Agerem) Sine causa Ern. verbum *agerem* uncinis inclusit, ut insititium.

Flagitasset) Ern. legendum putabat *flagitabat*. Sed nihil mutandum esse vidit Beck.

Allobrogibus) Interpres infra, *ab Allobrogibus*. T.

Quis negat? sed lege indicium, et vide, quemadmodum nominatus sit. L. Cassium dixerunt commemorasse, cum ceteris Autronium secum facere. Quaero, num Sullam dixerit Cassius? nusquam. Sese aiunt quaesisse de Cassio, quid Sulla sentiret. Videte diligentiam Gallorum: qui vitam hominum naturamque non nossent, ac tantum audissent, eos pari calamitate esse; quaesiverunt, essentne eadem voluntate? Quid tum? Cassius si respondisset, idem sentire et secum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminosum esse debere. Quid ita? quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat minuere illorum suspicionem, et purgare eos, de quibus illi aliquid suspicarentur. Non respondit tamen, una facere Sullam. Etenim esset absurdum, quum ceteros sua sponte nominasset, mentionem Sullae facere nullam, nisi admonitum et interrogatum. Nisi forte verisimile est, P. Sullae nomen in memoria Cassio non fuisse. Si nobilitas hominis, si afflicta fortuna, si reliquiae pristinae dignitatis non tam illustres fuissent, tamen Autronii commemoratio memoriam Sullae retulisset. Etiam, ut arbitror, quum auctoritates

hoc ideo nihil scripserit, quod Sulla innocens esset. — *Si respondisset, idem sentire*) Ad formam concessivam revocans argumentationem, etiamsi quaerentibus Gallis respondisset L. Cassius P. Sullam huius initi contra remp. sceleris esse participem, valere non debuisse pro crimine, quando facile crederetur illum, quo spem robustiorem Gallis daret, de nobilissimo viro non dubitasse mentiri. Quae *concessio* multum proficit ad illud, quod negaverat Cassius, se comperisse quid animi Sulla haberet, ut tale genus responsionis absolute purgaverit innocentiam. — *Nisi forte verisimile est*, etc.) Verisimilia contrahit argumenta per qualitatem personae, quam generis nobilitas inlustrabat, ut se etiam non quaerenti Cassio potuerit efferre, nec

Suspicarentur) Graev. e cod. Erf. *suspicari viderentur*. Sensus est: quia Gallorum intererat multos esse coniuratos, Cassius non debebat eos purgando eximere, quos illi in eorum numero esse putarent.

Afflicta fortuna) Afflicta erat fortuna condemnatione in iudicio de ambitu.

principum coniurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Cassius, et quum sciret, exteras nationes maxime nobilitate moveri, non prius Autronium, quam Sullam nominasset. Iam vero illud probari minime potest, Gallos, Autronio nominato, putasse, propter calamitatis similitudinem, sibi aliquid de Sulla esse quaerendum: Cassio, si hic esset in eodem scelere, ne quum appellasset quidem Autronium, huius in mentem venire potuisse. Sed tamen quid respondit de Sulla Cassius? Se nescire certum. « Non purgat » inquit. Dixi antea: ne si argueret quidem tum denique, quum esset interrogatus, id mihi criminosum videretur. Sed ego in indiciis et in quaestionibus non hoc quaerendum arbitror, num purgetur aliquis, sed num arguatur. Etenim quum negat se scire Cassius, utrum sublevat Sullam, an satis probat se nescire? Sublevat apud Gallos. Quid ita? ne indicent? Quid? si periculum esse putasset, ne illi unquam indicarent; de se ipso confessus esset? Nescivit. Credo, iudices, celatum esse Cassium de Sulla uno: nam de ceteris certe sciebat; et ea domi eius pleraque conflata esse constabat. Qui negare noluit esse in eo numero Sullam, quo plus spei Gallis daret; dicere autem falsum non ausus est: nescire dixit. Atqui hoc perspicuum est, quum is, qui de

tamen aliquid ille se dixerit comperisse. — *Sed ego in quaestionibus et indiciis non hoc quaerendum*) Et perquam exercitata respondendi facultate propositioni accusatoris occurrit, non illud exspectandum in indiciis, an defensus sit aliquis, sed an nominatus, quoniam videri possit etiam stulta defensio, id quod non accusetur, velle purgare.

Indiciis) Sic Lamb. ex uno cod. et coniectura Stephani, et sic cod. Ambros. ab Ang. Maio laudatus, p. 143. Vulgo *iudiciis*. LECLERC.

De Sulla uno) Haec ironice dicuntur. Nempe, si Sulla in numero coniuratorum fuisset, incredibile esset de eo uno Cassium esse celatum.

Nescire) Lamb. *nescire se*.

Se scire) Ed. Herv. *scire*, omisso *se*; fortasse verius.

omnibus scierit, de Sulla se scire negarit; eandem vim esse negationis huius, quam si extra coniurationem hunc esse, se scire dixisset. Nam, cuius scientiam de omnibus constat fuisse, eius ignoratio de aliquo, purgatio debet videri. Sed iam non quaero, purgetne Cassius Sullam: illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in indicio.

XIV. Exclusus hac criminatione Torquatus, rursus in me irruit, me accusat. Ait me aliter, ac dictum est, in tabulas publicas retulisse. O dii immortales! (vobis enim tribuam, quae vestra sunt; nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias tam repentinas, in illa turbulentissima tempestate reipublicae, mea sponte dispexerim); vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis; vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam salutem reipublicae convertistis; vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae. Vidi ego hoc, iudices, nisi, recenti memoria senatus, auctoritatem huius indicii monumentis publicis testatus essem, fore, ut aliquando non Torquatus, neque Torquati quispiam similis (nam id me multum fefellit), sed ut aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hostis, aliter indicata haec esse dice-

Cap. XIV. *Exclusus hac criminatione Torquatus*) Iuxta dignitatem personae in excessum locus totus effunditur cum indignatione vehementi. Fit enim coniectura incidens, an P. Sullae nomen subtraxerit Cicero, et id egerit, ne in tabulas publicas referretur. Non debuit ergo humiliter et timide hanc defensionem, sed eum impetu flagrantissimae indignationis implere, quasi monstri simile sit, in tanto consule aliquid potuisse fraudis existere. Hae sunt defensiones quae in personis inlustribus quendam spiritum laudis imitantur.

Convertistis) In edd. vett. et codd. Pall. plerisque *contulistis*.

Huius indicii) H. e. indicium ipsum de coniuratis, Catilinae sociis, per Allobrogum legatos factum, cum eorum nominibus.

Patrimonio) Ern. coni. *patrimonii*.

ret, quo faciliıs, vento aliqno in optimum quemque excitato, posset in malis reipublicae portum suorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in senatum indicibus, constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros? non solum summa virtute et fide, cuius generis in senatu facultas maxima; sed etiam, quos sciebam memoria, scientia, consuetudine et celeritate scribendi, facillime, quae dicerentur, persequi posse: C. Cosconium, qui tunc erat praetor; M. Messallam, qui tum praeturam petebat; P. Nigidium, App. Claudium. Credo esse neminem, qui his hominibus, ad vere referendum, aut fidem putet, aut ingenium defuisse.

XV. Quid deinde? quid feci? quum scirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia, more maiorum, continerentur: non occultavi, non continui domi, sed describi

— *Institui senatores*, etc.) Ad diluendam quaestionem, quae, ut diximus, incidens nata est, an falsum consul in tabulas retulerit, inferuntur haec exempla validissima, quod ad scribendum omne, quod indices pronuntiarent, idoneos admoverit senatores. Et vigilanter duo illis praecipua, et quae ad strumentum fidei necessaria sunt, adscribit, animi integritatem et velocitatem scribendi, ut fides non deceperit veritatem . . . . conversus.

Maxima) H. e. cuius generis multi in senatu inveniebantur.

Sed etiam) Scil. qui pauciores erant.

Scientia) " H. l. est eius, qui didicit arte e dictis alterius ea quae rem et caussam continent, discernere a ceteris et in brevem summam redigere, unde post ad eandem rem *ingenium* commemorat; nec enim id est cuiusque ingenii. „ Hactenus Ern. et recte quidem ille. *Ingenium* vero, quod postea dicitur, simul illam *scientiam* et *memoriam* comprehendit.

Ad vere referendum) Grut. ex Erf. et Pal. nono dedit *qui his hominibus ad vere referendum, aut etiam ad scribendum a. f. p. a. i. d.* Recte vero Ern. delevit verba *aut etiam ad scribendum.* " Nam non sunt in MSS. melioribus nec ea res desiderat. Nam *scribere* nec est *ingenii* nec *fidei*, et id est etiam in verbo *referendum* sc. in literas. „

ab omnibus statim librariis, dividi passim et pervulgari atque edi populo romano imperavi. Divisi toti Italiae, emisi in omnes provincias: eius indicii, e quo salus oblata esset omnibus, expertem esse neminem volui. Itaque dico, locum in orbe terrarum esse nullum, quo in loco populi romani nomen sit, quin eodem perscriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam subito et exiguo et turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non mea sponte, providi: primum, ne qui posset tantum aut de reipublicae aut de alicuius periculo meminisse, quantum vellet; deinde, ne cui liceret unquam reprehendere illud indicium, aut temere creditum criminari; postremo, ne quid iam a me, ne quid ex meis commentariis quaereretur; ne aut oblivio mea, aut memoria, videretur nimia; ne denique aut negligentia, turpis; aut diligentia, crudelis putaretur. Sed tamen abs te, Torquate, quaero, quum indicatus tuus inimicus esset; et esset eius rei frequens senatus et recens memoria testis; tibi, meo familiari et contubernali, prius etiam edituri fuerint indicium scribae mei, si voluisses, quam in codicem retulissent; quum videres aliter fieri, cur tacuisti? passus es? non mecum, aut cum familiari meo questus es? aut, quoniam tam facile inveheris in amicos, iracundius ac vehementius

Librariis) Sc. publicis senatus et consulum scribis. Ern.

Pervulgaris) Franc. *divulgari*. Pro *dividi* Lamb. coni. *didi*.

Emisi) Lamb. e Memmii coniectura *dimisi*.

Quantum vellet) Ne forte prae studio veram rei gestae memoriam obliteraret.

Quantum vellet) Id est, ne quis plus aut minus de periculo reipublicae aut alicuius cogitaret, quam res fuisset. Silv.

Inimicus esset) Scil. Cicero non concedit Sullam esse inter ceteros coniuratos ab Allobrogibus indicatum, sed tantum ponit ex Torquati criminatione hactenus, ut inde elicere posset, quod ipse absurdum faceretur.

Quum videres aliter fieri) Nihil scribas meos tibi dicere.

expostulasti? Tu, quum tua vox nunquam sit audita; quum, indicio lecto, descripto, divulgato, quieveris, tacueris: repente tantam rem enuntiare audeas? et in eum locum te deducas, ut ante, quam me commutati indicii coargueris, te summae negligentiae, tuo iudicio, convictum esse fateare?

XVI. Mihi cuiusquam salus tanti fuisset, ut meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego iuvarem, a quo et crudeles insidias in rempublicam factas, et in me potissimum consulem constitutas, putarem? Quod si iam essem oblitus severitatis et constantiae meae, tamne amens eram, ut quum literae posteritatis causa repertae sint, quae subsidio oblivioni esse possent, ego recentem putarem memoriam cuncti senatus commentario meo posse superari? Fero ego te, Torquate, iamdudum, fero, et nonnunquam animum, incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco ipse et reflecto. Permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, concedo amicitiae, tribuo parenti. Sed, nisi tibi aliquem modum tute constitueris, coges, oblitum me nostrae amicitiae, habere rationem meae dignitatis. Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim. Sed mihi hoc credas velim. Non iis libentissime soleo respondere, quos mihi videor facillime posse superare. Tu, quoniam minime ignoras consue-

Tuo iudicio) H. e. vel te ipso iudice. Itaque recte Lamb. et Grut. aliis sequentibus, codicum auctoritate dederunt *iudicio*. Male Graevius antiquam lectionem *indicio* revocavit.

Consulem constitutas) *Constitutas* e MS. Erf. addidit Grut. quod Graevius repudiavit, ceteri editores retinuerunt.

Concedo amicitiae) *Concedo* ex Ernestii coniectura recepi pro vulg. *cedo*. Sic paulo post *remissum atque concessum*.

Tute) Sic Grut. e cod. Erf. pro vulg. *vitae*, probantibus omnibus praeter Iac. Gronovium.

tudinem dicendi meam, noli hac nova lenitate abuti mea; noli aculeos orationis meae, qui reconditi sunt, excussos arbitrari; noli id putare omnino a me esse amissum, si quid est tibi remissum atque concessum. Quum illae valent apud me excusationes iniuriae tuae, iratus animus tuus, aetas, amicitia nostra: tum nondum statuo te virium satis habere, ut ego tecum luctari et congredi debeam. Quod si esses usu atque aetate robustior; essem idem, qui soleo, quum sum lacessitus. Nunc tecum sic agam, tulisse ut potius iniuriam, quam retulisse gratiam videar. [1]

XVII. Neque vero, quid mihi irascare, intelligere possum. Si, quod eum defendo, quem tu accusas: cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accusas eum, quem ego defendo? «Inimicum, inquis, accuso meum.» Et amicum ego defendo meum. «Non debes tamen quemquam in coniurationis quaestione defendere.» Imo nemo magis eum, de quo nihil est unquam suspicatus, quam is, qui de aliis multa cogitavit. «Cur dixisti testimonium in alios?» Quia coactus. «Cur damnati sunt?» Quia creditum est. «Regnum est, dicere in quem velis, ac defendere quem velis.» Imo servi-

Amissum) Vulgo olim *omissum*, Primi Gulielm. et Grut. e cod. Erf. dederunt *amissum*.

(1) Loquitur ut Ethnicus, quippe cui nondum illuxerat evangelicum praeceptum, ut bonum pro malo reddamus. Ita idem Cicero Offic. I, 7: *Iustitiae primum munus est, ut ne cui* quis noceat, nisi lacessitus iniuria. Typ.

Quam retulisse gratiam videar) Lambinus in eo fuit, ut expungeret *gratiam*; minus gratiose: nam in eo lepos totius sententiae. Grut. *Referre gratiam* ulcisci. Senec. I, de clemen. 7: *Timent praeterea contemptum, et non retulisse laedentibus gratiam infirmitas videtur, non clementia.*

Cur tibi) *Quid tibi* codd. Franc. uterque Dresd.

Accusas) Vulgo *accuses*. Sed prorsus hic nihil est, quod coniunctivum requirat. Immo sicut antea dixerat *defendo*, ita hic ei respondere debet *accusas*.

Cogitavit) Lambin. corrigendum esse putavit *cognovit* probante Garaton. idque Graevius reperit in marg. cod. Dresd. At recte repugnavit Ern. Cicero enim non de iis solum loquitur, quos certo cognoverat Catilinae socios esse, sed etiam de his, de qui-

tus est, non dicere in quem velis, nec defendere quem velis. Ac, si considerare coeperis, utrum magis mihi hoc necesse fuerit, an facere istud tibi: intelliges, honestius te inimicitiarum modum statuere potuisse, quam me humanitatis. At vero quum honos agebatur amplissimus familiae vestrae, hoc est, consulatus parentis tui, sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit pater tuus, quum Sullam et defenderent et laudarent. Intelligebat, hanc nobis a maioribus esse traditam disciplinam, ut nullius amicitia ad propulsanda pericula impediremur. Et erat huic iudicio longe dissimilis illa contentio. Tum, afflicto P. Sulla, consulatus vobis pariebatur, sicuti partus est; honoris erat certamen; ereptum repetere vos clamitabatis, ut victi in campo, in foro vinceretis. Tum qui contra vos pro huius salute pugnabant, amicissimi vestri, quibus non irascebamini, consulatum vobis eripiebant, honori vestro repugnabant, et tamen id inviolata vestra amicitia, integro officio, veteri exemplo, atque instituto optimi cuiusque faciebant. Ego vero quibus ornamentis adversor tuis? aut cui dignitati vestrae repugno? Quid est, quod iam ab hoc expetas? Honor ad patrem, insignia honoris ad te delata sunt. Tu ornatus exuviis huius, venis ad eum lacerandum, quem interemisti: ego iacentem et spoliatum defendo et protego. Atque hic tu et reprehendis me, quia defendam, et irasceris. Ego autem non modo tibi

bus lentum suspicatus erat s. cogitaverat.

Nec defendere) Sic recte Lamb. et Graev. e cod. Franc. Vulgo olim *ac defendere*.

Consulatus parentis tui) Potuit ista Cicero ipse explicationis causa adiicere. Attamen quum deinde diserte *consulatum* nominet, h. l. satis perspicue dictum *honos amplissimus familiae vestrae*, et verba *hoc est consulatus parentis tui* glossatori tribuenda videntur.

Insignia honoris) H. e. ornamentum, quod patrem habeas consularem.

Ornatus exuviis huius) Consulatus honoribus Sullae ademptis, ad patrem tuum delatis.

non irascor, sed ne reprehendo quidem factum tuum. Te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, et satis idoneum officii iudicem posuisse.

XVIII. « At accusat C. Cornelii filius, idemque valere debet, ac si pater indicaret. » O patrem Cornelium sapientem! qui, quod praemii solet esse in indicio, reliquerit: quod turpitudinis in confessione, id per accusationem filii susceperit. Sed quid est tandem, quod indicat per istum puerum Cornelius? Si est causa mihi ignota, cum Hortensio communicata; respondeat Hortensius. Sin tu ais illum comitatum Autronii et Catilinae, quum in campo, consularibus comitiis, quae a me habita sunt, caedem facere voluerunt: Autronium tum in campo vidimus: et, quid dixi vidisse nos? ego vidi. Vos enim tum, iudices, nihil laborabatis, neque suspicabamini. Ego tectus praesidio firmo amicorum, Catilinae tum et Autronii copias et conatum repressi. Num quis est igitur, qui tum dicat in campum adspirasse Sullam? Atqui si tum se cum Catilina societate sceleris coniunxerat, cur ab eo discedebat? cur cum Autronio non erat? cur in

Te enim existimo) Hoc sensu: ideo tuum factum non reprehendo, quod existimem, et teipsum prudenter statuere, quid tibi faciendum sit; neque optimum amici alicuius iudicium in ea re tibi defuisse. FERR.

C. Cornelii filius) Qui subscriptor fuit accusatori Torquato.

Reliquerit) Nam si indicaret ipse, iudicii praemium, id est absolutionem, consequeretur. Quum vero per filium iudicat, praemium reliquit. MAN.

In confessione) Culpam enim fatetur, quum Sullae consilia sibi nota fuisse dicet, qui gladiatores Fausti simulatione ad caedem ac tumultum emeret. MAN. Sed videtur potius hoc pertinere ad id quod postea dicitur Cornelius confiteri cap. 18, extr.

Sin tu ais illum comitatum Autronii et Catilinae) Malim *sin dicis illum comitatum Autronii et Catilinae.* P. Faber Tolosanus sic emendabat: *Si tu ais Sullam comitatum Autronium et Catilinam.* Lambinus: *Sin tu ais Sullam in illo comitatu A. et C. fuisse.* Manutius vero sic: *Sin ut ais illo comitati Antonius et Sulla.* Ego vero in hac sententia non arbitror Sullae nomen expressum fuisse quia postea demum quaerit: *Num quis est igitur qui tum dicat in campum adspirasse Sullam?*

pari causa non paria signa reperiuntur criminis? Sed quoniam Cornelius ipse etiam nunc de indicando dubitat, ut dicitis, informat adhuc adumbratum indicium filii: quid tandem de illa nocte dicit, quum inter falcarios ad M. Laecam, nocte ea, quae consequuta est posterum diem Nonarum Novemb. me consule, Catilinae denuntiatione convenit? Quae nox omnium temporum coniurationis acerrima fuit atque acerbissima. Tum Catilinae dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per urbem caedis atque incendiorum constituta est: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut cum prima luce consulem salutatum veniret, intromissus meo more et iure amicitiae, me in meo lectulo trucidaret.

XIX. Hoc tempore, quum arderet acerrime coniuratio: quum Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur; Cassius incendiis, Cethegus caedi praeponeretur; Antronio, ut occuparet Etruriam, praescriberetur; quum omnia ordinarentur, instituerentur, pararentur: ubi fuit Sulla, Corneli? Num Romae? immo longe afuit. Num in iis

Informat adhuc adumbratum indicium filii) Hoc est in filii illo ficto indicio instruendo et componendo adhoc laborat. Vtrumque vocabulum *adumbratus* et *informo* est a pictorum arte petitum. *Adumbratio* est σκιαγραφία, quum lineae modo extremae umbrae, quam corpora in sole faciunt, circumscribuntur, ut Quintilianus ait. Vide Cicero I de Nat. Deorum: *Cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta atque formas.* Hinc *adumbratus* et *expressus* opponuntur. Vt in Tuscul. III: *Gloria est solida quaedam res, expressa, non adumbrata.* Graev.

Cum prima luce consulem salutatum veniret) Ernestius quia particulam *cum* coniunctionem esse putabat, reposuit *venisset*, pro vulg. *veniret*. At *cum* est praepositio; et sensus est, Cornelium sibi hanc provinciam depoposcisse, ut ad consulem veniret cum prima luce. Sic Att. IV, 3, Marcellus *cum prima luce in campum currebat.* Recte igitur Beckius *veniret* restituit; modo non scripsisset *quum prima luce.*

Inferebat) *Referebat* edd. Vict.

regionibus, quo se Catilina inferebat? multo etiam longius. Num in agro Camerti, Piceno, Gallico; quas oras maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat? nihil vero minus. Fuit enim, ut iam ante dixi, Neapoli; fuit in ea parte Italiae, quae maxime ea suspicione caruit. Quid ergo indicat, aut quid affert, aut ipse Cornelius, aut vos, qui ab eo haec mandata defertis? « Gladiatores emptos esse, Fausti simulatione, ad caedem ac tumultum. » Ita prorsus: interpositi sunt gladiatores, quos testamento patris videmus deberi. « Arrepta est familia; quae si esset praetermissa, posset alia familia Fausti munus praebere. » Vtinam quidem haec ipsa non modo iniquorum invidiae, sed et aequorum exspectationi satisfacere posset! «Properatum vehementer, quum longe tempus muneris abesset. » Quasi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret. « Nec opinante Fausto, quum is neque sciret, neque vellet, familia est comparata. » At literae sunt Fausti, per quas ille

Man. At Gruler. e codd. suis omnibus dedit *inferebat.*

Fausti simulatione) Nempe Faustus Sulla L. Cornelii Sullae dictatoris filius ex testamento patris munus gladiatorium edere debebat. Tum illi P. Sullam criminabautur, quum gladiatores emeret, simulasse eos ad illud munus emere, re vera ad caedem et tumultum emisse.

Interpositi sunt) Si hoc verum est, significat gladiatores istos a P. Sullae emptos interpositos et immistus fuisse iis, quos Faustus iam habebat.

Arrepta est familia) Id est, servi, ut centies. — *arrepta* est celeriter comparata. Frustra Lambinus excogitavit *At empta.*

Posset alia familia Fausti munus praebere) Suspicor legendum esse: *posset alitâ familiâ Faustus munus praebere*, h. e. etiamsi illa gladiatorum familia non esset empta, Faustus ea gladiatorum familia, quam iam ante aluerat, posset munus illud praebere.

Haec ipsa) Scil. interpositis istis aucta.

Iniquorum invidiae) Qui Fausto invident propter opes ei a Sulla patre relictas, quibus non satisfacit haec familia, ut exigua, parum respondens eius honoribus, cui mortuo dabatur. MAN.

Non valde appropinquaret) Munus gladiatorium a Fausto Sulla datum esse A. V. 693, Metello et Afranio coss. auctor est Dio Cassius lib. 37.

precibus a P. Sulla petit, ut emat gladiatores, et ut hos ipsos emat: neque solum ad Sullam missae, sed ad L. Caesarem, Q. Pompeium, C. Memmium: quorum de sententia tota res gesta est. « At praefuit familiae. » Iam si in comparanda familia suspicio est nulla; quod praefuit, nihil ad rem pertinet. Sed tamen munere servili obtulit se ad ferramenta prospicienda, praefuit vero nunquam, eaque res per Balbum, Fausti libertum, omni tempore administrata est.

XX. « At enim Sittius est ab hoc in ulteriorem Hispaniam missus, ut eam provinciam perturbaret.» Primum Sittius, iudices, L. Iulio, C. Figulo, consulibus, profectus est aliquanto ante furorem Catilinae, et ante suspicionem huius coniurationis; deinde est profectus non tum primum, sed quum in iisdem locis aliquanto ante eadem de causa aliquot annos fuisset. Ac profectus est non modo ob causam, sed etiam necessariam causam, magna ratione cum Mauritaniae rege contracta. Tum autem, illo profecto, Sulla procurante eius rem et gerente, plurimis et pulcherrimis P. Sittii praediis venditis, aes alienum eiusdem dissolutum est: ut, quae causa ceteros ad facinus impulit, cupiditas retinendae possessionis, ea Sittio non

At praefuit familiae) Vulgo additur *Cornelius*, quod melius abesse iam Lambinus et Manutius viderant. Intelligitur *P. Sulla* quem hic ineptum erat nomine gentis appellare quia poterat alter ille Cornelius intelligi.

Se ad ferramenta prospicienda) Fortasse leg. *s. t. obtulit se ad ferramenta muneri servili pr.*

Ferramenta) Quibus gladiatores in pugna uterentur. Man.

Sittius) Vulgo hic et postea edebatur *Cincius*. At *Sittii* nomen comparet in codd. nonnullis, ut Pall. et Erf. in quibus scribitur *Siccius*. Verum autem esse nomen *Sittii* Cortius docuit ad Sallust. Catil. 21. Est P. Sittius Nucerinus.

Magna ratione) Quod Hiempsal Mauritaniae rex magnam ei pecuniam deberet. Ferr. — Lamb. edidit *magnae pecuniae ratione* a cod. Memm. Sed recte Gruterus *pecuniae* glossatori deberi censuit.

fuerit, praediis deminutis. Iam vero illud quam incredibile? quam absurdum? qui Romae caedem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiarissimum suum dimittere ab se et amandare in ultimas terras? Vtrum quo facilius Romae ea, quae conabatur, efficeret, si in Hispania turbatum esset? At haec ipsa per se, sine illa coniunctione, agebantur. An in tantis rebus, tam novis consiliis, tam periculosis, tam turbulentis, hominem amantissimum sui, familiarissimum, coniunctissimum officiis, usu, consuetudine, dimittendum esse arbitraretur? Verisimile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper habuisset, hunc in adversis, et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret. Ipse autem Sittius (non enim mihi deserenda est causa amici veteris atque hospitis) is homo est, aut ea familia ac disciplina, ut hoc credi possit, eum bellum reipublicae facere voluisse? ut, cuius pater, quum ceteri deficerent finitimi ac vicini, singulari exstiterit in rempublicam nostram officio et fide, is sibi nefarium bellum contra patriam suscipiendum putaret? cuius aes alienum videmus, iudices, non libidine, sed negotii gerendi studio esse contractum; qui ita Romae debuit, ut in provinciis et in regnis maximae ei pecuniae deberentur; quas quum peteret, non commisit, ut sui procuratores quidquam oneris, absente se, sustinerent; venire omnes suas possessiones, et patrimonio se ornatissimo spoliari

Amandare) Sic Henr. Steph. e cod. et Lamb. Vulgo *mandare.*

At haec ipsa per se) Coniuratio, quae Romae fiebat, nullo modo uitebatur provinciarum discordiis, neque ab alia ulla re, quam a se ipsa pendebat. Fern.

Sine illa coniunctione) Vulgo *sine ulla coniunctione*, in quo non sine causa viri docti haeserunt. Sed si mecum legas *sine illa*, significatur *sine illa cum Hispania coniunctione*, ut nihil opus esset Sittium in Hispaniam mittere. Et sunt haec ipsius Ciceronis verba, non, ut Ern. putabat, obiectio Torquati.

Bellum reipublicae facere voluisse) Gulielm. malebat *populo romano.*

maluit, quam ullam moram cuiquam fieri creditorum suorum. A quo quidem genere, iudices, ego nunquam timui, quum in illa reipublicae tempestate versarer. Illud erat genus hominum horribile et pertimescendum, qui tanto amore suas possessiones amplexi tenebant, ut ab his membra divelli citius ac distrahi posse diceres. Sittius nunquam sibi cogitationem cum praediis esse existimavit suis. Itaque se non modo ex suspicione tanti sceleris, verum etiam ex omni hominum sermone, non armis, sed patrimonio suo vindicavit.

XXI. Iam vero, quod subiicit, « Pompeianos esse a Sulla impulsos, ut ad istam coniurationem et ad hoc nefarium facinus accederent » id cuiusmodi sit, intelligere non possum. An tibi Pompeiani coniurasse videntur? quis hoc unquam dixit? aut quae fuit istius rei vel minima suspicio? « Disiunxit, inquit, eos a colonis, ut hoc dissidio ac dissensione facta, oppidum in sua potestate posset et Pompeianos habere. » Primum, omnis Pompeianorum colonorumque dissensio delata ad patronos est, quum iam inveterasset, ac multos annos esset exagitata: deinde ita a patronis res cognita est, ut nulla in re a ceterorum sententiis Sulla dissenserit; postremo coloni ipsi sic intelligunt, non Pompeianos a Sulla magis, quam sese esse defensos. Atque hoc, iudices, ex hac frequentia colonorum, honestissimorum hominum, intelligere potestis, qui adsunt, laborant, hunc patronum, defensorem, cu-

Subiicit) Cod. Lamb. Dresd. al. edd. Ven. utraque *obiicit*.

Pompeianos) Pompeii oppidum fuit in Campania, prope Neapolim. Ii a populo romano devicti, parte agri multati sunt. Eo a triumviris, in quibus P. Sulla erat, colonia deducta est. Inter Pompeianos et colonos exorta seditio est, quod nollent Pompeiani colonis tantum ius suffragii ferendi ac magistratus gerendi esse, quantum sibi. Hanc seditionem a Sulla excitatam dixit Torquatus, ut Pompeianos in sua potestate haberet, iisque ad hanc coniurationem uteretur. SYLV.

Dissidio) *Discidio* edd. pr. Grul. Graev.

stodem illius coloniae, si in omni fortuna, atque in omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen casu, quo afflictus iacet, per vos tutari conservarique cupiunt. Adsunt pari studio Pompeiani, qui ab illis etiam in crimen vocantur: qui ita de ambulatione et de suffragiis suis cum colonis dissenserunt, ut idem de communi salute sentirent. Ac ne haec quidem P. Sullae mihi videtur silentio praetereunda esse virtus, quod, quum ab hoc illa colonia deducta sit, et quum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum reipublicae fortuna disiunxerit, ita carus utrisque est atque iucundus, ut non alteros demovisse, sed utrosque constituisse videatur.

XXII. « At enim et gladiatores, et omnis ista vis, rogationis Caeciliae causa comparabantur. » Atque in hoc loco in L. Caecilium, pudentissimum atque ornatissimum virum, vehementer invectus est; cuius ego de virtute et constantia, iudices, tantum dico: talem hunc in ista rogatione, quam promulgavit non de tollenda, sed de levanda calamitate fratris sui, fuisse, ut consultum esse voluerit fratri, cum repu-

Conservarique) Ald. dedit *conservareque*. Id multi sequuti sunt; etiam Graevius in textu. Adnotavit tamen in codd. Pith. Franc. 1, 2, Dresd. esse *conservarique*, quod si recipiatur, *tutari* passive poui, et Priscianum lib. VIII affirmare lueur et tutor tam active quam passive sumi. Itaque hoc Ern. restituit.

De ambulatione) Sic est in MSS. Male olim quidam correxerunt *ambitione*. Intelligitur enim *porticus* de qua controversiae aliquid fuit inter veteres Pompeianus et colonos.

Reipublicae) Scil. *Romanae*. Ed. Naug. Herv. Lamb. *populi romani*.

Demovisse) Sic ed. Ven. Herv. Lamb. etc. Olim aliae ut Naug. Man. *dimovisse*.

At enim et gladiatores) Hic excidisse videtur *inquit*, quia sequitur *atque — invectus est*.

Rogationis Caeciliae causa) Vt per vim ferretur lex, quam frater P. Sullae Caecilius tribunus pl. de minuenda ambitus poena promulgaverat. MAN.

De levanda calamitate fratris sui) Quia damnatus fuerat Sulla de ambitu. Eam poenam nova lege Caecilius minuere cupiebat.

Vt consultum esse voluerit) *Consulere voluerit* MS. Franc. ed. pr. Graev.

blica pugnare noluerit: promulgarit impulsus amore fraterno, destiterit fratris auctoritate deductus. Atque in ea re per L. Caecilium Sulla accusatur, in qua re est uterque laudandus. Primum Caecilius, qui id promulgarit, in quo res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut statueretur: Sulla recte reprehendit. Status enim reipublicae maxime iudicatis rebus continetur. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat. Nihil de iudicio ferebat: sed poenam ambitus eam ferebat, quae fuerat superioribus legibus constituta. Itaque hac rogatione, non iudicum sententiam, sed legis vitium corrigebat. Nemo iudicium reprehendit, quum de poena queritur, sed legem. Damnatio enim est iudicum, quae manebat: poena legis, quae levabatur. Noli igitur animos eorum ordinum, qui praesunt iudiciis summa cum gravitate et dignitate, alienare a causa. Nemo labefactare iudicium est conatus; nihil est eiusmodi promulgatum. Semper Caecilius in calamitate fratris sui iudicum potestatem perpetuandam, legis acerbitatem mitigandam putavit.

XXIII. Sed quid ego de hoc plura disputem? Dicerem fortasse, et facile et libenter dicerem. Si paulo etiam longius, quam finis quotidiani officii postulat, pietas et fraternus amor L. Caecilium protulisset:

Cum republica) Edd. ante Grut. *tamen cum republ.*

Sulla recte reprehendit) Hic locus variis coniecturis tentatus est, quae tamen ut Ern. monuit h. l. sine libris frustra exercentur. Optimam tamen Beckius lectionem iudicat cod. a Steph. memorati: *primum Caecilius qui id promulgarit, in quo fratris casum levare possit, quem, quia res iudicatas videbatur voluisse rescindere, ut desisteret, recte Sulla reprehendit.*

Quae fuerat) Delevi *nuper* post *fuerat* quod hic prorsus otiosum est. Et iam Ernestio videbatur inculcatum.

Superioribus legibus) Scil. legibus de ambitu ante Calpurniam, quibus mitior erat poena constituta.

implorarem sensus vestros; uniuscuiusque indulgentiam in suos testarer; peterem errato veniam ex intimis vestris cogitationibus, atque ex humanitate communi. Lex dies fuit proposita paucos; ferri coepta nunquam; posita est in senatu; Kalendis Ianuariis (1), quum in Capitolium nos senatum convocassemus, nihil est actum prius; et id mandato Sullae Q. Metellus praetor se loqui dixit, Sullam istam rogationem de se nolle ferri. Ex illo tempore L. Caecilius multa e republica egit: agrariae legi, quae tota a me reprehensa et abiecta est, intercessorem fore professus est; improbis largitionibus restitit; senatus auctoritatem nunquam impedivit; ita se gessit in tribunatu, ut, onere deposito domestici officii, nihil postea nisi de reipublicae commodis cogitarit. Atque in ipsa rogatione, ne per vim quid ageretur, quis tum nostrum Sullam aut Caecilium verebatur? nonne omnis ille terror, omnis seditionis timor atque opinio, ex Autronii improbitate pendebat? Eius voces, eius minae ferebantur; eius adspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum, metum nobis seditionesque afferebant. Itaque P. Sulla, hoc importunissimo tum honoris, tum etiam calamitatis socio atque

Peterem errato veniam) Vulgo additur *L. Caecilii*, quod melius intelligitur l. l. quam scribitur: praesertim quum ordinem verborum perplexum reddat. Et Beckio male insertum videtur.

(1) Ita luculenter codex Bavaricus apud Garat. in praefat. Vulgo *populum romanum latuit*. Typ.

Populum romanum latuit) Vult Caspar Scioppius, *Praef. Grammat. Philos.* hoc latinum non esse, vel saltem Ciceronis aetate non fuisse. Graeco more dicitur, *latet me*, sed Latine, *latet mihi*. Itaque in veteribus Ciceronis libris fuit, *P. R. latuit*: quod erat dandi casu legendum, *populo romano latuit*. (Immo potius corruptum. Vide supra. T.)

Multa e republica egit) Sic recte Lambin. eamque lectionem Henr. Steph. in cod. suo invenit. Nimirum his verbis universe significatur *multa Caecilium gessisse e republica* h. e. reipubl. utilia, quae deinde singula enumerantur. Vulgo *de republica*.

Seditionesque afferebant) *Afferebant* h. l. est i. q. nuntiabant, illa-

comite, et secundas fortunas amittere coactus est, et in adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere.

XXIV. Hic tu epistolam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis et de summa republica misi; et ex ea crimen aliquod in P. Sullam quaeris; et quia furorem incredibilem, biennio ante conceptum, erupisse in meo consulatu scripsi, me hoc demonstrasse dicis, Sullam in illa fuisse superiore coniuratione. Scilicet is sum, qui existimem, Cn. Pisonem, et Catilinam, et Vargunteium, et Autronium nihil scelerate, nihil audacter ipsos per sese sine P. Sulla facere potuisse. De quo etiam si quis dubitasset antea, num, id quod tu arguis, cogitasset, interfecto patre tuo, consule, descendere Kalendis Ianuariis cum lictoribus? Sustulisti hanc suspicionem, quum dixisti, hunc, ut Catilinam consulem efficeret, contra patrem tuum operas et manum comparasse. Quod si tibi ego confiteor, tu mihi concedas necesse est, hunc, quum Catilinae suffragaretur, nihil de suo consulatu, quem iudicio amiserat, per vim recuperando cogitavisse. Neque enim istorum facinorum

que legendum videtur: *tumultum nobis seditionesque afferebant.*

De summa republica) Ita Bavar. Lamb. et Garaton.

Me hoc demonstrasse) Quare colligebat hoc accusator? Quia quum primae coniurationis causam innueret Cicero fuisse iudicium, quo damnati fuerant de ambitu Sulla, et Autronius, neutrum ab illa excludere videbatur. Ferr.

De quo etiam si quis dubitasset) Ostendit L. Torquatum dixisse quae non conveniant. Nam si P. Sulla coniuravit L. Torquati patrem Cos. Kalendis Ianuariis interficere, ut consulatum iudicio amissum per vim recuperaret: non est verisimile eum, postquam damnatus est, operas et manum comparasse, ut Catilinae contra Torquatum suffragaretur. Syl.

Interfecto patre tuo, consule) L. Torquatum et L. Cottam, quum inirent consulatum, Kalendis Ianuariis, interficere, et consulatum per vim arripere Catilina et Autronius coniuraverant. Id.

Descendere) In forum. Sic enim loquebantur, quia nobiliores in collibus habitabant. Man.

tantorum, tam atrocium crimen, iudices, P. Sullae persona suscipit.

XXV. Iam enim faciam, criminibus omnibus fere dissolutis, contra atque in ceteris causis fieri solet, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim a principio studuit animus occurrere magnitudini criminis, satisfacere exspectationi hominum; de me aliquid ipso, qui accusatus eram, dicere. Nunc iam revocandi estis eo, quo vos ipsa causa, etiam tacente me, cogit animos mentesque convertere. Omnibus in rebus, iudices, quae graviores maioresque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius, qui arguitur, est ponderandum. Neque enim potest quisquam nostrum subito fingi, neque cuiusquam repente vita mutari, aut natura converti. Circumspicite paulisper mentibus vestris, ut alia omittamus, hosce ipsos homines, qui huic affines sceleri fuerunt. Catilina contrà rempublicam coniuravit. Cuius aures unquam hoc respuerunt conatum esse hominem usque a pueritia non solum intemperantia et scelere, sed etiam consuetudine et studio in omni flagitio, stupro, caede versatum? Quis eum contra patriam pugnantem periisse miratur, quem semper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Lentuli societates cum indicibus, quis insaniam libidinum, quis perversam atque impiam religionem recordatur, qui illum aut nefarie cogitasse, aut stulte sperasse miretur? Quis de C. Cethego, atque eius in Hispaniam profectione,

A principio) Ita rescripsi pro vulg. *de principio*, quod h. l. minus bene sonat, quum statim alia praepositionis significatione praecesserit *de vita* et *de moribus*.

Versatum) Cod. Erf. *grassatum*.

Cum indicibus) Lambin. *cum audacibus* ut pro Murena cap. 24.

Cum indicibus) Qui viros innocentes falsis criminibus vexarent. Ferr.

ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius poenam carcer aedificatus esse videatur. Omitto ceteros, ne sit infinitum. Tantum a vobis peto, ut taciti de omnibus, quos coniurasse cognitum est, cogitetis. Intelligetis, unumquemque illorum prius a sua vita, quam nostra suspicione esse damnatum. Ipsum illum Autronium (quoniam eius nomen finitimum maxime est huius periculo et crimini) non sua consuetudo ac vita ante acta convincit? Semper audax, petulans, libidinosus. Quem in stuprorum defensionibus non solum verbis uti improbissimis solitum esse scimus, verum etiam pugnis et calcibus: quem exturbare homines e possessionibus, caedem facere vicinorum, spoliare fana sociorum, vi et armis disturbare iudicia, in bonis rebus omnes contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipublicae cedere, non fortunae ipsi succumbere. Huius si causa non manifestissimis rebus teneretur, tamen eum mores ipsius ac vita convincerent.

XXVI. Agedum, conferte nunc cum illis vitam P. Sullae, vobis populoque romano notissimam, iudices, et eam ante oculos vestros proponite. Ecquod huius factum aut commissum non dicam audacius, sed quod cuiquam paulo minus consideratum videretur? Factum quaero? verbum ecquod unquam ex ore huius éxcidit, unde quisquam posset offendi? At vero in illa gravi L. Sullae victoria turbulentaque, quis P. Sulla mitior? quis misericordior inventus est? quam multorum hic vitam est a L. Sulla deprecatus? quam

Ac vita ante acta) Vulgo *sua haec vita* quod est in codd. octo Pall. Fr. 1, 2. At in cod. Dresd. *non sua consuetudine ac vita.* Sylvius e libris melioribus affert *non sua consuetudo ac vita.* Lamb. *consuetudo ac vita ante acta*, quod recepi ut aptissimum coll. Inv. II, cap. 11.

Spoliare fana sociorum, vi) Vulgo additur, *conatum*, quod praeeunte Lambino delevi. Omnes enim hi infinitivi pendent a *solitum esse.*

multi sunt summi homines et ornatissimi, et nostri et equestris ordinis, quorum pro salute se hic Sullae obligavit? Quos ego nominarem, neque enim ipsi nolunt, et huic, animo gratissimo, adsunt: sed quia maius est beneficium, quam posse debet civis civi dare, ideo a vobis peto, ut, quod potuit, tempori tribuatis, quod fecit, ipsi. Quid reliquam constantiam vitae commemorem? dignitatem? liberalitatem? moderationem in privatis rebus? splendorem in publicis? quae ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant. Quae domus? quae celebratio quotidiana? quae familiaris dignitas? quae studia amicorum? quae ex quoque ordine multitudo? Haec diu multumque, et multo labore quaesita, una eripuit hora. Accepit P. Sulla, iudices, vehemens vulnus et mortiferum: verumtamen eiusmodi, quod videretur eius vita et natura accipere potuisse. Honestatis et dignitatis habuisse nimis magnam iudicatus est cupiditatem: quam si nemo alius habuit in consulatu petendo, cupidior iudicatus est hic fuisse, quam ceteri; sin etiam iu aliis nonnullis fuit iste consulatus amor, fortuna in hoc fuit fortasse gravior, quam in ceteris. Postea vero quis P. Sullam, nisi moerentem, demissum, afflictumque vidit? quis unquam est suspicatus, hunc magis odio, quam pudore

Nunc cum illis vitam) Sic Graev. ex utroque cod. Franc. et ed. pr. Et tres codd. Lall. Et receperunt Ern. Beck. Vulgo *cum illius vita vitam*.

Quam posse debet) Non enim civis eam in alios cives potestatem habere debet, ut illorum vita a sua voluntate pendeat: sed est vitium temporis. FERR.

Quae ita a fortuna) Sic damnatione in iudicio de ambitu, quo ei consulatus ereptus est.

Quae celebratio quotidiana) Celebrabatur quotidiae Sullae domus civium honestissimorum conventu. MAN.

Familiaris dignitas?) Pro, familiarium dignitas. Vt infra cap. 28. ID.

Cupidior iudicatus est) Scil. iudicum sententiis. Nihil opus reponere *iudicetur*, quod Ernestio in mentem venerat.

hominum adspectum lucemque vitare? Qui quum multa haberet invitamenta urbis et fori, propter summa studia amicorum, quae tamen ei sola in malis restiterunt; afuit ab oculis vestris, et, quum lege retineretur, ipse se exsilio paene multavit. In hoc vos pudore, iudices, et in hac vita, tanto sceleri locum fuisse creditis?

XXVII. Adspicite ipsum; contuemini os; vitam, ab initio ad hoc tempus explicatam, cum crimine recognoscite. Mitto rempublicam, quae fuit semper Sullae carissima: hosne amicos, tales viros, tam cupidos sui, per quos res eius secundae quondam erant ornatae, nunc sublevantur adversae, crudelissime perire voluit, ut cum Lentulo et Catilina et Cethego foedissimam vitam ac miserrimam, turpissima morte proposita, degeret? Non cadit, non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio. Nova quaedam illa immanitas exorta est; incredibilis fuit ac singularis furor; ex multis ab adolescentia collectis perditorum hominum vitiis repente tanta ista importunitas inauditi sceleris exarsit. Nolite, iudices, arbitrari, hominum illum impetum et conatum fuisse. Neque enim ulla gens tam barbara, aut tam immanis unquam fuit, in qua non modo tot, sed unus tam crudelis hostis patriae sit inventus. Belluae quaedam illae ex portentis immanes ac ferae, forma hominum

Lege retineretur) Quum per legem manere in patria posset. Intelligitur lex Calpurnia, quae de ambitu damnatis exsilium non irrogabat. Postea decem annorum exsilium addidit Tullia lex, a consule Cicerone lata. MAN.

In hoc vos pudore, iudices) Sic ed. Iunt. Idem Graevio placebat et recepit Ern. Vulgo *in hoc vos pudore iudicii*.

Contuemini os) Vulgo additur *conferte crimen cum vita, in quo*.

indutae, exstiterunt. Perspicite etiam atque etiam, iudices. Nihil enim est, quod in hac causa dici possit vehementius. Penitus introspicite Catilinae, Autronii, Cethegi, Lentuli, ceterorumque mentes! quas vos in his libidines, quae flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quam incredibiles furores, quas notas scelerum, quae indicia parricidiorum, quantos acervos facinorum reperietis? Ex magnis, et diuturnis, et iam desperatis reipublicae morbis ista repente vis erupit, ut, ea confecta et eiecta, convalescere aliquando et sanari civitas posset. Neque enim est quisquam, qui arbitretur, illis inclusis in republica pestibus, diutius haec stare potuisse. Itaque eos non ad perficiendum scelus, sed ad luendas reipublicae poenas, Furiae quaedam incitaverunt. In hunc igitur gregem vos nunc P. Sullam, iudices, ex his, qui cum hoc vivunt atque vixerunt, honestissimorum hominum gregibus, reiicietis? Ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem, atque in parricidarum coetum ac numerum transferetis? Vbi erit igitur illud fortissimum praesidium pudoris? quo in loco nobis vita ante acta proderit? quod ad tempus existimationis partae fructus reservabitur, si in extremo discrimine ac dimicatione fortunae deseruerit? si non aderit? si nihil adiuvabit?

XXVIII. Quaestiones nobis servorum ac tormenta accusator minitatur: in quibus quamquam nihil periculi suspicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cuiusque tum animi, tum corporis, regit quaesitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur. Vita P. Sullae torqueatur:

Fortissimum) *Firmissimum* Lamb.

ex ea quaeratur, num quae occultetur libido, num quod lateat facinus, num quae crudelitas, num quae audacia. Nihil erroris erit in causa, nec obscuritatis, iudices, si a vobis vitae perpetuae vox ea, quae gravissima debet esse, audietur. Nullum in hac causa testem timemus: nihil quemquam scire, nihil vidisse, nihil audisse arbitramur. Sed tamen, si nihil vos P. Sullae fortuna movet, iudices, vestra moveat: vestra enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest, non ex libidine, aut simultate, aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari, sed in magnis disquisitionibus, repentinisque periculis, vitam uniuscuiusque esse testem. Quam vos, iudices, nolite armis suis spoliatam atque nudatam obiicere invidiae, dedere suspicioni. Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. Valeat ad poenam et ad salutem plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici, subito flecti fingique non posse.

XXIX. Quid vero? haec auctoritas (semper enim de ea dicendum est; quamquam a me timide modiceque dicetur), quid, inquam, haec auctoritas nostra, qui a ceteris coniurationis causis abstinuimus, P. Sullam defendimus: nihil hunc tandem iuvabit? Grave

Qui cum summa elegantia atque integritate) Graev. e cod. Franc. *qui cum summa elegantia vixistis atque integritate.*

Perfugia) Lamb. sine libris *perfugio*, i. e. quasi murum struite adversus perfugium improborum ne se vita ante acta defendere queant. At enim improbi se non possunt vita ante acta defendere, alia perfugia alias latebras quaerunt, ut falsa testimonia; ea igitur vult obstrui ne ad ea confugere possint.

Valeat) Scil. vita uniuscuiusque; nisi forte post *plurimum* excidit *vitae perpetuitas*, aut aliquid eiusdem significationis.

Abstinuimus) H. e. qui alios coniurationis reos non defendi.

Grave est — tacemus) Olim edeba-

est hoc dictum fortasse, iudices, si appetimus aliquid: grave si, quum ceteri de nobis silent, non etiam nosmetipsi tacemus. Sed, si laedimur, si accusamur, si in invidiam vocamur, profecto conceditis, iudices, ut nobis libertatem retinere liceat, si minus liceat, dignitatem. Accusati sunt uno nomine consulares: ut iam videatur honoris amplissimi nomen plus invidiae, quam dignitatis afferre. Adfuerunt, inquit, Catilinae, illumque laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat cognita coniuratio: defendebant amicum, aderant supplici, vitae eius turpitudinem in summis eius periculis non insequebantur. Quin etiam parens tuus, Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinae fuit advocatus: improbo homini, at supplici: fortasse audaci, at aliquando amico. Qui quum adfuit post delatam ad eum primam illam coniurationem, indicavit se audisse aliquid, non credidisse. At idem non adfuit alio in iudicio, quum adessent ceteri. Si postea cognorat ipse aliquid, quod in consulatu ignorasset; ignoscendum est iis, qui postea nihil audierunt. Sin illa res prima valuit; non inveterata, quam recens, debuit esse gravior. Sed, si tuus parens etiam in illa suspicione periculi sui, tamen humanitate adductus advocationem hominis improbissimi sella curuli atque ornamentis et suis et consulatus honestavit: quid est, quamobrem consulares, qui Catilinae adfuerunt, reprehendantur? At iidem iis, qui ante hunc causam de coniuratione dixerunt, non adfuerunt. Tanto scelere adstrictis hominibus, statuerunt nihil a se adiu-

tur *grave si appetimus* aliquid *tacemus grave*. Grul. e cod. Erfurt. supplevit verba *est hoc dictum fortasse iudices*.

Conceditis) Graev. e cod. Fr. 1, *concedetis*.

Sin illa res prima) Olim in edd. nonnullis erat *sin illa res de pecuniis repetundis prima*. Recte autem Lambino et Manulio auctoribus sublatum est glossema *de pecuniis repetundis* quod abest in codd. Lamb. Pall. etc.

menti, nihil opis, nihil auxilii ferri oportere. Atque, ut de eorum constantia atque animo in rempublicam dicam, quorum tacita gravitas et fides de unoquoque loquitur, neque cuiusquam ornamenta orationis desiderat: potest quisquam dicere unquam meliores, fortiores, constantiores consulares fuisse, quam iis temporibus et periculis, quibus paene oppressa est respublica? Quis non de communi salute apertissime, quis non fortissime, quis non constantissime sensit? Neque ego praecipue de consularibus disputo. Nam haec et hominum ornatissimorum, qui praetores fuerunt, et universi senatus, communis est laus: ut constet, post hominum memoriam nunquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rempublicam, plus gravitatis fuisse. Sed quia sunt descripti consulares, de his tantum mihi dicendum putavi, quod satis esset, attestante memoria omnium, neminem esse ex illo honoris gradu, qui non omni studio, virtute, auctoritate, incubuerit ad rempublicam conservandam.

XXX. Sed quid? Ego, qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinae consul non adfui, qui testimonium de coniuratione dixi in alios, adeone vobis alienus a sanitate, adeo oblitus constantiae meae, adeo immemor rerum a me gestarum esse videor, ut, quum consul bellum gesserim cum coniuratis, nunc eorum ducem servare cupiam, et in animum inducam, cuius nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim, eiusdem nunc causam vitamque defendere? Si medius fidius, iudices, non me ipsa respublica, meis laboribus et periculis conservata, ad gravitatem animi et constantiam sua dignitate revocaret; tamen hoc natura est in-

Attestante memoria omnium) *Attestantem memoriam omnium* codd. Pall. S. Vict. ed. Grut.

Servare) Sic plerique MSS. et edd. ac nuper Beck. Alii *conservare*.

situm, ut, quem timueris, quicum de vita fortunisque contenderis, cuius ex insidiis evaseris, hunc semper oderis. Sed, quum agatur honos meus amplissimus, gloria rerum gestarum singularis; quum, quoties quisquam est in hoc scelere convictus, toties renovetur memoria per me inventae salutis: ego sim tam demens? ego committam, ut ea, quae pro salute omnium gessi, casu magis et felicitate a me, quam virtute et consilio, gesta esse videantur? Quid? ergo hoc tibi sumis, dicet fortasse quispiam, ut, quia tu defenderis, innocens iudicetur? Ego vero, iudices, non modo nihil mihi assumo, in quo quispiam repugnet; sed etiam, si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. Non in ea republica versor, non iis temporibus caput meum obtuli pro patria periculis omnibus, non aut ita sunt exstincti, quos vici, aut ita grati, quos servavi, ut ego mihi plus appetere coner, quam quantum omnes inimici invidique patiantur. Grave esse videretur, quum, qui investigarit coniurationem, qui patefecerit, qui oppresserit, cui senatus singularibus verbis gratias egerit, cui uni togato supplicationem decreverit, dicere in iudicio: Non defenderem, si coniurasset. Non dico id, quod grave est; dico illud, quod in his causis coniurationis non auctoritati assumam, sed pudori meo: Ego ille coniurationis investigator atque ultor, certe non defenderem Sullam, si coniurasse arbitrarer. Ego, iudices, de tantis omnium periculis quum quaererem omnia, multa audirem, non

Est in hoc scelere) Lambin. omisit praepositionem *in*.

Conceditur) Hoc est, si id ab omnibus mihi concederetur, ut ea in re standum meae auctoritati esset, sponte remitterem, ac recusarem. Ferr.

Grave esse videretur) H. e. molestum aliis hoc videri posset quod nimium mihi arrogare viderer si hoc dicerem.

Pudori meo) Quomodo enim pudori suo Cicero consuleret, si defenderet quem coniurasse arbitraretur? Ferr.

crederem omnia, caverem omnia: dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius suspicione, nullius literis de P. Sulla rem ullam ad me esse delatam.

XXXI. Quamobrem vos, dii patrii ac penates, qui huic urbi atque huic imperio praesidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque romanum, qui haec tecta atque templa, me consule, vestro numine auxilioque servastis, testor, integro me animo ac libero, P. Sullae causam defendere: nullum a me sciente facinus occultari, nullum scelus susceptum contra salutem omnium defendi ac tegi. Nihil de hoc consul comperi, nihil suspicatus sum, nihil audivi. Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum (persolvi patriae, quod debui: reliqua iam a me meae perpetuae consuetudini naturaeque debentur): tam sum misericors, iudices, quam vos: tam mitis, quam qui lenissimus. In quo vehemens fui vobiscum, nihil feci, nisi coactus; reipublicae praecipitanti subveni; patriam demersam extuli; misericordia civium adducti, tunc fuimus tam vehementes, quam necesse fuit. Salus esset omnium amissa una nocte, nisi esset severitas illa suscepta. Sed ut ad sceleratorum poenam amore reipublicae sum adductus: sic ad salutem innocentium voluntate deducor. Nihil video esse in hoc P. Sulla, iudices, odio dignum, misericordia digna multa. Neque enim nunc propulsandae calamitatis suae causa supplex ad vos, iudices, confugit: sed ne qua generi ac nomini suo nota nefariae turpitudinis inuratur. Nam ipse quidem, si erit vestro iudicio liberatus, quae

Nullius literis) Sic Ern. ex edit. Ven. 1. Vulgo *nullis*.

De P. Sulla). Sic Lamb. alii; et nuper Beck. Vet. cod. ap. Lamb. *de reatu P. Sullae*; Lambin. coni. *de coniuratu P. Sullae*. Manut. malebat *de crimine P. Sullae*. Codd. Dresd. Franc. 2, edd. vett. *aliquot de republica Sullae*. Ern. edidit *literis de republica P. Sullae rem* etc.

habebit ornamenta, quae solatia reliquae vitae, quibus laetari et perfrui possit? Domus erit, credo, exornata; aperientur maiorum imagines: ipse ornatum ac vestitum recuperabit. Omnia, iudices, haec amissa sunt: omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius iudicii calamitate occiderunt. Sed ne exstinctor patriae, ne proditor, ne hostis appelletur, ne hanc labem tanti sceleris in familia relinquat, id laborat, id metuit; ne denique hic miser, coniurati et conscelerati et proditoris filius nominetur: huic puero, qui est ei vita sua multo carior, metuit, cui honoris integros fructus non sit traditurus, ne aeternam memoriam dedecoris relinquat. Hic vos orat, iudices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta, patri suo gratulari sinatis; huic misero notiora sunt iudiciorum itinera et fori, quam campi et disciplinarum. Non iam de vita P. Sullae, iudices, sed de sepultura contenditur. Vita erepta est superiore iudicio: nunc, ne corpus eiiciatur, laboramus. Quid enim est huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut quid est, quamobrem haec cuiquam vita videatur?

XXXII. Nuper is homo fuit in civitate P. Sulla, ut nemo ei se neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret; nunc, spoliatus omni dignitate, quae erepta sunt, non repetit; quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his necessariis lugere suam calamitatem liceat, id sibi ne eripiatis, iudices, vos obtestatur. Te ipsum iam,

Habebit) Ita legendam esse vidit Ern. Vulgo *habet*.

Vnius iudicii calamitate) Nempe *iudicio de ambitu*, quo damnatus est, et quum iam designatus esset, consulatu depulsus.

Sceleris) Sic primus edidit Lamb. e MS. Henr. Steph. et Pithoei pro vulg. *generis*.

Torquate, expletum esse huius miseriis, par erat. Etsi nihil aliud Sullae nisi consulatum abstulissetis, tamen eo vos contentos esse oportebat: honoris enim contentio vos ad causam, non inimicitiae deduxerunt. Sed quum huic omnia cum honore detracta sint, quum in hac fortuna misera ac luctuosissima destitutus sit: quid est, quod expetas amplius? Lucisne hanc usuram eripere vis, plenam lacrymarum atque moeroris, in qua cum maximo cruciatu atque dolore retinetur? Libenter reddiderit, adempta ignominia foedissimi criminis. An vero inimicum ut expellas? cuius ex miseriis, si esses crudelissimus, videndo fructum caperes maiorem, quam audiendo. O miserum et infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus est! o falsam spem! o volucrem fortunam! o caecam cupiditatem! o praeposteram gratulationem! quam cito illa omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrymas reciderunt, ut, qui paulo ante consul designatus fuisset, retineret repente nullum vestigium pristinae dignitatis! Quid enim erat mali, quod huic, spoliato honore, fama, fortunis, deesse videretur? aut cui novae calamitati locus ullus relictus erat? urget eadem fortuna, quae coepit; reperit novum moerorem; non patitur, hominem calamitosum uno modo afflictum uno in luctu perire.

XXXIII. Sed iam impedior egomet, iudices, dolore animi, ne de huius miseria plura dicam. Vestrae iam sunt partes, iudices: in vestra mansuetudine atque

Cap. XXXII. *O miserum infelicem illum diem!*) Oratorie deplorat etiam illud tempus quo damnatus est ambitus crimine, ut in eo desinat invidiosus

Fortuna misera) Lamb. *miserrima*. — *Locus ullus relictus erat?* Sic Ern. scribendum esse vidit. Vulg. *esset*.

humanitate causam totam repono. Vos, reiectione interposita, nihil suspicantibus nobis, repentini in nos iudices consedistis, ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis, a fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituti. Vt ego, quid de me populus romanus existimaret, quia severus in improbos fueram, laboravi, et, quae prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi: sic vos severitatem iudiciorum, quae per hos menses in homines audacissimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate. Hoc quum impetrare a vobis ipsa causa debet, tum est vestri animi atque virtutis declarare, non esse eos vos, ad quos potissimum, interposita reiectione, devenire convenerit. In quo ego, iudices, vos, quantum meus amor in vos postulat, tantum hortor, ut communi studio, quoniam in rebus coniuncti sumus, mansuetudine et misericordia vestra falsam a nobis crudelitatis famam repellamus.

esse, in quo miserandus existimetur — *Vos reiectione interposita* etc.) Sensus quidem multae obscuritatis est, cuius intellectus sic aperietur. Per illud tempus quum esset alius praeter Sullam reus, qui causam de vi lege Plautia diceret, omni labore conisus est L. Torquatus, ut ante iudicum reiectio fieret ad eam cognitionem, quae de illo quoque futura erat, qui huiusmodi reatu petebatur. Et hoc nimirum eo consilio et ea calliditate peregit, ut melioribus et iustioribus ad illam causam iudicibus electis, qui superessent immitiores et asperi iudices quique ab illorum numero fuissent reiecti, de P. Sulla iudicarent, pro naturae suae videlicet asperitate hunc vel innocentem damnaturi. De reo metuens orator in orationis exitu praecavet et invigilat, ut iudicibus, quorum asperitatem metuit, incutiat verecundiam priusquam ad ferendas sententias eant; ut metuentes invidiam nimiae duritiae, si reum poenae addixerint, iam pro illo sentire cogantur. Et ne hoc ipso tamen animos eorum laederet, communicavit fortunam temporis sui et consulatus, in quo et ipse contraxerat quasi nimis acerbae severitatis invidiam. Dicitque in commune omnibus consulendum, ut severitatem nimiam, quam temporis necessitate susceperint, praesenti humanitate mitificent.

Reiectione interposita) In qualibet causa sortiebatur Praetor, quinam ex singulis decuriis essent iudicaturi; mox accusator et reus reiiciebant quos inimicos sibi putarent; tertio Praetor in eorum locum alios subsortiri solebat. In causis de vi cautum fuisse videtur lege Lutatia, ut solus accusator reiiceret, et in locum reiectorum, quos ipse vellet, deligeret. Ferr.

In rebus) Sic Grut. Graev. Edd. vett. Oliv. Lall. *republica*.

ORATIO

PRO

A. LICINIO ARCHIA

POETA

ORATIO

PRO

A. LICINIO ARCHIA POETA

SVMMARIVM

A. Licinius Archias natus est Antiochiae, Syriae urbe, anno circiter V. C. 633. Etenim cap. 2 huius orationis dicitur Mario consule et Catulo A. V. 651 praetextatus adhuc, h. e. admodum adolescens fuisse. Is igitur postquam ex pueris excessit primum Antiochiae, deinde in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia ingenii et facultatis poëticae laude floruit. Et quum in Italiam venisset, a Tarentinis, Rheginis, Neapolitanis civitate ceterisque praemiis donatus est. Et quum esset iam propter famam multis qui Roma tum abfuerant, notus, Romam venit Mario et Catulo coss. adolescens circiter XVIII annos natus, eumque Luculli domum suam receperunt, a quibus etiam postea quum esset civitate donatus, gentilitium Licinii nomen assumpsisse videtur. Praeterea iucundus fuit Q. Metello Numidico, qui consul fuerat A. V. 645, eiusque filio Metello Pio, audiebatur a M. Aemilio Scauro, vivebat cum Q. Lutatio Catulo, patre (A. V. 611 qui consul fuerat), et filio (qui postea consul fuit A. V. 675), a L. Crasso oratore colebatur; Lucullos vero L. et M. fratres, et M. Livium Drusum M. F., Octavios Cn. et L. fratres, quorum alter consul cum Cinna fuit A. 666, alter cum C. Aurelio Cotta A. V. 978. Catonem (fortasse M. Catonis Vticensis patrem) item Hortensios consuetudine devinctos tenuit. Satis longo intervallo h. e. A. V. C. circiter 670 profectus est cum M. Lucullo in Siciliam, quod iter hic domestici negotii causa suscepisse videtur; nondum enim ad rempublicam accesserat; cum eodemque provincia decedens venit Heracleam, urbem Magnae Graeciae

inter Metapontum et Tarentum sitam, eiusque civitatem quum ipsa per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli, (quam ei et generis nobilitas et magnae facultates conciliarunt) impetravit. Et quum M. Plautius Silvanus et C. Papirius Carbo tribuni plebis A. V. 664 legem tulissent, ut civitas Romana daretur iis qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, si tum quum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi, Archias hac lege Plautia et Papiria civitatem Romanam adeptus est, utpote qui esset foederatae civitati Heracleensi adscriptus, et multos iam annos domicilium Romae habuisset. Professus autem est apud Q. Metellum Pium, familiarissimum suum, eodem anno 664 praetorem. Tum A. V. 865 L. Licinium Lucullum quaestorem in Asiam sequutus est, cum eoque ibi remansit usque ad A. 673, quo anno Lucullus rediit, aedilitatem petiturus, quam A. 674 una cum fratre Marco gessit. Postea eundem Lucullum A. 679 consulem ad bellum Mithridaticum proficiscentem comitatus est; cum eoque A. V. 688 rediit. A. V. 692 M. Pupio Pisone et M. Valerio Messalla coss. (quo anno sexagesimum Archias annum agebat, unde ei senectutem Cicero tribuit, cap. 3), a Graccho quodam, s. ut alii legunt Gratio, lege Papia reus factus est de civitate. C. Papius enim tribunus plebis A. V. 688 legem tulerat, qua sancitum est, ut peregrini urbe pellerentur, qui quum cives non essent, se pro civibus gererent.

Acta causa est apud praetorem populi romani, eiusque consilium. Quis ille fuerit, non constat. Ilgenius V. C. in animadversionibus historicis et criticis in Cic. Orat. pro Archia, bonae frugis plenissimis (quae insertae sunt opusculorum philoll. tomo secundo) pag. 92 sqq. evincere studet fuisse C. Virgilium Q. Ciceronis in praetura collegam. Cui libenter assentirer, si certum satis esset, Virgilium et Q. Ciceronem praeturam in urbe gessisse A. V. 692 Pisone et Messalla coss. Verum hoc ipso anno et verno quidem tempore Q. Cicero Att. I, 15, 16, iam abiit in provinciam Asiam, isque primus ei fuit annus provincialis, secundus A. 693 Metello et Afranio coss. tertius A. 694 Caesare et Bibulo coss. Itaque haud scio an Pighius verius, Q. Ciceronis et Virgilii praeturam urbanam anno 691 Silano et Murena coss. alligaverit. Inter eos autem praetores, qui A. 692 fuerunt, nemo est, in quem laudes a Cicerone praetori, qui quaestionem de Archiae civitate agebat, melius conveniant, quam C. Octavius (Octavii postea Caesari Augusti pater) qui

h. a. practor A. V. 693 magna cum laude Macedoniam rexit, et a Velleio (II, 59) vir gravis, sanctus, innocens appellatur.

In exordio Cicero se ad Archiam defendendum officio dicit adduci, quod quum inde a puero in studio eloquentiae sit eius hortatu praeceptisque conformatus, ei potissimum a quo id acceperit, quo aliis opitulari possit, opem et salutem ferre debeat, cap. 1, petitque a iudicibus ut quum pro summo poëta atque eruditissimo homine dicendum sit, patiantur se de studiis humanitatis et literarum paulo liberius dicere; quod si hoc concedant, perfecturum se pollicetur, ut A. Licinium Archiam non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, puteat asciscendum fuisse; cap. 2.

Itaque primum vita Archiae breviter enarrata docet, quando et quomodo civitatem romanam acceperit; cap. 3, 4. Nimirum quum esset in civitatem Heracleensium adscriptus, lege Plautia et Papiria aliquanto post civitatem Romanam impetravit. Tum refutat adversarii argumenta, quibus ille civitatem Archiae in dubium vocare ausus erat. Negari non posse eum Heracleae adscriptum esse, quippe quod M. Luculli et Heracleensium testimoniis confirmatur, etsi tabulae proferri non possint, quae Italico bello incenso eorum tabulario interierint. Negari non posse, eum domicilium Romae habuisse, et apud praetorem professum esse. Illud omnibus notum esse, hoc tabulis Metelli confirmari, in quibus nulla sit in nomine A. Licinii litura. Et quod adversarius obiiciat Archiam censum non esse, id sic refutat Cicero, quod proximis censoribus (L. Gellio Poplicola, Cn. Cornelio Lentulo) A. V. 684 et sqq. apud exercitum L. Luculli fuerit; superioribus (L. Marcio Philippo et M. Perperna) qui lustrum fecerunt A. V. 667, cum eodem Lucullo quaestore in Asia fuerit; primis autem post civitatem ab Archia impetratam, censoribus (P. Licinio Crasso et L. Iulius Caesare) A. V. 664 omnino nulla pars populi censa sit. Denique civitatem Archiae his etiam argumentis constare, quod testamentum saepe fecerit Romanis legibus, quod adierit hereditates civium Romanorum, quod in beneficiis delatus sit ad aerarium a L. Lucullo praetore et consule; cap. 5.

In altera parte orationis dignitatem Archiae demonstrat a doctrinae et poëseos laudibus, cap. 6-8, et quod Archias ingenium suum et studium ad gloriam populi romani contulerit, ideoque, non secus atque alii poëtae a claris et fortibus viris cultus sit et magni aestimatus.

In peroratione iudicibus Archiam commendat, cuius ingenium videant summorum hominum ingeniis expetitum, et cuius causa beneficio legis, (Plautiae Papiriae) auctoritate municipii (Heracliensis), testimonio M. Luculli, tabulis Metelli comprobetur.

I.

Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem, et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. Quod si haec vox, huius hortatu praeceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo ceteris opitulari et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem et salutem ferre debemus. Ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, atque haec

A. Licinius) Cod. Franc. 1, et Dresd. addunt *Archias*,

A. Licinius) Nomen ex Licinia gente sumpsit: cuius beneficio civis Romanus factus fuerat. Cur autem non etiam praenomen, incertum est. Mat.

Atque haec dicendi ratio) Vulgo *neque*. Sed rescripsi *atque*. Sic de Legg. II, 7: *quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille*. Non enim dicere volebat Archiam prorsus nullo ad eloquentiam ingenio fuisse, sed potius ad aliud potissimum artis genus natum fuisse, atque ad rationem dicendi.

dicendi ratio aut disciplina: ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.

II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima, et in iudicio publico, quum res agatur apud praetorem populi romani, lectissimum virum, et apud severissimos iudices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam; ut me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore exer-

Cap. II. *Cum res agitetur apud Praetorem P. R. lectissimum virum*) Hanc enim causam lege Papia de civitate romana apud Quintum Ciceronem dixit Archias huius M. Tulli fratrem. Quapropter utitur *deprecatione*, ne minus civiliter loqui existimetur, recedens videlicet aliquantum a forensi genere dicendi. Quod ipsum ne pro inepto accipiatur, iam praeloquitur, a modo praesentis causae non abhorrere, et personae vel maxime, pro qua dicendum esset, convenire. — *Hoc denique Praetore exercente iudicium*) Non vacat quod mentionem facit Praetoris ipsius, id est fratris sui Q. Ciceronis, qui iudicio praeerat. Opportunissimum quippe, ait, de laudibus poëtae boni apud eum dicere qui studiis huiusmodi delectetur. Fuit enim Q. Tullius non solum epici, verum etiam tragici carminis scriptor.

Huic uni) Male in MSS. et plerisque edd. *cuncti*. Emendarunt Ern. et seqq. — Iam Claudius Puteanus *huicce uni* coniiciebat, et Lambinus ita edidit, teste Grutero. Typ.

Quaestione legitima) De qua lex est, et quae lege exercetur. Man.

In iudicio publico) Nempe *de civitate*, ex lege Licinia et Plautia.

Apud praetorem populi romani) C. Virgilium Q. Ciceronis in praetura collegam fuisse putat Ilgenius. Sed vid. Summar.

Severissimos) Apud quos extra causam si quid afferlur, locum habere non videtur. Man.

Hac vestra humanitate) Literarum illarum scientia, de quibus mihi sermo futurus est.

cente iudicium, patiamini de studiis humanitatis ac literarum paulo loqui liberius; et in eiusmodi persona, quae, propter otium ac studium, minime in iudiciis periculisque iactata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam; perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias, atque ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, se ad scribendi studium contulit: primum Antiochiae (nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti) celeriter ei antecellere omnibus ingenii gloria contigit. Post in ceteris Asiae partibus, cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tunc plena graecarum artium ac disciplinarum; studiaque haec et in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, et hic Romae, propter tranquillitatem reipublicae, non negligebantur. Itaque hunc et Taren-

Cap. III. *Itaque hunc et Tarentini et Rhegini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt*) Vtiliter praeparavit ad causam, iam pridem hunc Archiam poëticae facultatis gratia celebrem a plurimis Italiae nobilissimis populis in numerum civium cooptatum. Quod nimirum argumento esse debeat, etiam Heracliensibus nuper adscriptum, robustiorem iam fama, at ingenti dignitate maiorem. Fuerunt autem urbes istae de quibus loquitur, a quibus.

Iactata) Sic probabili coniectura Ilgenius legendum censuit. Vulgo *tractata*.

Celeriter ei) Inserui *ei*, auctoribus Lamb. et Ern.

Cunctaque Graecia) Ita legendum censuerunt Pulean. Pantagath. Lamb. alii. Et sic cod. Barb. 1. Vulgo *cunctaeque Graeciae*.

Celebrabantur) *Celebrabatur* ed. Herv. cum aliis nonnullis.

tini, et Rhegini, et Neapolitani, civitate ceterisque praemiis donarunt: et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt. Hac tanta celebritate famae quum esset iam absentibus notus, Romam venit, Mario consule et Catulo. Nactus est primum consules eos, quorum alter res ad scribendum maximas, alter tum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset. Statim Luculli, quum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. Sed hoc non solum ingenii ac literarum, verum etiam naturae atque virtutis, ut domus, quae huius adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti. Erat temporibus illis iucundus Q. Metello, illi Numidico, et eius filio Pio; audiebatur a M. Aemilio; vivebat cum Q. Catulo, et patre et filio; a L. Crasso

dam Graecis tribubus conditae.—*Quorum alter res ad scribendum maximas, alter cum res gestas, tum etiam studium atque aures adhibere posset*) C. Marium Iugurthinum, qui ad consulatum septimum provectus est, non ignoramus a doctrinae studiis alienum, at sola rei militaris scientia floruisse; Quintum vero Catulum non mediocriter literis liberalibus informatum. Sed eleganter utique Archiam facere potuisse in hac parte narrationes ostendit, quia praestiterat C. Marius eas res, quae satis uberem materiam scribentibus darent. Catulus autem et rebus gerendis floruerat, et habilis auditor erat.—*Erat temporibus illis iucundus Q. Metello illi Numidico, qui de Iugurtha triumphavit, et eius Pio filio*) Hic Metellum *exulantem* cum Pompilio.... e confec.....—*Audiebatur a M. Aemilio*) M. Aemilium Scaurum hac in parte significat, et ipsum multae eruditionis, ut historia de illo habet.—*Cum Quinto Catulo patre et filio*) Ambo Cinnana dominatione, ...ti sunt.—*A L. Crasso colebatur*) Ea aetate hic etiam cum maxime in studiis elo-

Absentibus) I. e. iis qui Roma aberant, per Italiam, Graeciam, Asiam peregrinati. Heumannus coni. *absens*; sed nihil opus.

Alter res ad scribendum maximas, alter tum res gestas — adhibere posset) Marius adversus Iugurtham, Ambrones, Teutonos, Cimbros: Catulus adversus Cimbros. Hic praeterea eruditus fuit. Extant eius in Roscium versiculi apud Cicer. 1, de N. D. Gell. lib. 19, cap. 9. PASSER.

Sed hoc) Vulgo *sed etiam*. Id. Nauger. al. usque ad Gruter. *Sed enim*. Edd. Lamb. *Et enim*.

Et eius filio Pio) Ita rescripsi pro vulg. *et eius Pio filio*.

colebatur; Lucullos vero, et Drusum, et Octavios, et Catonem, et totam Hortensiorum domum, devinctam consuetudine quum teneret, afficiebatur summo honore: quod eum non solum colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, quum esset cum M. Lucullo in Siciliam profectus, et quum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. Quae quum esset civitas aequissimo iure ac foedere, adscribi se in eam civitatem voluit: idque, quum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate et gratia Luculli ab Heracleensibus impetravit. Data est civitas Silvani lege et Carbonis, SI QVI FOEDERATIS CIVITATIBVS ADSCRIPTI FVISSENT; SI TVM QVVM LEX FEREBATVR, IN ITALIA DOMICILIVM HABVISSENT, ET SI SEXAGINTA DIE-

quentiae floruit. — *Lucullos vero*) Significat *Marcum* et Lucium, quorum alter de Macedonia, alter de *bello Mithridatico* triumpharunt.—*Et Drusum*) Hic nobilissimus tribunus pl. fuit defensor senatus contra plebem, qui postea intra secreta domus suae interfectus est. — *Et Octavios*) Alter eius Octavii filius, quem post bellum civile nuper collegam suum L. Cinna victor occidit. Alter vero Cn. Octavius M. Octavio patre, qui consulatum cum Scribonio Curione gessit. — *Et Catonem et totam Hortensiorum domum*) Patrem Catonis significat eius, qui se post civile bellum Vticae interfecit. L. Hortensio autem filius fuit Q. Hortensius, qui temporibus M. Tulli, quamvis aetate provectior, non tamen famosior, oratoris nomen obtinuit. Densitas igitur haec exemplorum, quae ad personas nobiles refertur, multum praesenti negotio patrocinatur, ut Archias tot amicis et tam inlustribus nixus perquam facile ad honorem civitatis Romanae potuerit pervenire.

In Siciliam) Ita MSS. plerique; recte. Vid. Vrsin. Alii *Ciliciam*. T.

Heracleam) in magna Graecia inter Metapontum et Tarentum. T.

Aequissimo iure ac foedere) Videtur omnino significare, meliore quodam iure, ac foedere Heraclienses fuisse, quam Tarentinos, Rheginos, Neapolitanos. Alioqui cur in eas adscribi cuperet Archias, quasi ceteris, in quos adscriptus antea fuerat, neglectis? quorum etiam tabulis Archiam non uti, quod semper se Heracliensem esse voluerit, infra dicit. MAX.

Si sexaginta diebus) Non est per sexaginta dies continuos profiteri, quo quid absurdius? nec post sexaginta

BVS APVD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Quum hic domicilium Romae multos iam annos haberet, professus est apud praetorem, Q. Metellum, familiarissimum suum. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege, dicimus, nihil dico amplius : causa dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleaene esse tum adscriptum negabis? Adest vir summa auctoritate et religione et fide M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heracleenses legati, nobilissimi homines : huius iudicii causa, cum mandatis, et cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heracleae dicunt. Hic tu tabulas desideras Heracleensium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum, ad ea, quae habemus, nihil dicere; quaerere, quae habere non possumus; et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare; et quum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii iusiurandum fidemque, ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. « At domicilium in Italia non ha-

CAP. IV. *Hic tu tabulas desideres Heracliensium, quas interisse scimus omnes*) Id quod derivat in aliam causam, qua effectum sit, ne exhiberi verae possent, id est propter incendium, quod evenerat bello sociali.

dies, ut Lambinus conatur reponere; sed intra sexaginta dies. Dati autem sexaginta dies, ut ii qui longius abessent, satis scilicet haberent temporis quo Romam venirent ad profitendum. Profitetur qui edit aliquid, et publice testatum esse vult, ut profiteri censum, et merces apud publicanos. Graeci, ἀπογράφεσθαι, de qua voce vide Budaeum in Pandectas. PASSER.

Gracche) Sic Naug. Man. Lambin. idque defendit Ilgen. Vulgo *Grati.*

Heracleae) Sic legi volunt Lamb. quod sane placet; refertur enim ad illud, quod praecesserat, *Heracleaene esse tum adscriptum negabis?* Vulgo *qui hunc adscriptum Heracleensem dicunt.*

In Italia) Recte Lamb. sic dedit pro vulg. *Romae.* Illud enim erat in lege. Tollius utrumque omisit; at op-

buit. » Is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? « At non est professus. » Immo vero iis tabulis professus, quae solae ex illa professione, collegioque praetorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam quum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas, omnem tabularum fidem resignasset: Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum praetorem et ad iudices venerit, et unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis.

V. Quae quum ita sint, quid est, quod de eius civitate dubitetis, praesertim quum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim quum mediocribus multis, et aut nulla aut humili aliqua arte praeditis, gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur,

Cap. V. *Gabinii quandiu incolumis fuit*) Aulus Gabinius damnatus fuerat de pecuniis repetundis, quod acceptis decem millibus talentum ab rege

positio tamen requirere videtur ut illud *in Italia* diserte repetatur.

Ante civitatem datam) Silvani lege, et Carbonis, quae civitatem non dabat, nisi qui domicilium in Italia, quum lex ferretur, habuisset. Man.

Collocavit?) Sic melius interpunxit auctore *Ilgenio* Beckius. Nam in verbis *at domicilium — habuit* est obiectio adversarii. Ern. vero verbis *at domicilium — collocavit* responsionem contineri putavit, ideoque sic interpunxit: *At domicilium in Italia non habuit is, qui — collocavit?*

Gabinii) Nempe Appius Claudius Pulcher, pater Clodii, et P. Gabinius A. V. 664 cum Metello praetores fuerunt.

Quamdiu incolumis fuit) Antequam condemnaretur. Man.

Omnem tabularum fidem resignasset) Omnem eius tabulis, in quibus professorum erant nomina, fidem abrogasset. Resignasset, inquit, quia tabulae obsignabantur annulo praetoris. Id.

Ad iudices venerit) Vt de litura illa, quam in suis tabulis deprehenderat, indicarent. Id.

Dixerit) L. Lentulus Flamen Martialis A. V. 692 praetor fuit.

Gratuito) Nullo eorum merito, nulla, aut humili arte. Man.

Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingenii praedito gloria, noluisse. Quid? quum ceteri, non modo post civitatem datam, sed etiam post legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserint: hic, qui ne utitur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heracleensem esse voluit, reiicietur? Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximis censoribus, hunc cum clarissimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuisse; superioribus, cum eodem quaestore fuisse in Asia; primis, Iulio et Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed, quoniam census non ius civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se iam tum gessisse pro cive: iis temporibus, quibus tu criminaris, ne ipsius quidem

Ptolemaeo, duxisse Romanum exercitum in Aegyptum diceretur. — *Census nostros requiris*) Etiam hoc argumento deficiebatur Archias: nec poterat is probare, cum ceteris civibus Romanis apud praecedentium temporum censores bona sua professum. Et hoc coloratur absentiae adiectione, quod eum constet illis censoribus et Romae non fuisse, ac propterea censum non detulisse. — *Cum L. Lucullo apud exercitum fuisse*) In Asia scilicet tempore

Post legem Papiam) Secundam latam a C. Papio, *Ne quis peregrinus pro cive se gereret*. Ferr.

Est enim obscurum) Ironice dictum.

Proximis censoribus) L. Gellio Poplicola, Cn. Cornelio Lentulo A. V. 683.

Apud exercitum) In exercitu, et apud exercitum, non eodem sensu dicitur: in exercitu, qui miles est, apud exercitum, qui vel negotii, vel rei militaris cognoscendae gratia, vel quovis potius, quam stipendii nomine, in exercitu est. Archias autem non miles erat, sed pro sua virtute contubernalis imperatoris. Man.

Superioribus) L. Marcio Philippo et M. Perperna A. V. 667, post quos censura diu intermissa est.

Primis) Scil. post civitatem Archiae datam.

Iulio et Crasso) L. Iulio Caesare, P. Licinio Crasso cens. A. V. 664.

Iis temporibus, quibus tu criminaris etc.) Hoc est: illis ipsis temporibus, quibus tu contendis Archiam ipsum nondum prae se tulisse se civem esse, multa pro cive gessit, testamentum fecit, et quae sequuntur. Igitur falsum est, quod tu criminaris. Graev.

Quibus tu criminaris) Vulgo *quae*,

iudicio eum in civium romanorum iure esse versatum, et testamentum saepe fecit nostris legibus, et adiit hereditates civium romanorum, et in beneficiis ad aerarium delatus est a L. Lucullo praetore et consule. Quaere argumenta, si qua potes. Nunquam enim hic neque suo, neque amicorum iudicio revincetur.

VI. Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc nomine delectemur. Quia suppeditat nobis, ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant. An tu existimas aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus, in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus; aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum: ceteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his

belli Mithridatici. — *Et testamentum saepe fecit nostris legibus*) A partibus ad totum. Rebus gestis quam plurimis Archiam signa edidisse civis R. quae non poterat habere peregrinus.

quod sensum et structuram orationis turbat. Graevius igitur *queis* reponendum censuit. Sed hac forma Cicero non utitur. Itaque rescripsi *quibus*.

In beneficiis ad aerarium delatus est) Hunc ego morem deferendi ad aerarium, si qui bene de republica meriti essent, didici olim ex epist. 20, lib. V Famil. in quà sic est: *Quod scribis de beneficiis, scito a me tribunos militares, et praefectos, et contubernales duntaxat meos delatos esse.* Qui enim utilem reipublicae operam in bello quacumque ratione navaverant, eorum nomina, ex bello reversi, vel praetores, vel imperatores ad aerarium deferebant. Man.

Deferri in beneficiis ad aerarium, non erat emolumentum, verum merus honor et commendatio illarum personarum apud populum romanum profutura illis vel ad maiora ornamenta ab republica consequenda, vel ad pericula, si quae exstitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut iudicio et beneficio principum honestarentur. Sic hic Archiam a Lucullo: sic L. Cornelium Balbum a Pompeio in beneficiis ad aerarium delatum esse iactat in illorum defensione Cicero. I. Fr. Gronov. de pec. vet. III, 27, ubi vide plura. Graev.

L. Lucullo praetore et consule) Nihil opus est corrigere *L. Lucullo proconsule*, ut Graevius voluit.

neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, iudices, ut ab nullius unquam me tempore aut commodo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festós dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporum; quantum alii tribuunt tempestivis conviviis; quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis haec quoque censetur oratio et facultas; quae quantacumque in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quae si cui levior videtur; illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, nisi multorum praeceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exsilii, parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos pro-

CAP. VI. *Quantum denique aleae, quantum pilae*) Sunt enim haec, ut vulgo comperimus, genera ludendi.

Ab nullius unquam me tempore) *A nullius tempore*, hoc est a nullius afflicta fortuna, sive eius caput sive res ageretur, me avocavit aut meae utilitatis respectus, aut amor studendi, id enim est otium, aut voluptas, aut somnus. GRAEV.

Tempestivis conviviis) Vide supra, pro Murena, cap. 6.

Ex his studiis haec quoque censetur oratio et facultas) Dicendi facultas ex poëtarum lectione *censetur*, id est, pretium et aestimationem meretur, et in primis laudatur: a Graecis δοκεῖν dicitur, quorum imitatione ita loqui solemus. BVD. *in Pand.*

Suasissem) Lamb. *persuasissem.*

fligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas; quae iacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas scriptores et Graeci et Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum et mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quaeret quispiam: « Quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditae sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt?» Difficile est hoc de omnibus confirmare; sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse sine doctrina, et naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae: tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere. Ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos: ex hoc fortissimum virum, et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem: qui profecto, si nihil ad

Accederet) *Accenderet* codd. Erf. Dresd. Pith. al. ed. Iunt. male.

Sine doctrina) Vulgo *et sine doctrina*. Copulam vero hic delevi, et ante *naturae* posui. Eandem Lambinus transferendam putabat ante vv. *per se ipsos*.

Conformatioque) Recte Lamb. Graev. Ern. hoc substituerunt vulgato *confirmatioque*.

percipiendam colendamque virtutem literis adiuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, et si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi adversionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum: haec studia adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

VIII. Quod si ipsi haec neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur? qui quum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, iudices, (utar enim vestra benignitate,

Cap. VIII. *Quis animo tam agresti et duro fuit, ut Rosci morte non moveretur*) Quintum Roscium Gallum dicit illis temporibus inlustrem comici operis auctorem, quem familiarissime Cicero dilexit, qui non ita pridem vita excesserat.

Nam ceterae) Scil. *animadversiones.*

Adolescentiam agunt) Sic plerique codd. Et receperunt Victor. Graev. Ern. etc. probante Mureto; — *agunt* h. e. erudiunt, instituunt. Vnde liberorum institutio vocatur ἡ τῶν παίδων ἀγωγή. Alii ut Naug. Camerar. Lambin. dederunt *aiunt*, adstipulante Mureto, qui recte dici *alunt* de aetata quae crescit, affirmat.

Nos animorum) Ernestio placebat *hos animorum*. Ilgenio *num animorum*; at vulgatum recte Beckius defendit.

quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis), quoties ego hunc vidi, quum literam scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis? Quae vero accurate cogitateque scripsisset, ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia, et doctrina et praeceptis et arte constare: poëtam natura ipsa valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent; bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum; Chii suum vendicant; Salaminii repetunt; Smyrnaei vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt.

IX. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui et voluntate

Atque) Sic Ilgenius emendavit. Vulgo *Atqui*. — Vulgatam cum aliis sequi placet. Typ.

Inflari) Sic Grut. Graev. etc. e MSS. quod propius accedit ad vim graeci verbi ἐνθουσιάζεσθαι, quam *afflari*, in multis editionibus editum.

Commendati) Gulielm. coni. *commodati*.

et legibus noster est, repudiamus? praesertim quum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi romani gloriam laudemque celebrandam? Nam et Cimbricas res adolescens attigit, et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, iucundus fuit. Neque enim quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem illum, summum Athenis virum, dixisse aiunt, quum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissime audiret: *eius, a quo sua virtus optime praedicaretur.* Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit, cuius ingenio putabat ea, quae gesserat, posse celebrari. Mithridaticum vero bellum, magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est: qui libri non modo L. Lucullum, fortissimum et clarissimum virum, verum etiam populi romani nomen illustrant. Populus enim romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum, et regiis quondam opibus, et ipsa natura regionis vallatum; populi romani exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit; populi romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, eiusdem consilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam: nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum inter-

CAP. IX. *Ille Marius idem eximie L. Clodium dilexit*) Hic primus Romae studia Latina docuisse fertur.

Repudiamus?) Sic plerique codd. MSS. Vulgo olim *repudiabimus*. Praesens placuit Graevio, Ilgenio, Beckio ut ἐμφατικώτερον. In duobus codd. Oxx. est *repudiemus*.

Facile praeconium patiatur) Lambin. *praeconium facile patiatur*.

L. Plotium) Nominatum a Suetonio inter claros rhetores. MANVT.

fectis ducibus depressa hostium classis, et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi. Quare, quorum ingeniis haec efferuntur, ab iis populi romani fama celebratur. Carus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore. At eius laudibus certe non solum ipsi, qui laudantur, sed etiam populi romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur. Magnus honos populi romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii, non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracleensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiiciemus?

X. Nam si quis minorem gloriae fructum putat ex

Cap. X. *Ergo illum qui haec fecerat Rudinum hominem*) Natione Rudinus fuit Ennius, quem superior Africanus dilectum familiarissime etiam communicato sepulchri honore dicitur in maiorum suorum numerum redegisse. Sepulchrum fuisse traditum extra portam Capenam mille fere passibus ab

Efferuntur) Ita recepi auctore Goërenzio ad Cic. de Legg. III, 9 pro vulg. *feruntur*.

At eius laudibus) Obsequutus sum Ilgenio qui pulchre vidit pro vulgato *At iis laudibus* legendum esse: *At eius* (scil. Ennii) *laudibus*. In vulgata recte haeserunt Gulielm. et Ern. ut aliquid excidisse putarent. Leviore medela Ilgenius totum locum persanavit. Frustra repugnat Goërenzius; quem audirem, si *iis* posset ad superiora ubi de Plotio et Archia agebatur referri. Nunc autem transierat ad Ennium. *Ipsi* legitur in cdd. omnibus. Goërenzius putabat esse e correctione.

Huius proavus) *Huius* δεικτικῶς; potuit enim adesse *Archiae* Cato Vticensis, vel inter iudices sedere.

Qui haec fecerat) I. e. qui haec poëmata fecerat, in quibus Cato, et ceteri, quos nominavit, laudantur.

Rudium) *Rudinum* maluit Ant. Augustinus.

Rudium hominem) Rudiae oppidum Apuliae, foederata civitas, quo tempore Ennius in civitatem est receptus, quae postea colonia fuit, a Q. Fulvio Nobiliore deducta, cuius beneficio civis R. factus est Ennius, ut in Bruto legimus.

graecis versibus percipi, quam ex latinis, vehementer errat: propterea quod graeca leguntur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare si res eae quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur, cupere debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod quum ipsis populis, de quorum rebus scribitur, haec ampla sunt; tum iis certe, qui de vita, gloriae causa, dimicant, hoc maximum et periculorum incitamentum est, et laborum. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur? Atque is tamen, quum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset, *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris.* Et vere. Nam, nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit, nonne Theophanem Mytilenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit? et nostri illi fortes viri, sed rustici ac milites, dulcedine quadam gloriae commoti, quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, si civis romanus Archias legibus non esset, ut ab aliquo impe-

urbe seiunctum. — *Quid noster hic magnus*) De Cn. Pompeio dici manifestum. Et opportune, quoniam supra mentionem fecerat Macedonis Alexandri cui hoc idem cognomentum fuit, de Pompeio dicturus adiecit « hic no-

Quare si res eae) Sic ed. pr. Ven. Lamb. Idque placuit Victorio et Garatono. Vulg. *hae*; quod ferri posset si Mithridaticum tantum bellum respiceretur.

Quo manuum) Olim *quo minus manuum*. Recte Lamb. delevit *minus*.

Nisi Ilias illa exstitisset) Lamb. et Maunt. *nisi Ilias exstitisset illa*. Muretus coniiciebat legendum: *nisi Ilias exstitisset, ille idem tumulus* etc. Sane eleganter.

Noster hic Magnus) Ergo aderat Pompeius, qui Messala et Pupio coss. urbem ingressus est: adeoque eodem anno habita est haec oratio. Ferr.

ratore civitate donaretur, perficere non potuit. Sulla, quum Hispanos et Gallos donaret, hunc petentem repudiasset? quem nos in concione vidimus; quum ei libellum malus poëta de populo subiecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, iubere ei premium tribui sub ea conditione, *ne quid postea scriberet.* Qui sedulitatem mali poëtae duxerit aliquo tamen praemio dignam, huius ingenium et virtutem in scribendo et copiam non expetisset? Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poëtis,

ster.» — *Epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus*) Ab exemplo adiudicando, non sine differentia tamen personarum, haec argumentatio impletur; L. Sullam praeter ceteros Archiae daturum civitatem romanam fuisse poëta nobilissimo, quoniam malos plerosque existimaverit honorandos. Alternos igitur versus dicit elegiacos, metris scilicet dissentientibus varios. Primus autem videtur elegiacum carmen scripsisse Kallinos. Adiicit Aristoteles praeterea hoc genus poëtas Antimachum Colofonium, Archilochum Parium, Mimnermom Colofonium, quorum numero additur etiam Solon Athaniensiom legum scriptor nobilissimus. — *Ex his rebus quas vendebat iussit enim pretium tribui, sed ea conditione, ne quid postea scriberet*) Non potuit expressius vitia poëtae declarare, quam dicendo datum illi non praemiom laudis, sed mercedem silentii. — *Etiam Cordubae natis poetis pingue quiddam sonantibus*) De versiculis nec egregio cultu, nec amoena varietate, nec eminentibus figuris carmen instructum.

Perficere non potuit) Ernestius opinabatur legendum *potuisset:* quem bene Ilgenius refutavit.

Gallos donaret) *Credo* hic male repetitum delevi. Nam antea erat recte positum ad significandum ironiam. Hic autem directa est interrogatio, ut paulo post in verbis *qui sedulitatem — expetisset?* Certe qui *credo* hic servandum putant, post *repudiasset* non interrogandi sed puncti signo distinguere debent.

Huius ingenium) In multis MSS. pessime scriptum *cuius*, quod Gruterus tamen recepit.

Cordubae natis poëtis etc.). Quonam fato evenisse dicam, ut eandem regionem tamdiu eadem lues infecerit? Non enim possum, quin de poëtis Hispanis, Mureti iudicium describam e praefatione in Catullum: «Hispani poëtae praecipue et Romani sermonis elegantiam contaminarunt, et, quum inflatum quuddam, et tu-

pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio: et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt, praedicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, summus ille vir

CAP. XI. *Decimus quidem Brutus*) Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento

midum, et gentis suae moribus congruens invenissent orationis genus, averterunt exemplo suo ceteros a recta illa, et simplici, in qua praecipua poëtarum sita laus est, et in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione naturae. Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque versum maxime inflaverat, sententiam maxime contorserat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui, ita in pretio haberi coepit. Quin etiam fucatus ille splendor, et adulterina eloquentiae species ita nonnullorum, qui verae eloquentiae gustum non habent, occaecavit animos, ut his quoque temporibus extiterint Hispani duo, homines caeteroqui et in primis eruditi, et scriptis editis nobiles; quorum alter Lucanum Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veritus non est. Quorum ab utroque ita dissentio, ut, si quis deus potestatem mihi optionemque faciat, non dicam Virgilii, cui videor iniuriam facere, si eum ullo modo cum ceteris comparem, sed Ennii alicuius, aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo esse me malim: inter Martialis autem et Catulli scripta tantum interesse arbitrer, quantum inter dicta scurrae alicuius in trivio, et inter liberales ingenui hominis iocos multo urbanitatis aspersos sale. Neque vero negaverim, multa in Martiale quoque non inscienter dicta reperiri: sed profecto deteriorum longe numerus maior est. Latinae quidem orationis nativa illa, minimeque quasi pigmentis infucata germanitas in Martiale nulla est, in Catullo praecipua». Vt discederem ab instituto, atque hunc, contra ac sum solitus, pannum assuerem, induxit me, et prope coëgit orationis totius mira suavitate coniuncta utilitas. Quam enim haec scripta candida! quam vere! quam opportune huic aevo, nostrisque hominibus! Huc illos voco festivarum scriptionum artifices, quos pravae imitationis nescio quae intemperies atque contagio privat omni bono naturae; et quum in curatura styli parum, vel nihil ponant, sibi ac mulierculis canunt. OLIV.

Ipsi philosophi) Vulgo *ipsi illi philosophi*; in quo delevi *illi*, quod hic superfluum est, et male sonat, quum statim sequatur *illis libellis*.

Brutus) Dec. Iunius Brutus A. V.

et imperator, Attii, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille, qui cum Aetolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati, poëtarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poëtarum salute abhorrere.

XI. Atque, ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius urbis atque imperii, et pro vita civium, proque universa republica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, et, si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc

ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Eius etiam nomini dicatus poëtae tragici extat liber, cuius plurimos versus, quos Saturnios appellaverunt, vestibulo templi Martis superscripsit Brutus. — *Hunc ad perficiendum adoravi*) Hoc verbum *adorāvi* significat cohortatus sum; adoravit autem orare et petere significat.

615 cos. cum P. Scipione Africano minore.

Fulvius) M. Fulvius Nobilior, qui Ennium secum in Aetoliam duxit. *Tusc.* I, 2.

insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes et dies animum gloriae stimulis concitat, atque admonet, non cum vitae tempore commetiendam esse commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut, quum usque ad extremum spatium, nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? An, quum statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerint, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem non multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam? Ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam. Haec vero sive a meo sensu post mortem afutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam speque delector.

XII. Quare conservate, iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum digni-

Non cum vitae tempore commetiendam esse) Vulgo *non cum vitae tempore esse dimittendam c. n.* In quo quum *dimittendam* a sententia Ciceronis prorsus alienum sit, Lambinus vestigia scripturae in MS. cod. sequutus reposuit *dimetiendam*. Sed huic verbo non satis respondet praepositio *cum* in verbis *cum vitae tempore*. Ergo praetuli *commetiendam*; et plane sic dicitur ap. Cic. de Inv. I, 26, *commetiri cum tempore negotium*.

Nobiscum — arbitremur) Nihil opus est Ernestii coniectura: *nobiscum simul mori omnia velimus*. Nam ille *parvus animus* est in *opinione*, qua homines *nullam post mortem rerum gestarum memoriam futuram esse arbitrantur*. Idem vidit Ilgenius.

Reliquerint) Recte sic Lambinus. Plerique codd. *reliquerunt* quod Graevius relinuit.

Aliquam mei partem) Vulgo *aliquam animi mei partem*. Recte Lallemandus delevit *animi*, quod in cod. Vrsini et uno Paris. omittitur, eumque sequutus est Beckius.

Quem amicorum) Olim addebatur *studiis*, quod abest plerisque codd.

tate, tum etiam vetustate; ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingeniis expetitum esse videatis: causa vero eiusmodi, quae beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quae quum ita sint, petimus a vobis, iudices, si qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi romani res gestas semper ornavit, qui etiam his recentibus nostris vestrisque domesticis periculis aeternum se testimonium laudum daturum esse profitetur, quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atque dicti, sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate vestra levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur.

Cap. XII. *Qui vos, qui vestros imperatores, qui P. R. res gestas semper ornavit.* — **Epilogus valde conveniens personae rei, quo devotionem Licinii Archiae commendat in rebus romanis omnesque ingenii vires occupatas.**

MSS. recte eiectum a Lamb. Graev., Ern. etc.

Tum dignitate, tum etiam venustate) Pro *venustate* legendum *vetustate*. Hoc enim dicit: pudorem et integritatem morum in Archia comprobari amicorum ipsius tum dignitate, tum vetustate. Luculli enim, et Metelli, et Catuli, et alii praeterea viri gravissimi, quos antea nominarat, non tantum Archiae amici, sed veterrimi amici erant . . . . Inepte in talibus viris, quasi in pulchellis pueris, venustatem commendari etc. Mvr. Var. lect. XII, 15. Hic denotat *venustas*, homines venustos, politos, ut apud Catullum: *Et quidquid est hominum venustiorum.* Hi aliter dicuntur *belli*, *elegantes*, culti homines, qui studiis et ingenio Archiae capiuntur. Graev.


Vetustate) Mirum est fuisse, quibus lectio *venustate*, quamvis eam habeant codd. MSS. tantum non omnes, placeret. Vnice verum est *vetustate*, quod viderunt Muretus, Tollius, Heumannus, Ilgenius, alii. Probitatem enim hominis significat vetustas amicitiae praesertim dignorum hominum; cf. c. 3, *ut domus — senectuti*.

Non modo humana) Non modo ab hominibus, sed et a diis profecta commendatio. Hominibus commendatus esse debet, qui hominum laudes commendat posteritati. *Divina*, quod divino afflantur spiritu poëtae, unde quoque sancti habentur. Graev.

Quae de causa pro mea consuetudine, breviter simpliciterque dixi, iudices, ea confido probata esse omnibus: quae non fori, neque iudiciali consuetudine, et de hominis ingenio, et communiter de ipsius studio loquutus sum, ea, iudices, a vobis spero esse in bonam partem accepta; ab eo, qui iudicium exercet, certo scio.

Quae — consuetudine) Variant in his codd. MSS. Et suspicor ea ex notatione grammatici in textum irrepsisse, cui succurrebat locus c. 2, *ne cui vestrum mirum esse videatur me — hoc uti genere dicendi quod non modo a consuetudine iudiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat.* Nihil opus erat Ciceronem hic ista repetere. Garatonus ita corrigendum censebat *quae a foro aliena iudicialique consuetudine*, quod est certe vulgato melius.

Qui iudicium exercet) A Praetore, quem ut literatum, et humanitatis studiosum laudat, ad eius benevolentiam sibi conciliandam. Ferr.



ORATIO

PRO

CN. PLANCIO

OPE CODICIS BAVARICI

AD VERIOREM LECTIONEM

RESTITVTA

TYPOGRAPHI MONITVM

Quum omnium Ciceronis orationum haec intricatior, difficiliorque habeatur, mihi crimini non datum iri duxi, si eam, subsidiis praeter morem copiosioribus, criticisque disquisitionibus stipatam, publici iuris fecissem. Plurima sane adiumenta, nec ea, mea quidem sententia, spernenda, petii a Garatono, qui variantes codicis Bavarici ab Harlesio mutuatus, secundis curis loca plurima huius orationis fecerit planiora. Prodiit autem eius libellus Bononiae anno 1816*; sed non ita manibus tritus, neque adeo pervius, ut abstinendum mihi esset ab eo excerpendo. Quae inde expromsi, longiora quidem videri poterunt; sed ita sunt contexta, ut aut omnino a me essent praetereunda, aut integra exhibenda. Quum vero animadverterem, vulgatam lectionem non ubique sensum perspicuum exhibere, lectoremque interdum, propter vitia locis nonnullis adhuc extantia, dubium fortasse haerendum esse; existimavi, ita rem totam a me moderandam esse, ut neque nihil prorsus ex opibus egregiis, quas suppeditat cod. Bavaricus, attingerem, neque omnia contra admitterem, quae uti optima laudavit Garatonus. Sed, delectu instituto, ea tantum in textum recepi, quae plerisque lectoribus probatum iri mihi viderentur. Hoc pacto et temeritatis notam me effugisse confido, neque rursus adeo morosum me praebuisse, ut divitias ante pedes positas spernerem. Nam quis, ex. gr., ambigat, emendationem hanc in oratione pro Sulla cap.* 23, Kalendis ianuariis, *pro* populum romanum latuit, *esse admittendam?*

aut additiunculam illam, quam in cap. V huius orationis nobis affert Bavaricus, parvifaciendam duxerit? vel denique, ut alia omittam, eiusdem orat. cap. XXI fin. pro ante, *non legendum existimet* autem *cum eodem codice et Lambino? Quod nuperrimi Parisienses editores, haud recte, ut mihi videtur, omiserunt, quum tamen Garatoni libellum et nossent, et citaverint.*

ORATIO

PRO

CN. PLANCIO

SVMMARIVM

Cn. Plancius Cn. F. A. V. 695, quaestor fuerat L. Appulei praetoris in Macedonia. Natus erat in praefectura Atinati ex familia equestri; eiusque pater publicanus fuerat. Is quum Cicero exsul iu Macedoniam veniret, eum omnibus modis fovit; et simulac eum Dyrrachium attigisse audivit, statim ad eum lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est, eumque Thessalonicam in quaestorium perduxit. A. V. 697 tribunus plebis fuit, in eoque tribunatu praeter alios collegam habuit L. Racilium. A. V. 698 aedilitatem petiit, una cum M. Iuventio Laterensi, qui quum repulsam tulisset, eodem anno una cum subscriptoribus Plancium ambitus accusavit lege Licinia de sodalitiis, i. e. tribubus per sodalitia corruptis, qua lege accusatori concedebantur edititii iudices, h. e. quum in aliis iudiciis reo et accusatori liceret e iudicibus, quos praetor sortitus esset, quos vellent reiicere, in iudicio de sodalitiis accusator tantum iudices ederet. Acta causa est eodem anno, apud C. Flavium praetorem, qui quaestionem de ambitu exercebat.

In exordio orationis Cicero, qui audierat suos partim inimicos partim invidos huic accusationi favere, dolet salutem Plancii ob eam ipsam causam infestiorem esse, quod ille suam in exsilio salutem praesidio custodiaque texerit; ostendit tamen, quum iudices videat eos, quorum nemo sit, cui salus sua cara non fuerit, se propterea recreari; miraturque M. Iuventium Laterensem ipsum quoque suae salutis studiosissimum hunc sibi reum potissimum delegisse. Et quoniam accusatores dixerant, minora esse Plancii erga Ciceronem merita, quam ab ipso praedica-

rentur, hoc ipsum ait sibi tractandum esse, sed modice, ne quid ipse offendat, ac tum denique dicendum quum ipsis criminibus responderit; cap. 1, 2.

Attamen in causa facili atque explicata sibi hoc molestum accidere, quod contra Laterensem, amicum suum, dicendum sit, et multo magis, quod in ea causa, in qua Plancii et Laterensis videatur facienda esse contentio. Accusatorem enim se hoc uno maxime urgere, quod quaerat, qua se Plancius virtute, qua laude, qua dignitate superarit. Itaque negat Cicero quum a Plancio aut ab ullo alio dignitate potuisse superari; idem vero ait dignitatis perraro iudicem esse populum; qui et possit et soleat nonnunquam dignos praeterire; qui in comitiis non semper iudicet, sed plerumque moveatur gratia, cedat precibus, faciat eos, a quibus sit maxime ambitus; cap. 4. Itaque ipsum populum loquentem facit, qui dicat se Plancium Laterensi non anteposuisse, sed beneficium potius ad eum detulisse, qui a se contenderit, quam ad eum, qui sibi non nimis submisse supplicarit; cap. 5. Deinde ostendit, in hac causa non debere iudicem quaerere, quare victus sit in petitione aedilitatis a Plancio Laterensis, modo ne largitione sit victus. Populi enim libertatem in mandandis magistratibus hoc secum ferre, ut saepe etiam praetereatur is, qui si dignitas sola spectetur non debuerit praeteriri; cap. 6. Sed in hac causa, populi quoque factum defendi posse. Plancium enim non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus equestri loco natis. Laterensis quidem nomen esse utraque familia consulare. Non tamen semper plurimos in populo nobilitati favere. Laterensem esse ex municipio antiquissimo Tusculano; Plancium esse e praefectura Atinati, non tam prisca et honorata. Attamen Atinates magis etiam favere municipibus suis quam Tusculanos; Tusculanos paucos esse si cum Atinatibus conferantur; nam hanc praefecturam esse plenam virorum fortissimorum; et vicinos quoque eius praefecturae Arpinates, Soranos, Casinates, Aquinates, totumque tractum Venafranum, Allifanum, Arpinatem, Plancii honoribus favisse. Deinde quod pater Plancii publicanus sit, totum ordinem equestrem ei studuisse. Nonnihil praeterea suas ipsius (Ciceronis) preces apud populum pro Plancio valuisse; cap. 7-10. His rebus Plancium vel vitia tegere potuisse; nedum in eius vita tot et tanta adiumenta ei honori fuisse mirandum sit. Itaque Cicero eius merita laudat, quod adolescentulus cum A. Torquato in Africam profectus ab eo praecipue dilectus sit; quod fuerit in

Creta contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles Q. Metelli, eique fuerit probatissimus hodieque sit; praeterea C. Sacerdotis et L. Flacci testimoniis ornetur, quod in Macedonia tribunus militum fuerit, et postea quaestor omnibus civitatibus carus et a praetore suo L. Appuleio in primis dilectus, quod tribunatum plebis laudabiliter gesserit; quod domesticis etiam laudibus et patris omniumque suorum amore floreat. Itaque mirandum non esse hominem omnibus tam externis quam domesticis rebus ornatum factum esse aedilem; cap. 11, 12.

Nihil autem efficere Laterensem, quod illum vitae Plancii splendorem maculis aliquot aspergat, nec verum esse, quod dicat accusator, ipsum patrem Plancio obesse debere; cap. 13, 14.

Iam ad ipsam causam accedit; in quo primum Laterensis reprehenditur, quod quum Plancium ex lege Licinia de sodalitiis accusarit, nihil aliud egerit, quam ut editiciis iudicibus uti posset, nihil enim eum afferre quo doceatur Plancium tribus corrupisse; sed ea tantum proferre quae ad alias de ambitu leges, non ad legem Liciniam pertiuerent. Itaque poscit ab adversario, ut in quacumque tribu, cuius suffragia Plancius tulerit, vitium ostendat; se eodem modo quo id Laterensis de tribubus, quas ipse tulerit, demonstrare possit, rationem ostensurum, qua factum sit, ut illae Plancium aedilem creaverint; cap. 15–19.

Praeterea iam comitiis superioribus A. V. 698 a Crasso consule legis Liciniae auctore habitis, designatum esse Plancium; in quibus ne si cogitasset quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Scilicet eo tempore de omnibus magistratibus bis suffragia ferri solebant. Itaque primis comitiis a consule habitis nullam largitionis fuisse nec esse potuisse suspicionem, ac tamen Plancium plurimum valuisse, nec mirum esse alteris comitiis aedilitiis designatum esse aedilem, quum in illis a Crasso consule habitis, non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit. Ac si Laterensis post priora comitia voluisset populo submissius supplicare, se non dubitare quin omnis ad eum conversa fuerit multitudo; cap. 20. Deinde Laterensem, ut minus graviter ferat, se in aedilitatis petitione praeteritum esse, exemplis consolatur eorum, qui post aedilitatis repulsam consules facti siut; simulque significat, quod petitione tribunatus destiterit, ne in legem agrariam Iulii Caesaris iuraret, non fuisse nullos, quorum animos eius ille fortis animus offenderit; cap.

21. Breviter deinde aliis Laterensis argumentis respondet, quod tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius; quod nonnullas tribus paene totidem punctis uterque tulerit; quod prioribus comitiis Laterensi Aniensis tribus a Plotio, Terentina a Plancio concessa fuerit, alteris autem ab utroque eae avulsae fuerint; quod nummi in circo Flaminio deprehensi sint, cap. 22. Postremo significat Laterensem non tam argumentis in hac accusatione, quam opibus suis et gratia confidere, praesertim quum Plancius multos invidos et obtrectatores habeat; itaque iudices obsecrat, ne temere factis auditionibus disseminatoque sermoni credant.

Iam accedit ad L. Cassii, qui se accusatori subscriptorem in hac causa professus erat, orationem. Is Laterensem laudibus extulerat; quod illi Cicero facile concedit; reprehendit tantum quod inania quaedam et levia conquisiverit; ut Praeneste ludos fecisse, Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse; in quo, narratione de eo quid sibi ex quaestura Siciliensi redeunti acciderit praemissa, docet plurimum profuisse Plancio quod nunquam Roma adfuerit, nisi sorte, lege, necessitate; et quod assiduitate, observandis amicis, liberalitate valuerit; cap. 24-27. Postremo Cassium refutat, quod ille se nimis magnum beneficium facere a Plancio in se collatum dixerat; cap. 28, 29.

Iam redit ad Laterensem, eumque primum reprehendit quod Ciceronem dixerat, quae de Plancio dicat, mentiri et temporis causa fingere; cap. 30. Deinde eum nihil in Cispio perfecisse, quem defenderit; cap. 31. Plancii tribunatum nihil adiumenti Ciceronis dignitati attulisse, idenque nimis eum gratum esse in Plancium; cap. 32, 33. Tum, postquam leviora quaedam et partim inepta Laterensis dicta confutarat, cap. 34, accedit ad gravius opprobrium, quod Laterensis dixerat, quum in exsilium iret Cicero, non auxilium sibi, sed se auxilio defuisse, cap. 35, 36, et mortem timuisse; cap. 37. Deinde, quod, quum ipse se in republica liberum esse glorietur, Ciceronem liberum esse negarat; cap. 38. Denique quod Plancii in se meritum nimis extolli a Cicerone dixerat, quum ei nec insidiarum nec mortis periculum fuerit; cap. 40, 41.

In peroratione iudices, in primis Flavium quaesitorem obtestatur, ut sibi eum conservent, per quem ipse sit reipublicae conservatus, cap. 42.

Ceterum quum inter interpretes huius orationis de anno quo habita sit haec oratio, non conveniat, aliis eam ad A. V. 698, quo

Pompeius et Crassus coss. fuerunt, aliis ad A. V. 699, h. e. Domitii et Appii Pulchri consulatum referentibus, breviter causas expediam, quibus adductus eam A. V. 698 habitam esse mihi persuaserim. Primum extremo capite quaesitor nominatur C. Flavius; ideoque iam Pighius ad h. a. monuit, quum vulgo, cap. 17, pro eo legatur C. Altius, id nomen corruptum esse (1). Nam C. Alfium certum est A. 693 praetorem fuisse eique quaestionem de maiestate obtigisse. Cf. ep. ad Q. fratrem III, 1 et 3. Itaque quum esset a Crasso consule ipsius legis Liciniae latore comitia habita, primum his aedilis designatus est Plancius; et quum paulo post aedilicia comitia haberentur, iterum suffragia populi tulit. Praeteritus igitur Iuventius Laterensis statim post secunda illa comitia Plancium aedilem designatum ex lege Licinia de sodalitiis accusavit, et quidem ante ludos Romanos eodem fere anni tempore, quo A. 690 Murena consul designatus de ambitu fuerat accusatus. Hoc cuim e cap. 34 efficitur, ubi Cicero dicit Laterensem dixisse, se nolle in ludos hanc causam conicere, ne Cicero posset aliquid de thensis misericordiae causa dicere. Itaque absolutus Plancius aedilitatem cum Plotio gessit A. V. 699. Laterensis autem praetor fuit a. 702, utrum aedilitate praetermissa, an quod eam iterum petierit et a. 700 gesserit, quae Pighii ad h. a. opinio est, mihi non liquet.

Orationem vero pro Plancio Cicero A. V. 699 multum efflagitatam absolvisse se scribit ep. ad Q. Fr. III, 1, scripta mense Sept. A. V. 699. Hoc vero eo pertinet, quod orationem illam anno superiore habitam diligentius elaboraverit, et conscriptam editioni paraverit.

I.

Quum propter egregiam et singularem Cn. Plancii, iudices, in mea salute custodienda fidem, tam multos et bonos viros eius honori viderem esse fautores: capiebam animo non mediocrem voluptatem, quod, cuius officium mihi saluti fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari videbam. Quum autem audirem, meos partim inimicos, partim invidos, huic

(1) Vid. tamen Garat. ad cap. 17 et 42. T.

accusationi esse fautores, eandemque rem adversariam esse in iudicio Cn. Plancio, quae in petitione fuisset adiutrix: dolebam, iudices, et acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem atque vitam sua benivolentia, praesidio, custodiaque texisset. Nunc autem vester, iudices, conspectus et consessus iste reficit et recreat mentem meam, quum intueor et contemplor unumquemque vestrum. Video enim hoc in numero neminem, cui mea salus cara non fuerit; cuius non exstet in me summum meritum; cui non sim obstrictus memoria beneficii sempiterna. Itaque non extimesco, ne Cn. Plancio custodia meae salutis apud eos obsit, qui me ipsum maxime salvum videre voluerunt: saepiusque, iudices, mihi venit in mentem, admirandum esse, M. Laterensem, hominem studiosissimum et dignitatis et salutis meae, reum sibi hunc potissimum delegisse, quam metuendum, ne vobis id ille magna ratione fecisse videatur. Quamquam mihi non sumo tantum, iudices, neque arrogo, ut Cn. Plancium suis erga

Fautores) Sic plerique MSS. In aliis *fauturos*, idque Lamb. et Grut. receperunt. Ernestio hoc non displicebat, si quis legere velit paulo post *adversariam fore*. — Cod. Bavaricus, hic et supra, *favitores*.

Cuius non exstet in me summum meritum) Ita cum Erfurtensi Bavaricus, et quinque Britannici. Alii, *suum meritum*, h. e. proprium aliquod, ac peculiare. Id Ernestio, et mihi probabilius videbatur: neque Manutii *summum* coniicientis ratione movebamur, quod antecesserit *cuius*. Nunc vero, quum Manutii, et Lambini iudicium duorum codicum praestantia confirmet, et ad conciliandam benevolentiam plus valere *summum* intelligam, non repudio. Summum in se tuendo, ac revocando meritum dicit: propterea etiam *memoria beneficii*, non, ut est in uno Britann. *beneficiorum*. Garat.

Qui me ipsum maxime salvum videre voluerunt) Bavaricus, *qui me ipsi*, quod erat etiam sine codicum auctoritate restituendum. Quod Gulielmium offendit, *videre*, quasi ab aliena manu sit, Ernestio adsentiente, id mihi haud ineptum, et supervacuum videtur. Habet enim hanc vim, ut horum iudicum erga se studium vehementissimum ostendat fuisse, qui non quieverint, nisi quum salvum viderunt. Id.

Iudices, neque arrogo) Bavaricus, *neque adrogo, iudices*. Id.

me meritis impunitatem consequuturum putem. Nisi eius integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de poena recusabo. Sin omnia praestitero, quae sunt a bonis viris exspectanda, petam a vobis, iudices, ut, cuius misericordia salus mea custodita sit, ei vos vestram misericordiam, me deprecante, tribuatis. Equidem ad reliquos labores, quos in hac causa maiores suscipio, quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est, cuius ego salutem, non secus ac meam, tueri debeo, sed etiam pro me ipso, de quo accusatores plura paene quam de re reoque dixerunt.

II. Quamquam, iudices, si quid est in me ipso ita reprehensum, ut id ab hoc seiunctum sit, non me id magnopere conturbat: non enim timeo, ne, quia perraro grati homines reperiantur, idcirco quum me nimium gratum illi esse dicant, id mihi criminosum esse possit. Quae vero ita sunt agitata ab illis, ut aut merita Cn. Plancii erga me minora esse dicerent, quam a me ipso praedicarentur; aut, si essent summa, ne-

Impunitatem consequuturum) Melius in Bavarico *esse* arbitror *consequutum*. Patet enim aliquanto latius, quum omnium rerum impunitatem inposterum complectatur, habetque acrius quiddam, et oratorium. Ita I ad Div. 9 non de sententiis iudicum in P. Clodium, sed virorum in republica principum. *Illa Furia muliebrium religionum — impunitatem est illorum sententiis adsequutus, qui, quum tribunus plebis* (Milo) *poenas a seditioso cive per bonos cives iudicio persequi vellet, exemplum praeclarissimum in posterum vindicandae seditionis de republica sustulerunt: iidemque postea* etc. Similis porro est professio pro Milone 2: *Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute reipublicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur. Nisi* etc. Gar.

Conturbat) Ita Erfurt. Bavaricus septemque Britann. quod, auctore Graevio, iam correxerat Ernestius; Guërenzius vero ad Cic. de legg. III, 8, *conturbet* defendit, eique paruit Schützius. Typ.

garent ea tamen ita magni, ut ego putarem, ponderis apud vos esse debere: haec mihi sunt tractanda, iudices, et modice, ne quid ipse offendam; et tum denique, quum respondero criminibus, ne non tam innocentia reus sua, quam recordatione meorum temporum, defensus esse videatur.

Sed mihi in causa facili atque explicata, perdifficilis, iudices, et lubrica defensionis ratio proponitur. Nam, si tantummodo mihi necesse esset contra Laterensem dicere, tamen id ipsum esset in tanto usu nostro tantaque amicitia molestum. Vetus enim est lex illa iustae veraeque amicitiae, quae mihi cum illo iam diu est, ut idem amici semper velint. Neque est ullum certius amicitiae vinculum, quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. Mihi autem non modo est in hac re molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis, quod in ea causa contra dicendum est, in qua quaedam hominum ipsorum videtur facienda esse contentio. Quaerit enim Laterensis, atque hoc uno maxime urget, qua se virtute,

Quum respondero criminibus) Graev. ex uno Erfurt. adscivit *omnibus* pro *criminibus*, quod cum ceteris habet recte Bavaricus. Vide quae olim adnotavimus. Gabat.

Mihi autem non modo id est in hac re molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis) Bavaric. cum quatuor aliis optimis, ceteraque turba, quam enumeravi iampridem, cui nunc Britannici omnes addendi, et Aldi senioris editio, in voce *modo* consentit. Hunc ego consensum defendi iam, et probavi. Verumtamen totam orationis consecutionem videamus. *Nam si tantummodo*, inquit, *mihi necesse esset contra Laterensem dicere; tamen id ipsum esset molestum. Mihi autem id non est in hac re molestissimum, contra illum dicere, sed multo illud magis* etc. Profecto sic dicere oportuisse facile videatur: *Nunc autem non modo id est in hac re molestum.* Ergo non sine causa *modo* alii addiderunt, alii *molestum* dederunt: quibus nullam fuisse Gruterus existimabat. Si enim quod supra dictum est iteratur, fieri aliter nequit. Quod si *molestissimum* retinere volumus, abiiciendum est *modo*, quod non animadvertit Ernestius. Sed mallem omnino, si liceret: *Nunc autem non id mihi est in hac re molestissimum*, quamquam scilicet molestum est. Sane dicitur exquisitius, *non molestissimum*: tum negligentius *nunc* omittitur, quod ut subsequatur, *si tantummodo* postulat. Gabat.

qua laude Plancius, qua dignitate superarit. Ita, si cedo illius ornamentis, quae multa et magna sunt, non solum huius dignitatis iactura facienda est, sed etiam largitionis recipienda suspicio est. Sin hunc illi antepono, contumeliosa habenda est ratio, et dicendum est id, quod ille me flagitat, Laterensem a Plancio dignitate esse superatum. Ita aut amicissimi hominis existimatio offendenda est, si illam accusationis conditionem sequar; aut optime de me meriti salus deserenda est.

III. Sed ego, Laterensis, caecum me et praecipitem ferri confitear in causa, si te aut a Plancio, aut ab ullo, dignitate potuisse superari dixero. Itaque discedam ab ea contentione, ad quam tu me vocas, et veniam ad illam, ad quam me causa ipsa deducit. Quid? tu idoneum dignitatis iudicem putas esse populum? Fortasse nonnunquam est. Vtinam vero semper esset! Sed est perraro. et si quando est, in iis magistratibus est mandandis, quibus salutem suam committi putat: his levioribus comitiis, diligentia et gratia petitorum honos paritur, non iis ornamentis, quae esse in te videmus. Nam, quod ad populum pertinet, semper dignitatis iniquus iudex est, qui aut invidet, aut favet. Quamquam nihil potes in te, Laterensis, constituere, quod sit proprium laudis tuae, quin id tibi sit commune cum Plancio. Sed hoc totum agetur alio loco; nunc tantum disputo de iure populi, qui et potest et solet nonnunquam dignos praeterire;

Largitionis) De qua Plancius accusatur. Nam si dignitate non vicit, reliquum est, ut comitia corruperit. Max.

Quid? tu idoneum dignitatis iudicem) Alii, *Quid? tu dignitatis iudicem*, vel, *Quid? tune dignitatis iudicem*. Lambinus corrigebat *tu ne aequum dign. iud.* MSS. variant. T.

Paritur) Cod. Erfurt. *paratur*. Bavar. *patitur*, mendose.

Quod sit proprium) *Proprium* hic redundare videbatur Ernestio. At sensus est: nulla laus est, quam tibi ut propriam vindicare possis, quae tibi non sit communis cum Plancio.

nec, si a populo praeteritus est, quem non oportuit, a iudicibus condemnandus est, qui praeteritus non est. Nam si ita esset, quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent iudices; quod multo etiam minus esset ferendum. Tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti: nunc postulatur a vobis, ut eius exsilio, qui creatus sit, iudicium populi romani reprehendatis. Itaque quamquam, qua nolui, ianua sum ingressus in causam, sperare videor, tantum afuturam esse orationem meam a minima suspicione offensionis tuae, te ut potius obiurgem, quod iniquum in discrimen adducas dignitatem tuam, quam ut ego eam ulla contumelia coner attingere.

IV. Tu continentiam, tu industriam, tu animum in rempublicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quod aedilis non sis factus, fractos esse et abiectos et repudiatos putas? Vide tandem, Laterensis, quantum ego a te dissentiam. Si, medius fidius, decem soli essent in civitate viri boni, sapientes, iusti, graves, qui te indignum aedilitate iudicavissent: gravius de te iudicatum putarem, quam est hoc, quod tu metuis, ne a populo iudicatum esse videatur. Non enim comitiis iudicat semper populus, sed movetur plerumque gratia; cedit precibus; facit eos, a quibus est maxime ambitus. Denique, si iudicat, non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu nonnunquam, et quadam etiam

Quod patres) h. e. senatus s. Patricii.

Reprehensores) Corrigebant quae perperam in comitiis erant facta. GRAEV.

Iudices; quod) Vulgo *vel*, *quod*. Sed particulam *vel* delevi. Sensus enim est, hoc multo minus ferendum esse, quod iudices potestatem habeant senatui denegatam.

Auctores) H. e. ea vel probabant, vel irrita iudicabant. FERR.

temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes ea, quae populus fecisset, ferenda, non semper laudanda duxerunt. Quare quum te aedilem fieri oportuisse dicis, populi culpam, non competitoris, accusas. Vt fueris dignior, quam Plancius (de quo ipso ita tecum contendam paulo post, ut conservem dignitatem tuam): sed, ut fueris dignior, non competitor, a quo es victus, sed populus, a quo es praeteritus, in culpa est. In quo primum illud debes putare, comitiis, praesertim aediliciis, studium esse populi, non iudicium; eblandita illa, non enucleata esse suffragia; eos, qui suffragium ferant, quid cuique ipsi debeant, considerare saepius, quam, quid cuique a republica debeatur. Sin autem mavis esse iudicium, non tibi id rescindendum est, sed ferendum. Male iudicavit populus. At iudicavit. Non debuit. At potuit. Non fero. At multi clarissimi et sapientissimi cives tulerunt. Est enim haec conditio liberorum populorum, praecipueque huius principis populi, et omnium gentium domini ac victoris, posse suffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique: nostrum est autem, qui in hac tempestate populi iactamur ac

Vt fueris dignior) Scilicet *ut ut fueris dignior.*

De quo ipso ito tecum contendam) Bavar. *de quo ipse tecum ita cont.* In Britann. omnibus deest *ipso*, ex Erf. prolatum. Typ.

Eblandita illa, non enucleota esse suffrogio) Suffragia dicit blanditiis extorta, non consilio et ratione tributa. *Enucleare*, ut ait Nonius, est cortices purgandi causa separare. Transfertur ad diligentiam considerandi, petitorumque merita ponderandi. *Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Manut. et Gesnerus paulo aliter. Garat.

Quid cuique a republica debeatur) Obsequutus sum Garatono ita legendum esse monenti iuxta codd. Erf. et Bavarie. Firmat hanc lectionem unus Britannicus, omittens *deberi*: vulgo enim legitur, *videatur deberi*; ut τὸ *videatur* ortum appareat ex *debeatur*. Typ.

. *Nostrum est autem*) Iteratio est in Bavarie. *nostrum est autem, nostrum.* Idem paulo post *iactemur* cum ple-

fluctibus, ferre modice populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas: honores si magni non putemus, non servire populo: sin eos expetamus, non defatigari supplicando.

V. Venio iam ad ipsius populi partes, ut illius contra te oratione potius, quam mea, disputem. Qui si tecum congrediatur, et si una voce loqui possit, ac dicat: «Ego tibi, Laterensis, Plancium non anteposui: sed, quum essetis aeque boni viri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui a me contenderat, quam ad eum, qui mihi non nimis submisse supplicarat:» respondebis, credo, te, splendore et vetustate familiae fretum, non valde ambiendum putasse. At vero te ille ad sua instituta, suorumque maiorum exempla revocabit; semper se dicet rogari, semper sibi supplicari voluisse. M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudicii retinere

risque codicibus. Vnde Garatonus locum ita constituit: *Nostrum est autem, nostrum, qui in hac tempestate populi iactemur, ne fluctibus.* Typ.

Venio iam) Ita Graev. tacite reposuit; ex Erfurt. ut opinat Garatonus; nam adstipulantur quoque Bavaricus et octo Britannici. Vulgo *nunc*. Mox idem Bavar. *ac dicat* pro *haec dicat:* ut ad sequentia referatur, *respondebis, credo.* Brevis est enim adlocutio, quae inducitur, non minus quam pro Milone 28, ubi, *si clamaret T. Annius — — esset vero timendum.* Interpunctionem itaque a Garatono propositam admisi, postposito tamen *potius,* quod vulgo ante *ad eum* legitur, iuxta ordinem Bavarici. Typ.

Semper se dicet rogari, semper sibi supplicari voluisse) Vulgo: *semper se dicet rogari voluisse, semper sibi supplicari*, quod habet Erfurt. nisi quod *et* addit ante *semper*. Ab Erfurt. vix differt Bavaricus, ad Lambinianos propius accedens, *semper s. d. r. voluisse, semper sibi supplicari se.* «Quid additur *se?* inquit Garatonus, nimirum verbi *voluisse* relictum indicium est: ut Lambino iam mihi plane videatur obtemperandum. Vt primum *voluisse* repetitum fuit explanandi causa, quod inter versiculos fieri solebat, veram sedem amisit in clausula. Deinde alii, qui mancam esse comprehensionem aurium iudicio senserint, *placuisse* addiderunt, quod est etiam in quinque Britann. Optime igitur Lamb. *semper se dicet rogari, semper sibi supplicari voluisse.*» Gar. Equidem, quum videam Ernestium idem sensisse ac Garatonus, hanc lectionem vulgata probabiliorem in textum recepi. Typ.

M. Seium) Qui damnatus in privata aliqua causa partem bonorum amisit, ut ne censum quidem eque-

potuisset, homini nobilissimo, innocentissimo, eloquentissimo, M. Pisoni, praetulisse; praeposuisse se Q. Catulo, summa in familia nato, sapientissimo et sanctissimo viro, non dico C. Seranum, stultissimum hominem; fuit enim tamen nobilis; non C. Fimbriam, novum hominem; fuit enim et animi satis magni, et consilii: sed Cn. Manlium, non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida. «Desiderarunt te, inquit, oculi mei, quum tu esses Cyrenis. Me enim, quam socios, tua frui virtute malebam; et, quo plus intererat, eo plus aberas a me; certe non videbam. Deinde sitientem me virtutis tuae deseruisti ac dereliquisti. Coeperas enim petere tribunatum plebis temporibus iis, quae istam eloquentiam et virtutem requirebant: quam petitionem quum reliquisses, si hoc indicasti, tanta

strem in posterum haboerit. Ferr.

Non dico C. Seranum —— consilii) Integrum hunc locum nobis exhibuit Garatonus e cod. Bavarico, in secundis ad hanc orationem curis. Graevius omnium primus sic e MSS. ediderat: *non dico C. Seranom, non stultissimum hominem* (*fuit enim et animi satis magni, et consilii*), quod omnes postea recepere. Novissime autem Garatonus, aliquid adhuc ad huius loci integritatem desiderari, suspicatus erat. Quam illius suspicionem confirmavit Bavaricus. De Fimbria vero haec habet in notis: «Is est autem C. Flavius Fimbria, qui consul fuit denique cum C. Mario, de quo infra c. 21, ubi numeratur in iis, qui, quum tribuni plebis fieri non potuissent, consules tamen fuerant. Quod ait, *novum hominem*, idem significat V in Verr. 70: *Modo C. Fimbriam* (Caium enim appellat codex ibi optimus Car. Steph. quod fieri debere Manut. sponte intellexerat, non, ut alii, Lucium), *C. Marium, C. Caelium vidimus non mediocribus inimicitiis, ac laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludum, et per negligentiam pervenistis.* De se ipso, novo item homine, idem saepe praedicat. Qua in re animus quoque consiliumque perspicitur. Sed apertius in Bruto 34: *diligentia, et virtute animi, atque vita bonus auctor in Senatu* dicitur: deinde, *nec rudis in iure civili, et quum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber.* Omnino, si nihil aliud codex Bavaricus attulisset boni, magna tamen ei gratia esset habenda. De ratione *Serrani* Atiliorum cognominis perscribendi ad c. 15 de H. R. dicetur commodius. Gar.

Cyrenis) Quaestor. M.

Certe non videbam) Bavaric. *cum te non videbam.* Voluit fortasse, *certe te*: nam Lamb. *te certe.* Gar.

in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi: si nolle, de voluntate. Sin quod magis intelligo, temporibus te aliis reservasti: ego quoque, inquiet populus romanus, ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse reservaras. Pete igitur eum magistratum, in quo mihi magnae utilitati esse possis; aediles quicumque erunt, iidem mihi sunt ludi parati: tribuni plebis, permagni interest, qui sint. Quare aut redde mihi quod ostenderas; aut, si quod mea minus interest, id te magis forte delectat, reddam tibi istam aedilitatem, etiam negligenter petenti. Sed amplissimos honores ut pro dignitate tua consequare, condiscas, censeo, mihi paulo diligentius supplicare.

VI. Haec populi oratio est; mea vero, Laterensis, haec: Quare victus sis, non debere iudicem quaerere, modo ne largitione sis victus. Nam si, quotiescumque praeteritus erit is, qui non debuerit praeteriri, toties oportebit, eum, qui factus erit, condemnari: nihil iam est, quod populo supplicetur; nihil, quod di-

Ego quoque, inquiet populus rom., ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse reservaras) Vulgo sic edebatur: *ego quoque, inquam, et respublica ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras*. Ad haec Garatonus: «Conventus, non plebis, sed universi populi romani in comitiis erat ipsa respublica. Cur igitur, *ego*, et *respublica*? Praeterea, si distinguuntur, cur *revocavi?*» Sed incohaerentiam sustulit lectio, quam a codd. Bavarico et Britannico constitui. Bavaricus nempe legit: *ego autem, inquiet populus r. ad ea tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras*. Britannicus vero pro *servaras* habet *reservas*; bene, addit Garatonus; at ego puto esse mendum typographicum, et *reservaras* interpretor. Typ.

Iidem mihi sunt ludi parati) Sic emendarant Ernest. et Garat. e coniectura. Vulgo: *iidem mihi sunt iudices parati*, quod confirmant Erfurt. et Bavar. T.

Quod mea minus interest) Minus enim prodesse mihi potes in aedilitate, quam in tribunatu. Man.

Diremptio) Quum populus, aut iudices tabellas, voluntatis indices, in cistas deposuerant, tum, ut intelligeretur, quae tabellae legem probarent, quae reiicerent, aut quae reum absolverent, quae condemnarent, omnes dinumerari, et separari necesse erat. Id autem *dirimere*, eaque actio *diremptio* vocabatur. Ita Lexic. Forc. Graev. e cod. Erf. *diribitio*, id est distributio (tabellarum). T.

remtio, nihil, quod renuntiatio suffragiorum exspectetur. Simul ut, qui sint professi, videro, dicam: hic familia consulari est, ille praetoria: reliquos video esse equestri loco; sunt omnes sine macula, sunt aeque boni viri atque integri; sed servari necesse est gradus: cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetorio equester locus. Sublata sunt studia, exstinctae suffragationes, nullae contentiones, nulla libertas populi in mandandis magistratibus, nulla exspectatio suffragiorum: nihil, ut plerumque evenit, praeter opinionem accidet: nulla erit posthac varietas comitiorum. Sin hoc persaepe accidit, ut et factos aliquos et non factos esse miremur; si campus, atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu studiorum et motu temeritatis, modum aliquem, et consilium, et rationem requiremus? Quare noli me ad contentionem vestram revocare, Laterensis. Etenim si populo grata est tabella, quae frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur: cur tu in iudicio exprimis, quod non fit in campo? Hic, quam ille, dignior: perquam grave est dictu. Quomodo igitur est aequius? Sic credo: quod agitur; quod satis est iudici: hic factus est. Cur iste potius, quam ego? Vel nescio, vel non dico, vel denique, quod mihi gravissimum

Nihil quod) Vulgo additur *supplicatio magistratuum.*

Revocare) *Vocare* Graev. e codd. Erf. utroque Franc. Pith. et ed. pr. substituit vulgato *revocare*, quod tamen ferri posse vidit Ern. Nam iam antea de illa contentione dignitatis inter Plancium et Laterensem egerat. — Cod. Bavar. confirmat *vocare*.

Quod mihi gravissimum esset, si dicerem) Assumpsi lectionem cod. Erfurt. et Bavar. probante etiam Garatono. Codd. Lamb. *si dicere.* T.

esset si dicerem, sed impune tamen deberem dicere: Non recte. Nam quid assequerer, si illa extrema defensione uterer: Populum, quod voluisset, fecisse, non quod debuisset?

VII. Quid? si populi quoque factum defendo, Laterensis, et doceo, Cn. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco; possumne eripere orationi tuae contentionem vestram, quae tractari sine contumelia non potest, et te ad causam aliquando criminemque deducere? Si, quod equitis romani filius est, inferior esse debuit: omnes tecum equitum romanorum filii petiverunt. Nihil dico amplius. Hoc tamen miror, cur tu huic potissimum irascare, qui longissime a te afuit. Equidem, si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor; sed eum, qui in me ipsum incurrit atque incidit. Tu neque Q. Pedio, forti viro, succenses, neque huic A. Plotio, ornatissimo homini, familiari meo: et ab eo, qui hos dimovit, potius quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas. Sed tamen haec tibi est prima cum Plancio, generis vestri familiaeque contentio, qua abs te vincitur. Cur enim non confitear, quod necesse est? Sed non hic magis, quam ego a meis competitoribus, et alias, et in consulatus petitione vincebar. Sed vide, ne haec ipsa, quae despicis, huic suffragata sint. Sic enim conferamus. Est tuum nomen utraque familia consulare. Num dubitas

Hominibus hoc nostro etc.) Erfurt. et Bavaric. *hominibus ortis hoc nostro*, quod recepit Graevius, repudiavit Ernestius, defendit Garatonus. Typ.

Ad Fabium fornicem) Arcum, quem in Sacra via erexerat Q. Fabius Allobrogicus. Ferr.

Dimovit) Ita vulgo; accedit Bavaricus. Erfurt. vero *demovit*. Typ.

igitur, quin omnes, qui favent nobilitati, qui id putant esse pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te aedilem fecerint? Equidem non dubito. Sed, si parum multi sunt, qui nobilitatem ament, num ista est nostra culpa? At enim ad caput et ad fontem utriusque generis veniamus.

VIII. Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimae familiae sunt consulares (in quibus etiam Iuventia), quot e reliquis municipiis omnibus non sunt. Hic est e praefectura Atinati, non tam prisca, non tam honorata, non tam suburbana. Quantum interesse vis ad rationem petendi? Primum utrum magis favere putas Atinates, an Tusculanos, suis? Alteri (scire enim hoc propter vicinitatem facile possum) quum huius ornatissimi atque optimi viri, Cn. Saturnini, patrem aedilem, quum praetorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in praefecturam illam, sellam curulem attulisset, mirandum in modum laetati sunt. Alteros (credo, quia refertum est municipium consularibus; nam malivolos non esse certo scio) nunquam intellexi vehementius hominum suorum honore laetari. Habemus hoc nos; habent nostra municipia. Quid ego de me, de

CAP. VIII. *Atinates, an Tusculanos?*) Ne hanc laudem nude impertiri Atinatibus arbitreris, quos ita extollit, ut illorum malevolentiam deprimat.

At enim) Sic coniecit Ernest. et verius quam *etenim* mihi videtur. TYP.

In quibus etiam Iuventia) Delevi *est* auctoritate Bavarici. T.

E praefectura Atinati) Praefectura erat urbs Italiae, in quam mittebatur Roma praefectus, qui eam administraret, secundum leges a Romanis praescriptas, et qui ius in illa diceret. Vide Sigon. de antiquo iure Italiae II, 10, et sequentibus. Atina vero est urbs Volscorum in Latio, in monte ad Lirim posita: etiam nunc retinet antiquum nomen, nonnunquam *Atino* dicitur. Vide Cluver. Italiam antiquam, III, 8. GRAEV.

Hominum) Sic Vrsin. in MSS. et recepit Ern. Graev. e MS. Erf. edidit *municipum* (quod habet etiam Bavaricus, et videtur probare Garatonus). Vulgo *hospitum*.

De me, de fratre meo loquar) Ar-

fratre meo loquar? quorum honoribus agri, prope dicam, ipsi montesque faverunt. Num quando vides Tusculanum aliquem de M. Catone illo, in omni virtute principe, num de Ti. Coruncanio, municipe suo, num de tot Fulviis gloriari? verbum nemo facit. At, in quemcumque Arpinatem incideris, etiamsi nolis, erit tamen tibi, fortasse de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum. Primum igitur hic habuit studia suorum ardentia: tu tanta, quanta in hominibus iam saturatis honoribus esse potuerunt. Deinde tui municipes, sunt illi quidem splendidissimi homines; sed tamen pauci, si quidem cum Atinatibus conferantur. Huius praefectura, plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. Quam quidem nunc multitudinem videtis, iudices, in squalore et luctu supplicem vobis. Hi tot equites romani, tot tribuni aerarii (nam plebem a iudicio dimisimus, quae cuncta comitiis adfuit), quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt? Non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, sed dignitatem, sed oculorum coniectum, sed solidam et robustam et assiduam frequentiam praebuerunt.

IX. Iam municipia coniunctione etiam vicini-

ridet Garatono Graevii coniectura, *quid de fr. meo loquar?* T.

Num quando) H. e. ecquando, eleganter, non *aliquando*. Firmat Bavar. et quinque Britannici, Lamb. ex suis protulerat. Est hoc exemplum Gesnerianis addendum. Gar.

Fulviis) Ita recte Graevius e cod. Erf. Fulvii enim Tusculo orti. Vulgo erat *Fabiis*.

Erit tamen tibi, fortasse de nobis aliquid, aliquid certe de C. Mario audiendum) Erfurt. et Bavaric. *fortasse etiam de nobis aliquid, aliquid sed certe* etc. Typ.

Comitiis adfuit) Scil. iis quibus Plancius aedilis creatus est.

Non enim tribum) Non per sodalitia, et contra leges tribum Terentinam Plancio confecerunt. Ferr. — *Tribum Terentinam*) In qua Atinates suffragia ferebant.

Sed oculorum coniectum — praebuerunt) Oculos omnium ad se convertisse Atinates dicit numero suo, dignitate, splendore. Gar.

Iam municipia) Codd. Erfurt. et

tatis vehementer moventur. Omnia, quae dico de Plancio, dico expertus in nobis. Sumus enim finitimi Atinatibus. Laudanda est, vel etiam amanda vicinitas, retinens veterem illum officii morem, non infuscata malivolentia, non assucta mendaciis, non fucosa, non fallax, non erudita artificio simulationis vel suburbano, vel etiam urbano. Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas. Totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus, tota denique nostra illa aspera et montuosa et fidelis et simplex et fautrix suorum regio, se huius honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur. Iisdemque nunc a municipiis adsunt equites romani publice, cum legatione et testimonio: nec minore nunc sunt sollicitudine, quam tum erant studio. Etenim est gravius, spoliari fortunis, quam non augeri dignitate. Ergo ut alia in te erant illustriora, Laterensis, quae tibi maiores tui reliquerant: sic te Plancius hoc non solum municipii, verum etiam vicinitatis genere vin-

Bavaric. *nostra municipia*, omisso *iam*. Vtrumque adesse debet, e sententia Garatoni, qui haec addit: « *Iam* significat, adde, quod, praeterea etc. *Nostra* sunt regiones illius, ex qua erat ipse. Paulo post c. 9, *tota denique nostra illa — fautrix suorum regio.* » At ego indefinite dictum accipio. Typ.

Non fucosa) Sic cod. Erf. Vulg. *non fucata.* Recepit Graevius coll. Ep. ad Att. I, 6.

Totus ille tractus celeberrimus) Quos libros voce *tractus* carere admonuimus, iis omnes Britann. addendi sunt. Contra in Bavarico *totus* omittitur: ut iam vocem necessariam ab additumento expulsam intelligamus in aliis. Verum est enim quod habet Bavar. *nemo Aquinas: tractus ille celeberrimus Venafranus, Allifanus, tota denique* etc. In monumento Ancyrano p. 175 Chisoll. *Semnones, et eiusdem tractus alii Germanorum populi.* Mox unus Britannicus, *montosa*, duo, *arbitrabantur.* Garat.

Cum legatione et testimonio) Ita correxit Garatonus e cod. Dresdensi; confirmat hanc emendationem Bavaricus, qui legit, *cum legatione testimonio.* Municipiorum testimonia, inquit idem Garat., perscripta legati publice attulerant, ac, qui suffragia tulerint, sponte, meritoque Cn. Plancio favisse, nullum corruptionis indicium reperisse. Typ.

cebat. Nisi forte te Lavicana, aut Gabina, aut Bovillana vicinitas adiuvabat. Quibus e municipiis vix iam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur. Adiungam, si vis, id, quod tu etiam huic obesse putas, patrem publicanum: qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicae, publicanorum ordine continetur. Quis est igitur, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Plancii singulare? neque iniuria; vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publicanorum; vel quod is ab

Cap. IX. *Quibus e municipiis*) Oppida commemoraverat Lavicanum et Gabinium et Bovillas prope iam vacua et populi exiguitate deserta, quae Laterensem non tantopere suffragiis suis potuerint adiuvare. Quod vero mentionem petendae carnis fecit, pertinet ad consuetudinem sacri anniversarii. Nam Latinae feriae a quo fuerint institutae dissentiunt plerique auctores. Alii ab L. Tarquinio Prisco rege Romanorum existimant, alii vero a Latinis priscis. Atque inter hos ipsos causa sacrificii non convenit. Nam quidam id initium ex imperato Fauni contendunt. Nonnulli post obitum Latini regis et Aeneae, quod ii nusquam comparuerant. Itaque ipsis diebus ideo oscillare instituerunt, ut pendulis machinis agitarentur, quoniam eorum corpus in terris non esset repertum, ut animae velut in aëre quaererentur. Feriarum Latiarum sacrificiu solebat hoc observari, ut Hostia et civitates adiacentes portiuncolas carnis acciperent ex Albano monte secundum veterem superstitionem. Tam exiguum in illis civitatibus numerum hominum significat, ut desint etiam qui carnem petitum de solemni more mittantur. — *Adiungamus si vis*, etc.) Transitus fit ad quaestiunculam, qua humilitas generis obiiciebatur Plancio, ut ea propter elargitus pecuniam videretur, quoniam consequi aedilitatem familiae suae dignitate non posset. Publicanorum itaque Tullius ordinem necessario adserit, qui tunc ex equestri ordine accedebant ad vectigalium redemtionem. — *Quod fuerit publicanus, vel quod ab sociis*) Cumulavit gratiam suffragantis de paterno etiam favore, cui publicanorum societas adfuerit, ut filios eius ad obtinendam aedilitatem potius adiuvaretur.

Labicana, aut Gabina, aut Bovillana) Hunc ordinem tenet Bavar.

Carnem latinis petant) Scil. e victimis, quae fiunt in Albano feriis Latinis. Nam earum in partem veniebant omnes, qui socii Latini essent, si ad sacrificium solemne venissent. Ern. — Scholiastes vetus nuper e Palimpsestis crutus cura Aug. Maii V. Cl. ad hunc locum nonnulla profert de feriis Latinis, sed uberior de illarum origine referunt Dionys. Halic. IV, 49, et Festus pag. 315 ed. Amstel. Typ.

Vel quod is ab sociis unice diligebatur) Duas ob causas praecipue ha-

sociis unice diligebatur; vel quod diligentissime rogabat; vel quia pro filio supplicabat; vel quia huius in illum ordinem summa officia quaesturae tribunatusque constabant; vel quod illi in hoc ornando ordinem se ornare, et consulere liberis suis arbitrabantur.

X. Aliquid praeterea (timide dico, sed tamen dicendum est), non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. Appellavi populum, tribubus submisi me, et supplicavi; ultro mehercule se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi. Valuit causa rogandi, non gratia. Nec, si vir amplissimus, cui nihil

Cap. X. *Aliquid praeterea* etc.) Necessario temperavit, gratiam suam non mediocriter Plancio profuisse, quando vir consularis *testimonium* beneficiorum in se conlatorum *perfidens*, candidato multum potuerat promovere. Hoc vero ne esset insolens et superbum, praemisit adlegationem verecundae timiditatis. — *Ultro mehercule*) Admirabiliter nec humilem se fecit in precibus, nec tamen plurimum adiuvisse testatus est. Sic et pro reo satis causae facit, et dignitatis suae ornamenta custodit: dicendo non defuisse preces suas, quibus populus verecundo obsecutus sit, ultro se etiam offerens gratiae referendae ad eum promptissime designandum, cui vir tam bene de Rep. meritus suffragaretur. — *Nec si vir amplissimus*, etc.) Sagacissime

buit equestrem ordinem Plancius sui studiosum in honore; tum quia pater eius publicanorum princeps, tum quia idem unice diligebatur ab iis publicanis, quibuscum saepe in redimendis vectigalibus fecerat societatem. Ii enim socii dicebantur, qui vectigal alicuius provinciae communi nomine redimerent a censoribus, et a provincialibus exigerent. Ferr.

Vel quia huius) Bavar. *quod*, et sane, quum ter *quod* ante sit positum, et proxime subsequatur, aut tertium *quia* restituendum, aut duo *quod* inferenda facile putes. Gar.

Tribubus submisi me, et supplicavi) Quod ex Erfurt. recipiendum statui, *tributim*, id Bavaricum video confirmare. Asconium addo in argumento Milonianae: *operte quoque tributim in singulos mille assium dederat.* Sic enim legendum, ut *mille numum* dicitur, non *millia*. Mamertinus etiam in Panegyr. Iuliani cap. XVI: *Quis ignorat, tum quoque, quum honores populi Romani suffragiis mandabantur, multos fuisse candidatorum labores? Ediscenda omnium nomina, tributim omnes, atque etiam singuli salutandi.* Quod ego singulos haud rogasse M. Tullium existimavi, ne reprehendas. Differunt enim admodum candidatorum prensatio, et viri consularis candidatum commendantis officium. Gar.

Vir amplissimus) Ernestiu Pom-

est, quod roganti concedi non iure possit, de aliquo, ut dicis, non impetravit, ego sum arrogans, quod me valuisse dico. Nam, ut omittam illud, quod ego pro eo laborabam, qui valebat ipse per sese: rogatio ipsa semper est gratiosissima, quae est officio necessitudinis coniuncta maxime. Neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia huius parente semper plurimum essem usus: sed ut quasi parenti, et custodi salutis meae. Non potentia mea, sed causa rogationis fuit gratiosa. Nemo mea restitutione laetatus est, nemo iniuria doluit, cui non huius in me misericordia grata fuerit. Etenim, si ante reditum meum Cn. Plancio se vulgo viri boni, quum hic tribunatum peteret, ultro offerebant: cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse? An Minturnenses coloni, quod C. Marium e civili ferro, at-

animadvertit quid a parte diversa posset opponi. Mirum si aliquid pro Plancio Tullius valuisse videatur, quum pro alio sibi coniunctissimo candidato vir potentissimus nihil promoverit, quum illi designando studeret. Significare autem candidatum videtur T. Ampium, suffragatorem vero Cn. Pompeium: de quibus tam se quam Pompeio sic vult accipi Tullius suspicionem, ut ipse quidem pro Plancio valuerit miserabiliter et demisse petendo; Pompeius non item pro Tito Ampio, utique pro sublimitate nominis et potentiae superbius hoc sibi apud populum vindicans. — *Rogatio haec semper est gratiosissima*) Quoniam *ambiguum* verbum est, et interdum potest rogationem, id est *legem nondum perlatam*, significare, idcirco hic admonendum lectorem putavi, *per* rogationem a Tullio cum maxime petitionem significari, quae facta sit pro candidato. — *An Minturnenses coloni*, p·ium videtur significare; cui facile assentior.

Quae est officio) Bavar. omittit est.

Custodi salutis meae) Docte et ingeniose hanc lectionem tuetur Garatonus, quam exhibent Erfurt. et Bavaricus. Iam Graevius eam receperat. Etiam cap. 1, *ne Plancio custodia salutis meae obsit*. Vulgo, *custodi meo*. Typ.

An Minturnenses coloni, quod C. Marium e civili ferro) Ita Scholiast. Ambrosian. Similiter de Cn. Pompeio X ad Attic. 4: *elapsus e soceri manibus, ac ferro*: de eiusdem exitu, I Tuscul. 35: *non, exercitu amisso, nudus in servorum ferrum, et manus incidisset*: et pro Milone c. 7, *quoties ego ipse, iudices, ex P. Clodii telis, et ex cruentis eius manibus ef-*

que ex impiis manibus eripuerunt, quod tecto receperunt, quod fessum inedia fluctibusque confectum recrearunt, quod viaticum congesserunt, quod navigium dederunt, quod eum linquentem terram eam, quam servaverat, votis, ominibus, lacrymisque prosequuti sunt, aeterna in laude versantur: Plancio, quod me vel vi pulsum, vel ratione cedentem receperit, iuverit, custodierit; his, et senatui, populoque romano, ut haberent, quem reducerent, conservarit: honori hanc fidem, misericordiam, virtutem fuisse miraris?

XI. Vitia mehercule Cn. Plancii res eae, de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu, in ea vita, de qua iam dicam, tot et tanta adiumenta huic honori fuisse mirere. Hic est enim, qui adolescentulus cum A. Torquato pro-

etc.) Iam narratum a me hoc exemplum plenissime scio de C. Mario, qui Sullanis armis cedens cum filio in Minturnensium paludibus latuit. Inde emissus, quoniam non potuisset occidi, navigio impositus in Africam pervectus ad usque dirutae Carthaginis fines. Inde armis Cinnanis in Italiam restitutus, et adeptus denique septimum consulatum. — *Quod me vel vi pulsum*) Prudenter hoc suspendit, ne aut damnatus aut exul fuisse umquam videretur. Et vis enim propior est iniuriae quam accusationi. Et ratio, qua se dicit maluisse urbe recedere, respectum habuisse potest utilitatis publicae, ne periculosa multis seditio moveretur.

Cap. XI. *Hic est enim qui adulescentulus*, etc.) Anteacta vitae officia recensentur quadam subiecta *narratione*, numerante Oratore quibus locis quibusque temporibus, et cuiusmodi virorum iudicio Cn. Planci mores compro-

fugi? Dicitur autem *civile ferrum*, ut *arma civilia*. Ceterum MSS. *ex civili errore*, vel *civili cruore*, quod postremum multi amplexi sunt. Typ.

Ex impiis manibus) Carnificis, qui missus fuerat ad eum interficiendum. Ferr.

Confectum) Hoc addidi auctoritate cod. Franc. 1 quod Graevio quoque placebat. *Fluctibus* autem *confectus* dicitur, ex itinere maritimo secundum litus Italiae. Mirum Ernestium ad h. l. quaesivisse: « quibus *fluctibus*, quum nondum mare tetigisset. » Adeo non recordabatur quae Plutarchus narrat in Mario c. 36.

Votis, ominibus, lacrymisque) Ita Erfurt. Vulgo olim *votisque omnibus*. T.

Res eae) Ita Bavaric. Alii *res hae*, vel *eae res*. T.

Hic est enim qui adolescentulus) Abest a Bavarico verbum *est*; Garatonus vero, quod consequens erat, delevit *qui*: hoc modo optime lectio constituitur, eodem iudice. Scholiast. vero Ambros. legit, *hic est, qui adol.* Typ.

fectus in Africam, sic ab illo gravissimo, et sanctissimo, atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, ut et contubernii necessitudo, et adolescentuli modestissimi pudor postulabat. Quod, si adesset, non minus ille declararet, quam hic illius frater patruelis, et socer T. Torquatus, illi omni virtute et laude par: qui est quidem cum illo maximis vinculis et propinquitatis et affinitatis coniunctus, sed ita magni amoris, ut illae necessitudinis causae leves esse videantur. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles huius Q. Metelli: quibus quum fuerit probatissimus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare. In ea provincia legatus fuit C. Sacerdos: qua virtute, qua constantia vir? L. Flaccus: qui homo? qui civis? qualem hunc putent, assiduitate testimonioque declarant. In Macedonia tribunus militum fuit: in eadem provincia postea quaestor. Primum Macedonia sic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum suarum, qui quum missi sint ob aliam causam, tamen huius repentino periculo commoti, huic assident, pro hoc laborant: huic si praesto fuerint, gratius se civitatibus suis facturos putant,

bati sint. Quod ipsum statim vigilanter erga personam Torquati facit, cuius gravitatem et sanctimoniam non odiose testificatus est, sed quo magis Plancius ornaretur, quem familiariter ille dilexerit. Et quoniam Torquatus idem praesens non erat, in eius patruelem conferendam putavit vicem testimonii, ut perinde haberetur, atque si adesset is, cuius validior esset auctoritas. — *Fuit in Creta postea* etc.) *Quoniam* gratiosum fuisse videri poterat, si adseveraret eum Saturnino propinquo suo placuisse, maluit ad iudicium Q. Metelli confugere, ut vere cognitis virtutibus Planci existimaverit adulescentem per omnia spectatissimum. Significat autem Q. Metellum, qui Creticus cognominatus est bello apud Cretam feliciter gesto. Omnia haec

Quod, si adesset) Ita codd. Lambiniani, Erfurt. Bavar. cum octo Britannicis, et plerisque; et ita restitui debere censet Garatonus, cui obsequutus sum. *Quod*, hoc est quam rem, dilectionem scilicet, vel dilectum esse. Vulgo, *qui si adesset*. T.

Ita magni amoris) Pantagathus, Vrsin. et Schütz. *ita magnis amoris*. T.

quam si legationem suam et mandata confecerint. L. vero Appuleius hunc tanti facit, ut morem illum maiorum, qui praescribit, in parentum loco quaestoribus suis praetores esse oportere, officiis benivolentiaque superarit. Tribunus plebis fuit, non fortasse tam vehemens, quam isti, quos tu iure laudas; sed certe talis, quales si omnes semper fuissent, nunquam desideratus vehemens esset tribunus.

XII. Omitto illa, quae si minus in scena sunt, at certe, quum sunt prolata, laudantur: ut vivat cum suis; primum cum parente (nam meo iudicio pietas fundamentum est omnium virtutum), quem veretur ut deum (neque enim multo secus est parens liberis), amat vero ut sodalem, ut fratrem, ut aequalem. Quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc C. Saturnino, ornatissimo viro? cuius quantam honoris huius cupiditatem fuisse creditis, quum videtis luctus societatem? Quid de me dicam? qui mihi in huius periculo reus esse videor? quid de his tot viris talibus, quos videtis veste mutata? Atqui haec sunt indicia solida, iudices,

sunt . . . . — *Tribunus pl. fuit non fortasse*, etc.) Nihil egerat in tribunatu suo Plancius aliqua praestanti laude dignissimum. Quin immo etiam videbatur hac potestate segnius functus. Quoniam nullas ergo virtutes eminentissimas habuit, quas de illo praedicaret, idcirco aliquid ei volens adquirere ad suspicionem ignaviae repellendam, non tam vehemens, inquit tribunus fuit quam ceteri. Et vivaciter conclusit: quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus. Id volens intelligi, per seditiosos et turbulentissimos . . . .

Quos tu iure laudas) Fuerunt qui legi vellent *quos tu dilaudas*. Guilelm. coni. *quos tu mire laudas*.

Si minus in scena) H. e. quae si, ut privata et domestica, minus omnibus nota sunt.

Multo secus est) Ita Bavar. ordine meliore, quam Erfurt. qui legit *est multo secus*. T.

Quum videtis) Sic Bavaricus. Recte, inquit Garatonus. Tres etiam genitivi observandi, quos multi sunt qui fastidiose vituperent. Sic enim se habet locus: cuius (Saturnini) *quantam honoris* (Aedilitatis) *huius* (Plancii) *cupiditatem fuisse creditis, quum videtis luctus societatem?* Sic alibi: etiam infra c. 32: *atqui haec quum vides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis?* Gar.

haec expressa signa probitatis, non fucata forensi specie, sed domesticis inusta notis veritatis. Facilis est illa occursatio et blanditia popularis: aspicitur, non adtrectatur; procul apparet, non excutitur, non in manus sumitur. Omnibus igitur rebus ornatum hominem, tam externis, quam domesticis, nonnullis rebus inferiorem, quam te, generis et nominis, dico; superiorem aliis, municipum, vicinorum, societatum studio, temporum meorum memoria; parem virtute, integritate, modestia, aedilem factum esse miraris?

XIII. Hunc tu vitae splendorem maculis adspergis istis:[1] Iacis adulteria, quae nemo non modo nomine, sed ne suspicione quidem possit agnoscere. Bimaritum appellas, ut verba etiam fingas, non solum crimina. Ductum esse ab eo in provinciam aliquem dicis, libidinis causa: quod non crimen est, sed impunitum

Aspicitur, non adtrectatur) Incerta proinde, et ad pompam apparet, non autem bene examinatur, et in manus sumitur, ut an sincera sit cognosci possit. Ferr.

Tam externis, quam domesticis) Olim edebatur *quem externis, quem domesticis*. Inde Lamb. e coniectura Puteani correxit *qua ext. qua domesticis*. Graevius e cod. Erf. dedit *tam ext. quam domesticis*. — Correctioni Lambinianae suffragatur Bavaricus; probare eam videtur Garatonus. T.

Nonnullis rebus inferiorem, quam te) Quum *omnibus rebus* antecesserit, est hic supervacuum *rebus*, et fortasse delendum. Quamquam, si accurate loquendum est, esse oportuit, *una re*: nam *genus et nomen* una res est, ut supra c. 7, *est tuum nomen utraque familia consulare*, nihilque aliud, nisi nobilitatem, significat. Etiam vide cap. 6. Iunguntur ea fere semper, ut loci Tulliani demonstrant apud Pareum in Lex. Crit. Mantissa p. 36. Gar.

Dico) Hoc Ernestio interpolatum videtur, omissum autem *splendore* vel aliud, quod respondeat sequentibus ablativis *studio* etc. — Olim ex *dico* Garatonus fecerat *dignitate*. Novissime autem, auctoritate Bavarici motus, qui habet *generis dico, et nominis*, probabiliter ei videbatur locum sic constitui posse: *omnibus igitur rebus ornatum hominem, qua externis, qua domesticis, nonnullis inferiorem, quam te, generis dico, et nominis dignitate, superiorem aliis — parem virtute — Aedilem factum esse miraris?* Typ.

(1) Alii interr. signo distinguunt. T.

Nomine) Lambin. coniecit *crimine*, quod Gruterus repudiat, quia *nomine* h. l. idem sit quod *crimine*. Ernestius autem ad novum verbum ab accusatore fictum respici putat, quod mihi non persuasit.

in maledicto mendacium. « Raptam esse mimulam. » Quod dicitur Atinae factum a iuvene, vetere quodam in scenicos iure maximeque oppidano. O adolescentiam traductam eleganter, cui quidem quum, quod licuerit, obiiciatur, tamen id ipsum falsum reperiatur. « Emissus aliquis e carcere. » Et quidem emissus per imprudentiam; emissus, ut cognostis, necessarii hominis optimique adolescentis rogatu: idem postea praetoris mandatu requisitus. Atque haec, nec ulla alia, sunt coniecta in eius vitam, de cuius vos pudore, religione, integritate dubitetis. Pater vero, inquit, etiam obesse filio debet. O vocem duram atque indignam tua probitate, Laterensis? Pater ut in

In maledicto) Ita Erf. et Bav. T.

Raptam esse mimulam; quod dicitur Atinae factum a iuvene) Eratne senex tum Plancius, designatus aedilis? minime vero; ne si aetate quidem consulari fuisset. Res ipsa postulabat, ne dum Tulliana consuetudo, ut *ab adolescente* diceretur. Denique sic Plancius non purgatur satis: *dicitur factum a iuvene*, vel *adolescente*, sed *vetere quodam iure*: deinde *quum licuerit, tamen falsum reperiatur*. Egregiam itaque medicinam Bavaricus adfert, quum exhibet, *a iuventute*. Atinatium iuventus mimulam rapuisse dicitur, quod in iis locis impune solebat fieri: in eo numero Plancium fuisse. Sed nihil ad faciendam fidem adfertur: vana igitur suspicio est: non interfuit. Iuventute porro continetur adolescentia, et, si maxime omnes fuerint adolescentes, dici collective iuventus debuit: Plancius autem, qui certe vir erat, adhuc iuvenis dici poterat: viro, et seni opponitur adolescens, non iuvenis viro. GARAT.

Iure) Ernestius malebat *more*.

Emissus aliquis e carcere. Et quidem emissus etc.) Sic interpunxi e sententia Garatoni, qui ita scribit: « *Et quidem* confitentis responsionem significat, qua excusatur. Ita pro Rab. Post. 8: *At Dioecetes fuit regius. Et quidem in custodia etiam fuit regia*. In Laelio 21: *Rarum genus. Et quidem omnia praeclara rara.* Nemo animadvertit: male itaque omnes interpunxerunt. » nempe sic: *e carcere, et quidem emissus*. TYP.

Per imprudentiam, emissus) Ita codd. Erf. et Bavar. T.

Praetoris mandatu) Sic e correctione Turnebi, Lambin. Graev. probante Gronov. ad Gell. Vulgo *praemandatis*. — At Garatonus arbitratur praetoris mentionem ab hac causa esse alienam, verbumque ipsum *mandatu*, imperio et iurisdictioni praetoriae non convenire; ideoque coniicit *praemiis datis*. TYP.

Sunt coniecta) Vulgo additur *maledicta*, quod, iam ab Ernestio uncis inclusum, delevi.

Dubitetis) H. e. dubitare debeatis. GAR.

iudicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarum, pater ut apud tales viros obesse filio debeat? Qui si esset turpissimus, si sordidissimus, tamen ipso nomine patrio valeret apud clementes iudices et misericordes; valeret, inquam, communi sensu omnium, et dulcissima commendatione naturae. Sed quum sit Cn. Plancius is eques romanus, ea primum vetustate equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes equites romani fuerint, summum in praefectura florentissima gradum tenuerint et dignitatis et gratiae; deinde, ut ipse in legionibus P. Crassi, imperatoris, inter ornatissimos homines, equites romanos, summo splendore fuerit; ut postea princeps inter suos, plurimarum rerum sanctissimus et iustissimus iudex, maximarum societatum auctor, plurimarum magister: si non modo in eo nihil unquam reprehensum, sed laudata sunt omnia, tamen is oberit honestissimo filio

Cap. XIII. . . . hoc factum est . . . nec videlicet, quod saepius iterat, valde impiam Laterensis propositionem, qui candidato plus impedimenti ex persona patris esse debuisse dixerit, quam favoris privilegio naturae. Quod autem de patre dicit, illud est: quum princeps esset publicanorum Cn. Planci pater, et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia, et remissionis tantum fieret de summa pecunia, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum quibus fuerant hostili incursione vexati. Adfuit igitur Caesar causae publicanorum. Caesaris desideriis contradixit pro vigore duritiae suae M. Cato, et diem totum prolixitate orationis suae occupavit, ut senatus decernendi spatium non haberet. Et id tempus ergo Laterensis denotaverat invidiosum Plancio esse debuisse, quominus fieret aedilis, quando pater eius quaedam liberius et exertius adversus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset. Id revocat orator ad defensionem, licuisse dicens unicuique de suis iniuriis libere conqueri.

Ea primum vetustate equestris ordinis) Bavar. *nominis*. Optime: Nunc demum comparatione intelligitur, minus recte dici *ordinis*, et glossema esse certissimum: quod antea suspicatus est nemo. Gar.

Societatum auctor) *Auctor* societatum est, qui alios publicanos hortabatur ad conducenda vectigalia. Magister societatis, qui sociis non repugnantibus, arbitratu suo statuebat de iis, quae ad commune societatis pertinebant. Fern.

pater, qui vel minus honestum et alienum tueri vel auctoritate sua, vel gratia possit? « Asperius, inquit, loquutus est aliquid aliquando. » Immo fortasse liberius. « At id ipsum, inquit, non est ferendum. » Ergo hi ferendi sunt, qui queruntur, libertatem equitis romani se ferre non posse? Vbinam ille mos? ubi illa aequitas iuris? ubi illa antiqua libertas, quae malis oppressa civilibus, extollere iam caput, et aliquando recreata, se erigere debebat? Equitum ego romanorum etiam in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q.. Scaevolam, virum omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, aspere et ferociter et libere dicta commemorem?

Ego publicanorum in Q. Scaevolam — — Imma vero inquit, quod legationes) Potentissime ab exemplis qualitas absoluta firmatur, licuisse

Qui queruntur) Erfurt. *qui queruntur hoc.* Bavar. *qui hoc queruntur.* Commodius abest *hoc*; est enim figura quaedam ellipseos, qua verbum *queruntur*, praegnans quodammodo ut sit, efficitur. *Queruntur* igitur dicentes ac profitentes, *libertatem* etc. Ita fere Garaton. Typ.

Equitum ego Romanorum — commemorem?) Scholiastes in his describendis priorem partem omisit, atque initium ita fecit: *Ego publicanorum* etc. et in extremo non agnoscit *et libere.* Vtrumque sane placere potest: ut *ego* repetatur, et adverbium *libere* deleatur, quandoquidem *aspere*, et *ferociter*, quae graviora sunt, antecedunt. Paulo ante: *asperius*, inquit, *loquutus est aliquid aliquando: immo fortasse liberius.* Nunc dictorum libertatem comparatione asperitatis, et ferociae defendit, in quibus abusus est libertatis in rep. constitutae. Sic tamen ille interpretatur: *licuisse Plancio seniori quaedam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in Q. Scaevolam omni virtute praestantissimum virum fiduciam suae libertatis erexerint.* Sed longius, quam deceret, progressi erant. Gar.

Etiam in homines) Melius abesse *etiam* a Bavar. et duo Britann. arbitratur Garaton. ad hunc modum disserens: « Neque enim dignum se, neque illo ordine existimat equitum romanorum in homines nobilissimos maledicta commemorare, quandoquidem homo infimus, Granius praeco, duobus nobilissimis contumeliose responderit. In hoc argumento illud *etiam*, ut opinor, excluditur: valeret enim, nedum in alios, de quibus haec elatior ne cogitare quidem sinit oratio. Deest in Aldina quoque, ac vetustioribus ». Typ.

Q. Scaevolam) Qui quum Asiam regeret, ab iniuriis publicanorum provinciales defendit. Vide Cic. epist. ad Lentulum. Hinc in eius honorem Asiatici *Mucia* instituerunt. Ferr.

XIV. Consuli P. Nasicae praeco Granius, medio in foro, quum ille, edicto iustitio, domum decedens rogasset Granium, quid tristis esset: an quod reiectae auctiones essent? «Immo vero, inquit, quod legationes.» Idem tribuno plebis, potentissimo homini, M. Druso, sed multa in rempublicam molienti, quum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, Quid agis, Grani? respondit: Immo vero, tu Druse, quid agis? Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis saepe perstrinxit impune. Nunc usque eo oppressa

Plancio seniori quaedam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in Q. Scaevulam omni virtute praestantissimum virum fiduciam suae libertatis crexerint. Inde transcendit ad exemplum famosi quondam praeconis Q. Granii et adprime dicacissimi, quem quum, edicto iustitio, id est praedicto in rep. tempore, quo nihil ageretur civilium negotiorum, Nasica consul compellavisset obvium sibi forte venientem, dixissetque iocolariter: Grani, quid tristis es? An quod auctiones reiectae sunt? (Scimus enim praeconibus auctiones fructui esse, quod per eos omnia distrahantur; illo autem iustitio nec ipsae poterant exerceri). Huic P. Scipioni e contrario non sine morsu stomachi respondisse Granium dicit: immo ideo tristis sum, quod legationes reiectae sint. Voluit autem pudorem Nasicae consulis perstringere hoc amarissimo dicto. Nam legationes ab externis populis missas ad senatum solebant ordinari pro voluntate consulum: quas plerumque gratia, nonnumquam et accepta pecunia consules ordinabant, ut introduci ad senatum possent.

Cap. XIV. *Idem tribuno plebis* etc.) Et haec dicacitas praeconis istius non minus urbanitatis habuisse videtur quam asperitatis. Nam M. Licinius Drusus quum multa seditiose, in tribunatu suo, contra quam esset reip. utile, moliretur, adventantem Granium sic compellavit: Grani quid agis? Ad hoc ille isdem verbis, sed cum magna asperitate respondit: immo tu, Druse, quid agis? hoc est, quae et quam periculosa et quam patriae metuenda conaris. *Nunc usque eo* est etc.) *Caute* factum est ita pronuntiando *nostra adrogantia.* Quo-

Decedens) Ita Schol. Ambros. Alii *discedens* vel *descendens.* T.

An quod reiectae auct. essent? Immo vero — legationes) Sic Erfurt. et Scholiast. Ambros. Ambiguum *reiectae* a Garatono habebatur: itaque legationes ab Iugurtha repudiatas intelligebat, mandata scilicet, quae legati Romani detulerant. Scholiastes vero innuit legationes externas Romae in aliud tempus, quemadmodum auctiones, iustitii causa dilatas. Schützius pro *legationes* dedit *leges*, ratus sic aptissimum sensum exoriri: nam edicto iustitio, iurisdictio cessabat, et legum civilium vis suspendebatur. Melius Scholiast. Typ.

Potentissimo homini) Scholiast. omittit *homini.* T.

vestra arrogantia civitas est, ut, quae fuit olim praeconi in ridendo, nunc equiti romano in plorando non sit concessa libertas. Quae enim unquam Plancii vox fuit contumeliae potius, quam doloris? quid est autem unquam questus, nisi quum a sociis et a se iniuriam propulsaret? Quum senatus impediretur, quo minus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus romanis redderetur: omnibus illa iniuria dolori publicanis fuit, sed eum ipsum dolorem hic tulit paulo apertius. Communis ille sensus in aliis fortasse latuit: hic, quod cum ceteris animo sentiebat, id magis, quam ceteri, et vultu promptum habuit, et lingua. Quamquam, iudices (agnosco enim ex me), permulta in Plancium, quae ab eo nunquam dicta sunt,

niam si vestra adrogantia, vel quorundam superbia dixisset, non adfigendo sermoni suam societatem, aliquid offensae apud quosdam praepotentes contrahere potuisset. — *Ut quae fuit olim* etc.) Facta simul *comparatione*. Nam gravius deridebere, si hoc a praecone dictum sit, quam si ab equite romano. Gravius praeconem cum irrisione, quam romanum equitem cum dolore dixisse: quum dolor excusatus sit impetu cogentis iniuriae, risus immodera-

Nunc usque eo oppressa vestra arrogantia civitas est) Sic vulgo legitur. Nobilitatem intelligit, in qua Laterensis numerabatur. Bavaricus vero et Scholiast. Ambros. *nostra adrogantia: — quoniam*, inquit Schol., *si* vestra adrogantia, *vel* quorundam superbia *dixisset, non adfigendo sermoni suam societatem, aliquid offensae apud quosdam praepotentes contrahere potuisset*. Ad haec Garatonus: Verebatur id scilicet M. Cicero, qui hac libertate quotidie iure utebatur suo. Quis porro eum potest adrogantiae, quam reprehendebat, participem fieri voluisse? Melius *nostra* explicasset *nostrorum temporum*. Typ.

Quae enim unquam Plancii vox fuit contumeliae potius, quam doloris?) Hunc ordinem exhibet Bavaricus, probatum Garatono. Erfurt. habet: *Quae enim fuit unquam Plancio vox contumeliae potius* etc. T.

A sociis) Societate publicanorum qui Asiae vectigalia conduxerant. Man.

Quam ceteri) Nempe publicani Asiani, qui de censoribus vectigalia conduxerant, in senatu questi erant, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, et ut induceretur locatio postulaverant: eos Cato vexarat, nec iis responsum a senatu dari passus erat. Cic. ep. ad Att. I, 15, 16.

conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non studio adductus, sed aut contentione dicendi, aut lacessitus; et quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. Ego autem si quid est, quod mihi scitum esse videatur, et homine ingenuo dignum atque docto, non aspernor; stomachor vero, quum aliorum non me digna in me conferuntur. Nam quod primus scivit legem de pu-

tam plerumque contumeliosae audaciae licentiam praeferat. — *Ego quia dico aliquid aliquando* etc.) Et oratorie totum hoc explicat, invidiosius quasi de nimia libertate Cn. Plancii seniuris quosdam loqui, quam veritas ipsa patiatur, ad quod obtinendum contra insimulationes inimicorum subnectit exemplum Cicero ipse de se, quem non ignoramus multum facetiis et urbanioribus dictis indulsisse, id quod locis pluribus in Verrinis orationibus potuimus adgnoscere. Hoc ergo ait: quoniam soleo quaedam non ingrata festivitate secundum sales urbanitatis dicere, idcirco plerique huiusmodi omne quod dicitur, etiamsi ab alio dictum sit, in me conferunt. Quare nihil mirum est, si quaedam falso etiam de Plancii libertate iactentur. — *Nam quod primus scivit legem* etc.) Paulo supra loquutus sum, nihil obtineri potuisse per C. Caesarem, quum publicanis apud senatum patrocinaretur, contradicente scilicet M. Catone. Verum postea consul idem C. Caesar legem tulit ad publicanorum commoda pertinentem, cui favore promptissimo Cn. Planci pater sine dubio adstitit, quoniam res utilitatis suae agebatur. Hoc ergo quidquid esset reprehensionis removetur in ipsum Caesarem legis auctorem nuper latae.

Sed aut contentione dicendi, aut lac.) Primum *aut* assompsi ex Bavarico, et Schol. Ambros. probante Garatono. Typ.

Legem de publicanis) Legem a C. Caesare cos. A. V. 694 latam de publicanis tertia pecuniae debitae parte relevandis. Quo facto equestrem sibi ordinem adiunxit, quum et populum antea teneret.

Quia primus scivit) I. e. primus suffragium tulit (Plancius pater, publicanus). *Sciscere* enim est legem suffragio probare.

Quod primus scivit — id illi ordini — si licuisset, dedisset) In Ambros. *id* omittitur. Me vero Scholiastes adducit, ut rem hanc a Manutio levius expositam clariore quadam luce perfundam. Initium luculenter ab ipso Tullio praebetur I ad Attic. 17: *Ecce aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiani, qui de Censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse: ut induceretur locatio, postulaverunt. Ego princeps in*

blicanis, tum, quum vir amplissimus consul id illi

adiutoribus, atque adeo secundus: nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio, et confessio temeritatis. Summum erat periculum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a Senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis, perfectumque, ut frequentissimo Senatu, et libentissima uterentur: multaque a me de ordinum dignitate, et concordia dicta sunt kal. decembr. et postridie: neque adhuc confecta res est, sed voluntas senatus perspecta. Vnus enim contradixerat Metellus consul designatus. Quin erat dicturus, ad quem propter diei brevitatem perventum non est, heros ille noster Cato. Hic tamen paulo post acerrime contradixit: nam kal. febr. anni sequentis, ep. 18: *unus,* inquit, *est, qui remp. curet, constantia magis, et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio, aut ingenio, Cato: qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat, neque iis a senatu responsum dari patitur.* De hac iniuria Plancium patrem conquerentem paulo supra Cicero excusat: *quum senatus impediretur, quominus, id quod hostibus semper erat tributum, responsum equitibus Romanis redderetur* etc. Catonem vero ipsum reprehendit III de Offic. 22: *Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi: nimis mihi praefracte videbatur aerarium, vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare.* Ibi minus adcurata Heusingeri est adnotatio. Cato denique illo anno nihil publicanis responsi datum, Catone, et consule Metello impedientibus: quamquam C. Caesar cum Crasso, et Cicerone *adfuit*, ut docet Scholiastes, *causae publicanorum*, inter eos, quos *adiutores* Cicero adpellat. Quoties igitur ea res agebatur, quod saepe factum ait Dio XXXVIII, 7, Cato dicendo eximebat diem: neque enim aliud facere poterat. Tandem anno DCXCIV consulatum iniit Caesar, neque tamen in senatu confecta res est: sive Cato etiam tum *pristina consuetudine dicendi mora diem extraxerit*, ut in alia re de Catone Caesar ipse B. Civ. I, 32 postea scripsit: sive potius hac du ra nihil retulerit, ut ex Dione, Appiano, Svetonioque conficitur, consul in populari ratione vehementissimus. Valerius Maximus, II, 10, 7, ex omni antiquitate unus est, qui *Catonem adversus publicanos in curia dicenda diem extrahentem* narret a Caesare consule prehendi iussum, eumque, universo senatu prosequente, pudore dimissum. Sed potior est mihi Dionis auctoritas, qui libri illius initio adcurate acta Caesaris in consulatu recenset, et c. 3, id *evenisse* tum scribit, quum de agraria lege in senatu ageretur, quae res erat multa gravissima. Plutarchus adstipulatur in Catonis vita c. 33, sed *rustra* male *curiae* substituit, erroremque ipse suum prodit, dum senatus Catonem prosequentis mentionem facit, qui certe non cribat in foro. Ateius quoque Capito apud Gellium IV, 10, qui rem, de qua consuleretur, non indicat, tamen in senatu gestam esse testatur. Errat igitur in loco Plutarchus, in causa, ut opinor, Valerius: quem quidem haud semel negligentia lapsum deprehendi. Conversus igitur ad populum Caesar legem hanc facile pertulit, qua non, ut postulatum erat initio, locationem induxit, sed tertiam mercedum partem remisit. Quid ita? quia recens poterat locatio re-

ordini per populum dedit, quod per senatum, si li-

scindi: elapso autem fere biennio, iam id non erat integrum: quo quidem tempore accepti, et soluti ratio constabat. Itaque hoc videntur tempus respicere Svetonius in Caes. c. 20, Dio l. c., et Appianus II Civil. 13, dum a publicanis *remissionem*, ἐκδιχίαν, ἄφεσιν postulatam dicunt. Svetonius vero addit, Caesarem, *ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur*, (publicanos, et equestrem ordinem) *propalam monuisse*. Ergo petendi causa permansit, quae a primo fuit exposita. Sed ab his vehementer dissentit Scholiastes, aliamque docte causam patefacit: *Quum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater, et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia, et remissionis tantum fieret de summa pecuniae, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione vexati.* Quod Plancii patrem publicanorum adpellat principem, bene est: nam Cicero c. 13: *inter suos principem* dicit: immo etiam hoc capite extremo, *hunc a summo viro principem esse ordinis iudicatum*, nempe ut c. 17, *ex* CXXV *iudicibus, principibus equestris ordinis*. De lege illa Sempronia singularis est locus III in Verr. 6, quo provinciis, *aut*, inquit, *impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, et plerisque Poenorum, quasi victoriae praemium, ac poena belli, aut censoria locatio constituta est, ut Asiae, lege Sempronia.* Quum igitur hi publicani, quos generatim ceteri nominant, *Asiani*, ut vidimus, a Tullio vocentur, et de censoribus conduxisse dicantur, consequitur, unam illam societatem fuisse, quae Asiae vectigalia ex lege Sempronia conduxerit. Neque tamen ea lege ratio putanda erat, sed omnino *lege censoria*, qua nempe censores Semproniam sequuti vectigalia illa locaverant: de qua tum alii ICti, tum egit abunde Brissonius VI de formul. 81. Egregia est in rem nostram insectatio Gabinii de prov. Cons. c. 5: *Videtis, P. C., non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii paene adflictos iam atque eversos publicanos: quibus quidem vos in his angustiis aerarii tamen subveniatis, necesse est. — An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege Censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiamsi non adpellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet?* Aequa postulatio, quam si redemptores illi fecissent Asiatici, Cato ipse non oppugnasset. Quem tamen hoc etiam nomine reprehendit Casaubonus ad Sveton. l. c. quasi bello Mithridatico adflicti egerint lege Censoria. Summo viro Scholiastes nunc auctor exoritur, ut divinasse propemodum videatur. Sed commenticium hoc esse, testis certissimus, quem produximus, Cicero docet. Quis autem publicanos existimet causam deteriorem, immo *turpem*, adlaturos fuisse, quam patronus ipse damnabat, si iustam, legitimam, usitatamque habuissent? qui porro habere poterant, quum, bello Mithridatico exstincto, reversoque ad triumphum Pompeio, Asiae vectigalia conduxerint? Nam locatio facta eodem anno fuit, quo postulatio, DCXCII, quod ante me Pighius T. III Annal. p. 337 ex Tullii narratione consequi tam certum habuit, ut eius rei causa censores novos in illum na-

cuisset, dedisset: si in eo crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? Si, quia primus scivit, utrum id sortis esse vis, an eius, qui illam legem ferebat? Si sortis, nullum crimen est in casu; si consulis, splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis esse iudicatum.

XV. Sed aliquando veniamus ad causam. In qua tu nomine legis Liciniae, quae est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es. Neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi editicios iudices, es sequutus:

Cap. XV. *Nec enim quicquam aliud* etc.) Ad ea quae sunt necessaria conclusis prioribus transit, et potuisse Laterensem de ambitu accusare significat, nisi maluisset idcirco reum lege Licinia facere, ut haberet iudices editicios. De cuius forma et acerbitate iam sumus in argumento praeloquoti. Differentia igitur accusatoris ostenditur ideo invadentis in legem Liciniam, quod ambitus probari non possit, de quo iudices ex reiectione haberi soleant: aequalem scilicet numerum reiicientibus tam accusatore quam reo. Verum specta liccunum induxerit, quorum nomina ignoremus. Atqui necesse non erat. Si etenim lustrum postero anno conditum ex I ad Attic. 18 observasset, locationem in quartum Cottae, et Isaurici censorum annum incidere perspexisset, bellumque illud impedimento fuisse, quominus antea fieret. Quamquam, etiamsi anno superiore fecerint, nihil est causae, cur de sententia demoveamur. Sed certe non ibi, *qui de censoribus conduxerant*, legendum est, verum ex Victorii, Lambini, aliisque ante Gruter. editionibus, duobus Graevii codicibus, totidemque Britannicis, *conduxerunt*. Recentes erant locationes quoque illae, de quibus e Livio XLIII, 16 novimus contumeliae causa tribunum olim hanc legem promulgasse: *quae publica vectigalia, ultro tributa, C. Claudius, et Tib. Sempronius* (censores) *locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, et ut omnibus redimendi, et conducendi promiscue ius esset.* Illi etenim hoc ius quibusdam ademerant. Garat.

Si consulis) Si factum est Caesaris consulis iudicio, ut Plancius primus illam sciscerct.

Neque enim quidquam aliud) Quum non haberes crimen, quod Plancio Licinia lege obiiceres, accusasti tamen ea lege, ut edendorum iudicum facultate uti posses. Nihil praeterea sequutus es: unum hoc spectasti. Acerbum porro iudicii genus hoc erat, quippe quum accusator vel suos, vel suorum necessarios, vel eius etiam, qui accusabatur, inimicos edere iudices posset. Man.

Neque enim quidquam aliud in hac lege etc.) Schol. Ambros.: *nec enim*, postea *sequutus es*, ut dedit olim Lambinus, priore membro similiter desinente, *complexus es.* Sed vulgatum ordinem tuetur Bavar. quum mendose habet, *esse sequutus.* Scholiastes vero

quod genus iudiciorum si est aequum ulla in re, nisi hac tribuaria, non intelligo, quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque

tius omnem contextum huius .... ut intelligas oratorem more speciem quandam ..... In modum praescriptivum facta senatusconsulti mentione, quo secundum legem Liciniam quatuor edi tribus ab accusatore voluerit, ex quibus reo liceret unam repudiare, ut de tribus reliquis iudicum . . . haberet editionem. Tamen ab accusatore sic fieri voluisse, ut eas ederet, quas corruptas a candidato criminaretur. Hic vero Laterensis noluerat ipsas edere, quibus dicebat pecuniam datam. Vtique cousulte, ne reo, a quo pecuniam sumpserant, favore tacito patrocinarentur. Quasi negare itaque tentavit accusari posse lege Licinia Plancium: quando sint aliae tribus editae, nec illae potissimum quae sumpsisse pecuniam dicerentur, et quas ideo vel maxime senatus edi voluisset, ut et iudicarent, et testimonium vel contra reum vel pro reo ex ipsa veritate perhiberent, qui siue dubio quid esset apud triboles suos gestum, optime scirent.

adnotat, quum nominatim de ambitu quaereretur, *iudices ex reiectione haberi consuevisse, aequalem scilicet numerum reiicientibus tum accusatore, quam reo:* quod a Tullio dicitur, *reiectionem fieri iudicum alternorum:* deiode, *senatum secundum legem Licinium quatuor edi tribus ab accusatore voluisse, ex quibus unam liceret reo repudiare, ut de tribus reliquis iudicum haberet editionem.* Non senatus legem sequutus ita decreverat, sed contra lex de senatus auctoritate ad populum lata ita sanxerat. Atque ita factum locus ostendit ille cap. 16: *quid Plancio cum Lemonia? quid cum Vfentina? quid cum Crustumina? Nam Maeciam, non quae iudicaret, sed quae reiiceretur, esse voluisti.* G.

Nisi hae tribuaria) Reprehendit Laterensem, qui quum reliqua potius ambitus crimina, quam sodalitium, in Plancium conferat, iudices tamen ediderit arbitratu suo: quod in uno tribuaria re, id est in crimine sodalitii, in quo tribus edebat accusator, aequum erat. Quod si, inquit, hoc aequum esset in aliis rebus, praeter hanc tribuariam, non id fieri hoc uno in genere senatus voluisset, sed eandem iudicum edendorum rationem ad ceteras quoque causas transtulisset, praesertim ad ambitum, qui cum sodalitii causa quasi affinitate quadam coniungitur. Tu, inquit, finxisti velle te accusare Plancium Licinia lege de sodalitiis, ut ederes iudices, quos velles: quod assequutus es: accusas tamen reliquis potius de ambitu legibus: quum vel agere de sodalitiis Plancii debeas, ut beneficio legis in edendis iudicibus iure ac merito usus esse videaris: vel, si te crimen ipsum, quo accusas, deficit, ideoque accusationem tuam ad communem ambitus causam traducis, confiteris, non recte a te iudices editos esse, quos tantum in causa de sodalitiis edi senatus censuit, populusque iussit. MAN.

Nisi hac tribuaria) Qua prohibitum est, ne quis tribus per sodalitia corrumpat. *Vlla in re* recte Graevius edidit ex utroque Franc. Erf. Dresd. ed. pr. Med. Manut. Idque sensus aperte requirit, etsi insolentius dictum pro *praeter hanc tribuariam.*

eandem editionem transtulerit in ceteras causas; de ipso denique ambitu, reiectionem fieri voluerit iudicum alternorum; quumque nullum genus acerbitatis praetermitteret, hoc tamen unum praetereundum

De ipso denique ambitu — iudicum alternorum) Sic Graevius e cod. Erf. probante Ern. Vulgo *de ipso denique ambitu de reiectione fieri voluerit iudicum alternorum*. Lambinus correxit: *in ipso denique iudicio de ambitu reiectionem fieri voluerit iudicum alternorum*. Recta explanatio est: neque tamen sic loqui contra libros omnes cogendus orator. Est enim βραχυλογία, eaque non obscura, quum facile rei, de qua disputat, nomen cuivis occurrat, quod omissum intelligat, nimirum *iudiciis*, ac *legibus*.

Reiectionem etc.) In omnibus causis, exceptis sodalitiorum criminibus, reiectio iudicum fiebat ab accusatore, et reo. Iudices enim, quum senatorius ordo lege Cornelia L. Sullae solus iudicaret, e curia senatoria conscribebantur: postea lege Aurelia L. Cottae, qua iudicia inter tres ordines communicata, e senatu, ex equitibus, e tribunis aerariis. Hi selecti iudices vocabantur, de quibus in orat. pro Cluentio, apud Pedianum, et Plinium. Horum nomina in urnam coniecta, sortito deducebantur a quaesitore, id est ab eo, qui de maioribus criminibus, ambitu, repetundis, inter sicarios, maiestate, quaerebat. Ita de pluribus confecto per sortitionem necessario numero, permittebatur accusatori, ac reo, ut ex illo numero reiicerent, quos putarent sibi aut inimicos, aut ex aliqua re, ut Pediani verbis utar, incommodos fore. Post reiectionem, subsortiebatur idem quaesitor in locum reiectorum alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur. Erat igitur prima sortitio, secunda reiectio, tertia subsortitio. His peractis, iurabant iudices in leges, ut obstricti religione iudicarent. Quum iurassent omnes, praeter ipsum praetorem qui iudicio praeerat (nam praetorem non iurasse, tum ex Cicerone, tum ex Pediano constat) nomina eorum libellis consignabantur, et ubique habebantur, ne pro selecti iudicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissime iudicarent. Eorundem iudicum nomina in codicem relata praetor asservabat. Qua de re sic in ea pro Cluentio: *Multam a Iunio petivit: qua lege? quod in legem non iurasset: quae res nemini unquam fraudi fuit: et quod C. Verres, praetor urbanus, homo sanctus, et diligens, subsortitionem eius in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur*. Quibus verbis illud quoque planum fit, subsortiri solitum eum, qui iudicio praeesset, sive praetor esset, sive non esset. Nam Iunius ille a quo multam petitam esse Cicero dicit, praeturam nondum adeptus erat, quum in Oppianici iudicio iudex quaestionis fuit. Itaque miror, quod a Pediano scriptum est, et sortitum esse iudices, et subsortitum praetorem Verrem in Oppianici iudicio: contra quam et ipsius verba Ciceronis, iam a nobis proxime recitata, demonstrant: et illa praeterea, quae dixit in Verrem lib. 1: *De subsortitione*, inquit, *illa Iuniana, iudices, nihil dico*. Quum igitur, ut redeam unde diverti, reiectio iudicum fieret in omnibus causis, lata est Licinia lex

putarit. Quid? huiusce rei tandem obscura causa est? an et agitata tum, quum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosius a Q. Hortensio, cui tum est senatus assensus? Hoc igitur sensimus: cuiuscumque tribus largitor esset, per hanc consensionem, quae honeste magis quam vere sodalitas nominaretur, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime iis hominibus, qui eius tribus essent, esse notum. Ita putavit senatus, quum reo tribus ederentur eae, quas is largitione devinctas haberet, eosdem fore testes et iudices. Acerbum omnino genus iudicii: sed tamen, si vel sua, vel ea, quae maxime esset cuique coniuncta, tribus ederetur, vix recusandum.

XVI. Tu autem, Laterensis, quas tribus edidisti? Terentinam, credo. Fuit id aequum, et certe exspectatum est, et fuit dignum constantia tua. Cuius tu

ex S. C. in sententiam Q. Hortensii oratoris facto, ut in causa de sodalitiis iudices ab accusatore editi, nulla interposita reiectione, iudicarent. Quod infra Cicero docuit his verbis: *Quid? huius rei obscura causa est? an et agitata, cum ista in senatu res agebatur, et disputata hesterno die copiosius a Q. Hortensio? cui tum est senatus assensus.* Ex eo autem S. C. latam esse legem (nam multae leges et sine S. C. et contra senatus voluntatem ferebantur) indicat id, quod infra scriptum est: *Si quemadmodum senatus censuit, populusque iussit, ita fecisses, ut in hunc et suam et ab hoc observatas tribus ederes, non modo non quererer, sed hunc, iudicibus editis, qui testes iidem esse possunt, absolutum putarem.* Man.

Quid? huiusce rei tandem obscura causa est? an agitata tum, quum etc.) Ita Erfurt. et Bavaricus, quibus parui, hortante Garatono. Vulgo *quid? huius rei obscura causa est? an et agitata, quum* etc. Typ.

Assensus?) Nempe de lege Licinia ferenda in sententiam Q. Hortensii factum est SCtum.

Per hanc consensionem) Hic *consensio* est coitio civium epulis et largitionibus contractorum ambitus causa, quae minus vere sodalitas dicebatur. Nam erant sodalitates honestae, de quibus Cicero de Senectute, c. 13. Graev.

Sodalitas) Athenis etiam quaedam fuerunt σπουδαὶ ἑταιρειῶν ἐπ' ἀρχάς, ut Plato tradidit in Theaeteto n. 78. Heind.

Terentinam, credo) Plancii tribum:

tribus venditorem, et corruptorem, et sequestrem Plancium fuisse clamitas, eam tribum profecto, severissimorum praesertim hominum et gravissimorum, edere debuisti. At Voltiniam: lubet enim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari: hanc igitur ipsam cur non edidisti? Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Vfentina, quid cum Crustumina? nam Maeciam, non quae iudicaret, sed quae reiiceretur, esse voluisti. Dubitatis igitur, iudices, quin vos M. Laterensis suo iudicio, non ad sententiam legis, sed ad suam spem aliquam de civitate delegerit? Dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas necessitudines habet Plancius, quum ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc observatas, non largitione corruptas? Quid enim potest dicere, cur ista editio non summam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo sequuti sumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles

quam in primis edere debuit, nec tamen edidit. MAN.

Venditorem) *Emptorem* coni. Lambin. sed ita tamen ut ferri posse vulgatam concederel.

Cum Lemonia?) quam Laterensis edidit. MAN.

Quid cum Vfentina?) Ita Erfurt. et Bavaricus, probante Garatono. Vulgo *Veientina*. T.

Maeciam) Ita Bavar. Vulgo *Metiam*.

Non ad sententiam legis) Ideo enim iudices editilios lex accusatori dabat, ut ederet eos, qui largitione devincti suffragium pro aliquo tulisse putarentur. At Laterensis iudices edidit ex tribu Lemonia, ex Veientina, e Crustumina: cum quibus Plancio nihil fuisse ipsemet Laterensis in sermone ostenderat, quum de Terentina, et Voltinia criminaretur, has autem non nominaret. MAN.

De civitate delegerit?) De omni civium numero, ex omnibus tribubus: quod infra dixit, *ex omni populo*. ID.

Quam in decernendo sequuti sumus) Quum in senatu decrevimus, ut accusator tribus ederet, quae de reo iudicarent, id sequuti sumus, ut, quae maxime reo convinctae tribus essent, eas ederet, quod eas maxime corruptas esse verisimile videretur. Tu autem, Laterensis, eas edidisti cum quibus Plancio nihil est: qui Terentinam, et Voltiniam officiis ab eo, non largitione, observatas iudicares. GRAEV.

existimes? Tu, me ignaro, nec opinante, in sinu notes et tuos, et tuorum necessarios, vel iniquos meos, vel etiam defensorum meorum? eodemque adiungas, quos natura putes asperos, atque omnibus iniquos? deinde effundas repente, ut ante consessum meorum iudicum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari? apud eosque me, ne quinque quidem reiectis, quod in proximo reo de consilii sententia constitutum est, cogas causam de fortunis omnibus dicere? Non enim, si aut Plancius ita vixit,

Cap. XVI. *Apud eosque me, ne quinque etc.*) Iam de sodalitiis causam dixerat P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone: cuius exemplo negat iniquitate Laterensis esse Plancio permissum iudices reiicere, quo manifesta sit improbitas obstinate connitentis inimici, ut reus innocens opprimatur conspiratione magis iniquorum iudicum, quam criminis veritate convictus. — *Non enim si aut Plancius ita vixit etc.*) Periculosius aliquantum fuerat evectus, ut hoc dicendo, voluisti Plancium, Laterensis, apud inimicos iudices accusari, offenderet animos eorum qui erant de causa pronuntiaturi. Vigilanter itaque illum quidem hoc animi habuisse testatus est, ut reus ini-

In sinu) Sic reposui, praeeunte Schützio ex coniectura: optime enim respondet quod sequitur, *effundas repente*. Sic Verrin. I, 10, dicitur: *calumniatores e sinu suo apponere*. Codd. fere omnes exhibent *inscio*, quod ab *ignaro* non differt; nonnulli, *in sicco* vel *in suto*. Wopkensius ad Tacit. III Annal. 4, et Ernestius coniecerunt *invito*, probante Garatono. Typ.

Notes et tuos, et tuorum necessarios, vel iniquos meos, vel etiam defensor. m.) Bavaric. et Erfurt. *n. et t. et tuorum amicorum necessarios, vel iniquos, vel meos*. Wopkens. l. supra citato *iniquos* defendit. Garatonus sic legendum censet: *notes et tuos, et tuorum necessarios, et inimicos vel meos, vel etiam defensorum meorum?* Typ.

Vel iniquos) Graev. e cod. Franc. 1, *inimicos*.

Meorum iudicum) Ita reposui monente Garatono, e cod. Bavarico. Ceteri *eorum iudicum*.

Quod in proximo reo) Angelus Maius V. C. recte adnotat, Ciceronem pro Vatinio dixisse L. Domitio et Appio Claudio coss. anno DCXCIX, quo proinde Plancium quoque defenderit: sic enim ex Asconio compertum fieri, ut Manutius existimavit. Patricius ad Ascon. ex D. Hieronymi apologia in Rufinum haec adfert. *Lege pro Vatinio* (Ciceronis) *oratiunculam, et alios, ubi sodalitiorum mentio fit*. Ergo et annus, et crimen utriusque accusationis idem fuit. Hactenus Garatonus, qui in reliquis, quae brevitatis causa omitto, docte hanc rem confirmat et probat adversus Ferratium et Corradum. Vid. enim, si lubet, in secundis ad hanc orationem curis.

ut offenderet sciens neminem, aut tu ita errasti, ut eos ederes imprudens, ut nos, invito te, tamen ad iudices, non ad carnifices veniremus, idcirco ista editio per se non acerba est.

XVII. An vero nuper clarissimi cives nomen editicii iudicis non tulerunt, quum ex CXXV iudicibus, principibus equestris ordinis, quinque et LXX reus reiiceret, L referret, omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi conditionique parerent: nos neque ex delectis iudicibus, sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reiiciamus? Neque ego nunc legis iniquitatem queror, sed factum tuum a sententia legis doceo discrepare: et illud acerbum iudicium, si, quemadmodum senatus censuit, populusque iussit, ita fecisses, ut huic et suam, et ab hoc observatas tribus

quis iudicibus ulcretur. Sed fortunam multo prosperius secundasse, ut viri spectatae humanitatis et incorruptae religionis in hanc cognitionem venirent, quae innocenti reo obesse non posset. Iudices ergo non laesit, et propositum malitiosi accusatoris ostendit.

Cap. XVII. *An vero nuper clarissimi cives nomen* etc.) Adhuc eandem, quantum rebus ipsis apparet, inculcat iniquitatem iudicii, quod Laterensis ut ex editiciis haberet, maxime laboraverat. Et hac in parte commemorationem videtur facere Tullius eius temporis quo ser . . . .

Idcirco ista editio) In uno Britann. est *conditio*. Immo acerba est *conditio per se*, non Laterensis *editio*: nec defensori aliter licebat loqui. Gar.

Nomen editicii iudicis) Ita reposui e codd. Erfurt. et Bavar., probantibus Graevio et Garatono. Servius ad Virg. III Eclog. 50, *Editicius iudex est, quem una pars eligit:* locumque superiorem adfert ex cap. 15, cui plane similis hic esse debet. Ceterum emendationem confirmat Schol. qui conversa ratione habet, *nomen editicium iudicis*. Vulgo *editi iudicis*. Typ.

Referret) Gron. coni. *ferret*, i. e. pateretur. Hoc etiam malebat Graev.

Permiscuerunt) Ern. coni. *permiserunt*.

Et illud acerbum iudicium) Sensus est: Et illud licet per se acerbum iudicium non quererer, si quemadmodum etc. sed hunc etc. Fern.

Vt huic et suam) Volgo, *ut in hunc et suam*. Accuratius Bavaricus *ut huic*; edebantur enim reo, ut unam posset reiicere, quod patet ex cap. 16; ita Garaton. Typ.

ederes; non modo non quererer, sed hunc, iis iudicibus editis, qui testes iidem esse possent, absolutum putarem: neque nunc multo secus existimo. Quum enim has tribus edidisti, ignotis te iudicibus uti malle, quam notis indicavisti; fugisti sententiam legis; aequitatem omnem reiecisti; in tenebris, quam in luce, causam versari maluisti. Voltinia tribus ab hoc corrupta; Terentinam habuerat venalem. Quid diceret apud Voltinienses, aut tribules suos iudices? immo vero tu quid diceres? quem iudicem ex illis aut tacitum testem haberes, aut vero etiam excitares? Etenim, si reus tribus ederet, Voltiniam fortasse

Iis iudicibus editis) Pronomen addidi ex cod. Bavarico, probante Garatono. TYP.

Fugisti sententiam legis) Quia, quod lex iubebat, non fecisti, ut in reum et suam, et ab eo observatam tribum ederes. MAN.

Tacitum testem) Habemus tacitum testem, qui sola mente, non voce assentitur: excitamus autem, quum ad palam dicendum testimonium invitamus. FERR.

Aut tribules suos) Bavar. *aut apud tribules suos*. T.

Etenim, si reus tribus ederet — non edidisset?) Bavaricus: *Etenim si reus tribus ederet, Voltiniam fortasse Plancius, propter necess. ac vicinitatem suam vero certe edidisset.* Ad haec Garatonus, vulgata praemissa, ait: « Quam sibi ab accusatore tribum edi vellet, edere Plancius dubitasset, aut etiam non edidisset? quam ob causam? ob eam, quae maxime ad edendum impellere debuisset. Deinde non convenit, facultatem, quae occusatori dabatur, imminutam in reo fingere. Facile perspicitur ex iis, quae paulo ante vidimus c. 16, Plancium, si ius fuisset, tribus ad iudicaudum saltem duas edere debuisse. Ubi nunc igitur illa, in qua cum Atinatibus suis Plancius numerabatur, assidua in hoc sermone comes Voltiniae Terentina? Haec ego, quae cuivis occurrere necesse est, non poteram non intelligere: sed illud *fortasse* male me habebat, et ubi coniectura consisteret, non reperiebam. Est enim Erfurtensis ceteris etiam corruptior: ex quo uno *tribum* Graevius sumpsit, Ernestus adscivit, quod id putarent sequentibus consentaneum, in quo tamen ipso, etiam ut tum erat locus, viri doctissimi fallebantur. Nam insperatam denique opem tulit tam depravato loco Bavaricus, in quo purus atque integer ita perscribitur. Verae lectionis reliquias tres Britannici servant. Leve est, quod unus habet, *necessitatem ac visitudinem*, h. e. *necessitudinem ac vicinitatem*. Illud caput est, quod idem cum duobus aliis exhibet, negatione deiecta, *suam vero edidisset*: quod si videre olim licuisset, ad emendationem fuisset profecto satis. Nam reliquum quod erat, *certe*, antecedens postulabat *fortasse*: in quo

Plancius, propter necessitudinem, ac vicinitatem suam, non edidisset? Et, si quaesitor huic edendus fuisset, quem tandem potius, quam hunc C. Alfium, quem habet, cui notissimus esse debet, quem vicinum, tribulem, gravissimum hominem iustissimumque, edidisset? cuius quidem aequitas, et ea voluntas erga

nunc explanando me locus praeclare constitutus adiuvit. Quum Plancius competitores non sine sua iuvidia vicerit, ex XXXV tribubus quos tulerit, non est obscurum. Harum princeps Terentina certe fuit: in qua gratiosi homines videntur fuisse, qui alias aliquas conciliarint: *neque enim*, ut ait c. 18, *intercedendum est, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent:* mutua haec sunt officia non petitorum modo, verum etiam amicorum, quibus late manat gratia, augescitque magnopere. Infra c. 19: *Quam tibi commodum est, unam tribum deliga tu — per quem tulerit, docebo.* Ipse vero Plancius et in sua tribu, et in aliis erat gratiosus, neque in una Voltinia magnas necessitudines habuisse credendus est. Cicero igitur sive generatim loquitur, sive de ipso Plancio, semper suae designati magistratus tribui primas dat, secundas coniunctioribus. Generatim cap. 15: *Acerbum omnino genus iudicii: sed tamen, si vel sua, vel ea, quae maxime esset cuique coniuncta, tribus ederetur, vix recusandum.* Hic autem modo, *si fecisses, ut huic et suam, et ab hoc observatas tribus ederes.* Quod cap. 16, *eas tribus*, inquit, *in quibus magnas necessitudines habet Plancius*, ideo fit, quod proxime Terentinam primum nominaverat, deinde Voltiniam, *lubet etenim tibi nescio quid etiam de illa tribu criminari:* quod non modo alias non excludit, verum etiam docet, qua de causa una post Terentinam Voltinia nominetur, ut modo, *Voltinia tribus ab hoc corrupta.* Sic itaque statuendum est, Plancium, si potuisset, Terentinam editurum sine ulla dubitatione fuisse, quae omnibus de causis erat sua: quum autem alias haberet aeque fere amicissimas, au ex iis Voltiniam sumpturus fuerit, Ciceronem certo scire nou posse, propterea *fortasse* dixisse: sermonem denique de duabus tantum illis institui, quod solae a Laterensi nominatim arguerentur. Ex his porro aliquid me arbitror adiecisse ponderis ei disputationi, in quam incidi c. 16, ubi iudices de sodalitiis trinis ex tribubus delecti videbantur. Praecipuum illud est, *suam, et ab hoc observatas tribus.* Noune duas suae adiici debere putas?» Vulgatam servavi, interrogandi signo tantum posito in clausula. Typ.

Et, si quaesitor huic edendus fuisset) Sic edidi ex Bavarico, iubente Garatono. Vulgo omittitur *huic.* Paulo post ex eodem Bavarico *Alfium* retinui, quod iam erat vulgatum. Schützius dedit *Flavium.* Est omnino C. Alfius Flavus, de quo nonnulla dicentur ad cap. 42 ex Garatonio. Typ.

Tribulem) Forsan legendum, *cui notissimus esse debet, quem habet vicinum, tribulem.* Aut si serves vulgatum, auctore Ernest. reponendum *debeat.*

Et ea voluntas erga Cn. Pl.) Huius loci vetus depravatio fuit, *et mea*

Cn. Plancii salutem, quam ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert, facile declarat, non fuisse fugiendum tribulem huic iudicem, cui quaesitorem tribulem exoptandum fuisse videatis.

XVIII. Neque ego nunc consilium reprehendo tuum, quod non eas tribus, quibus hic maxime notus erat, edideris: sed a te doceo consilium non servatum senatus. Etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? sequestremne Plancium? respuerent aures, nemo agnosceret, repudiarent. An gratiosum? illi libenter audirent: nos non timide confiteremur. Noli enim putare, Laterensis, legibus istis, quas senatus de ambitu sancire voluerit, id esse actum, ut suffragatio, ut observantia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni viri, qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. Neque vero tam durus in plebem noster ordo fuit, ut eam coli nostra modica libertate noluerit: neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant, ne conficere necessariis suis suam tribum possint, ne par ab iis munus in sua petitione respectent. Haec enim plena sunt officii, plena observantiae, plena etiam antiquitatis. Isto in genere et fuimus ipsi, quum ambitionis nostrae tempora postulabant, et clarissimos viros esse vidimus, et hodie

voluntas. Deinde audaculus emendator exstitit, a quo *meae similis* profectum est. Is vero non cogitavit, defensoris erga reum, et quaesitoris voluntatem similem esse non debuisse. Idcirco sequitur, *quam ille sine ulla cupiditatis suspicione prae se fert.* Garat. — Equidem obtemperavi eidem Garatono e codd. Erfurt. et Bavarico *et ea vol.* legendum censenti. Iidem codd. paulo infra: *non fuisse fugiendos tribulis* (ita Bavar.) *huic iudices.* Typ.

Quod non eas tribus — edideris) Vnus e Britann. ordine meliore, iudice Garatono, *quod eas tribus—non edideris.* Typ.

Repudiarent) Ita Erfurt. et Bavar. Vulgo *repudiaretur.* Loquendi ratio est exquisitior, quam huic loco aptissimam censet Garatonus; cui obsequutus sum. Typ.

Conficere necessariis suis suam tribum) Sic Graev. e cod. Erf. (adde Bavar.) Est *conciliare suam tribum*

esse videmus quamplurimos gratiosos. Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus, et bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. Haec doce, haec profer, huc incumbe, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse: tum mirabor, te iis armis uti, quae tibi lex dabat, noluisse. Tribulibus enim iudicibus, non modo severitatem illorum, si ista vera sunt, sed ne vultus quidem ferre possemus. Hanc tu rationem quum fugeris, quumque eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto tum scientia certissima, tum dolor gravissimus esse debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc sibi oneris imposueris, cur se potissimum delegeris, cur denique se divinare malueris, quam eos, qui scirent, iudicare?

XIX. Ego Plancium, Laterensis, et ipsum gratiosum esse dico, et habuisse in petitione multos cupidos sui, gratiosos: quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso. Sin, quia gratiosi sunt, accusandos putas, noli mirari, te id, quod tua dignitas postularit, repudiandis gratiosorum amicitiis non esse assequutum. Iam, ut ego doceo, gratiosum esse tribulibus Plancium, quod multis benigne fecerit, pro multis spoponderit, in operas plurimos patris auctoritate et gratia miserit; quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per maiores suos

suis amicis et cognatis. Olim erat *ne reficere.*

Decuriatio tribulium) Decuriare, est per factionem cogere. Ferr.

Pronuntiasse) Id est, promisisse pecuniam. Id.

Si sodales vocas) Quibus usus fuerit ad corrumpendas tribus. Id.

Gratiosum esse tribulibus Plancium) Erfurt. et Bavaric. *in sua tribu*, quod optimum putat Garatonus, miraturque, Ernestium vitium vulgatae non sensisse. Typ.

In operas) In negotia provincialia publicanorum. Ferr.

totam Atinatem praefecturam comprehenderit: sic tu doce, sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriavisse. Quod si non potes, noli tollere ex ordine nostro liberalitatem, noli maleficium putare esse gratiam, noli observantiam sancire poena.

Itaque haesitantem te in hoc sodalitiorum tribuario crimine, ad communem ambitus causam contulisti, in qua desinamus aliquando, si videtur, vulgari et pervagata declamatione contendere. Sic enim tecum ago. Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit. Ego, si id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit, docebo. Estne haec vera contentio? placetne sic agi? num possum magis pedem conferre (ut aiunt) aut propius accedere? Quid taces? quid dissimulas? quid tergiversaris? Etiam atque etiam insto atque urgeo, insector, posco, atque adeo flagito crimen: quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium; ego, qua ratione tulerit, docebo; nec erit haec alia ratio Plancio ac tibi, Laterensis. Nam ut, quas tribus tu tulisti, si iam ex te requiram, possis, quorum studio tuleris, explicare: sic ego hoc contendo, me tibi ipsi adversario, cuiuscumque tribus rationem poposceris, redditurum.

Noli observantiam sancire poena) Hanc locutionem Zinzerlingius in promulside critica cap. XXV, pag. 81, illustravit exemplis. Addendus est locus cap. 34, *me idcirco mea lege exsilio ambitum sanxisse*, quem ope Bavariei, confirmante Arusiano, sanavimus. GARAT.

Delige tu: doce id) Gulielm. coni. *delige tum doce id*. At pronomen tu opponitur sequenti *ego*.

Si id facere non potueris) Vnus Britann. *non poteris*. GAR.

Num possum — accedere?) Ita Bav. quod iam coniecerat Guliel., quodque nunc suadet Garatonus. Vulgo *non possum — accedere*. TYP.

Vrgeo, insector) Cod. Erf. *insequor, urgeo*.

Ac tibi, Laterensis) Ita rescripsi

XX. Sed cur ego sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus aedilis. Quae comitia primum habere coepit consul, quum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor: deinde habere coepit subito, praeter opinionem omnium; ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi. Vocatae tribus; latum suffragium; descriptae, renuntiatae; longe plurimum valuit Plancius. Nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. An tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum esse miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cuius in honore non

ex Erfurt. et Bavaric., probantibus Graevio et Garat. Vulgo *ac Laterensi*, quod venustior videbatur Ernestio. Typ.

Comitiis iam superioribus) M. Crassus consul, habilis comitiis consulum et praetorum, contra veterem morem, subito et praeter opinionem omnium habuit et comitia aedilium, idque ad reprimendum ambitum: quibus vel intercessione, vel obnuntiatione prolatis, antequam absolverentur, alia deinde habuit, quibus creati sunt aediles. Ferr.

Descriptae) Erfurt. et Bavar. *diribitae*, quod probare videtur Garat. Vide quae ad h. l. disseruit V. Cl. T.

An tandem una centuria — aedilem tu Plancium factum esse miraris) Sic locum hunc constituit Garatonus ope MSSorum et edd. vett. Sed praestat eius verba huc referre: « Haec nihil ad Plancium disiunctio pertinet (lege infra vulgatam lectionem), cuius neque centuriata comitia fuerunt, neque consularia, sed tributa et aedilicia: nam quod ea consul habuerit, cuius propria potestas erat, neminem potest, nisi imperitissimum, fallere, qui comitia nesciat ab iis, qui creandi essent, magistratibus nomen accipere. Quid est deinque, *aut certe in illum annum*, quum Plancius utrisque comitiis iam fuerit in annum suum designatus? Patet omnino, disiunctionem totam ad argumentationis $\pi\rho o$-$\tau\alpha\sigma\iota\nu$ pertinere. » Ceterum vulgo sic legitur: *An tandem una centuria — quin renuntiatus sit: tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum aedilem Plancium factum miraris.* In codd. nonnullis non *consularibus*, sed *consul* legitur. Iisdem autem in libris, aliisque praeterea veteribus editis, atque in Aldina, pronomen *tu* post *aedilem* collocatur. Typ.

Cuius in honore non unius tribus

unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa? Quo quidem tempore, Laterensis, si id facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuae, quod multi nobiles saepe fecerunt, ut, quum minus valuissent suffragiis, quam putassent, postea, prolatis comitiis, prosternerent se, et populo romano, fracto

pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogativa) Multis in libris usque ad Graevium est *praerogata*, in aliis *fuerit*. Ernestius *praerogata* defendit hoc sensu: cuius in honore comitia priora centuriata, quae Crassus consul habuit, sequentibus tributis eodem modo quasi praerogativam dederint, quo in comitiis centuriam praerogativam ceterae fere sequi solent. Sed iuverit hic transcribere, quae ad h. l. Garatonus disputavit: Nullam vero in lectione ante se pervulgata sanam esse sententiam, recte Graev. iudicavit. Id quoniam apertum est, piguit explanare. At ob Ernesto postea inconsiderate *praerogata* relatum est. Quis enim dubitet, quin superiora comitia posterioribus fuerint praerogata? Nihil est autem praerogata fuisse, nisi, quid in Plancium contulerint, intelligatur: quod facit ex usu communi adiectum, *praerogativa*. Nam *comitia praerogativa*, nove quidem fortasse, verum ad rem apte dicuntur, quae idem praestiterint, quod quae prima sortito rogata sit, in tributis comitiis tribus, in centuriatis centuria, omen ut adferrent, pignusque quodammodo, qui prior eam tulerit, candidato. *Centuria praerogativa* est *exigua pars populi*, cui *populus universus* opponitur: est *unius tribus pars*, cui tribus omnes, hoc est, *tota comitia* opponuntur, quae unius centuriae loco fuerunt Plancio *praerogativa*. Ita *comitiis* addere necesse non est, quam vocem libri optimi praetermittentes duo suspectam Graevio fecerunt. Sed recte addit Bavar. aliique omnes, et probat Ernestus. Nam secunda comitia perspicuitatis causa nominantur. Quum prioribus populus universus praerogativam Plancio dederit suae voluntatis, ut Cicero ipse loquitur I Act. in Verr. 9; secundis non ea tribus, quae prima rogata est, sed priora fuerunt comitia illa praerogativa. Est vero in tribus optimis, Pithoeano, Erfurt. et Bavar. praeterea in quatuor Britann. et in priore Veneta, *praerogativa*. » Typ.

Non unius tribus pars) Argumentum urget tribus adiunctis: tum quia ab eodem consule comitia illa habita fuerant, qui et habuerat posteriora; tum quia eodem anno utraque habita sunt; tum quia universus populus, non illius exigua pars, qualis erat centuria praerogativa, pars unius tribus, suam in Plancium voluntatem declaraverat quum illa fuerant impedita comitia. Itaque priora illa comitia fuerant *praerogata* et quasi praerogativa Plancio. Vid. infr. cap. 22. Ferr.

Quo quidem tempore, Laterensis, si id f. v.) Ita Bavar. ordine meliore, ut puto, quam in vulgata, *Q. q. temp., si id, Lat., facere vol.* Typ.

Prolatis comitiis) Obnuntiatione, aut intercessione. Ferr.

animo atque humili supplicarent: non dubito, quin omnis ad te conversura se fuerit multitudo. Nunquam enim nobilitas, integra praesertim atque innocens, a populo romano supplex repudiata fuit. Sed, si tibi gravitas tua, et magnitudo animi, pluris fuit, sicut esse debuit, quam aedilitas: noli, quum habeas id, quod malueris, desiderare id, quod minoris putaris. Equidem primum ut honore dignus essem, maxime semper laboravi; secundo ut existimarer; tertium mihi fuit illud, quod plerisque primum est, ipse honos: qui iis denique debet esse iucundus, quorum dignitati populus romanus testimonium, non beneficium ambitioni dedit.

XXI. Quaeris etiam, Laterensis, quid imaginibus tuis, quid ornatissimo atque optimo viro, patri tuo, respondeas mortuo. Noli ista meditari: atque illud cave potius, ne tua ista querela dolorque nimius ab illis sapientissimis viris reprehendatur. Vidit enim pater tuus, Appium Claudium, nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, C. Claudio, aedilem non esse factum, et eundem sine repulsa factum esse consulem; vidit, hominem sibi maxime coniunctum, egregium virum, L. Volcatium; vidit, M. Pisonem ista in aedilitate offensiuncula acce-

Omnis ad te conversura se fuerit multitudo) Pronooten se omittunt Bavar. et sex Britannici, aliique a Garat. memorati. Iste vero, ut locutioni auctoritatem adstrueret, loca auctorum congessit; nempe Caesaris B. G. V, 49: *omnemque ad eum* (Caesarem) *multititudinem* (hostium) *convertisse.* In Academicis apud Aug. III, contra Acad. 7, *rursus ad illum converte, et quaere* (vulgo *te converte*). Gellius, XIII, 24: *Ac deinde ad eum* (Favorinum) *convertit ... et, videturne tibi, inquit,* etc. item I, 26: *Is .... convertit ad me, qui interrogaveram.* Ita Gronovius, et ex MSto Gifanius inter Mureti epistolas I, 76, atque ita legitur in cod. Barberino. Adde Lucret. IV, 311: *Inde retrorsum redit, et convertit eodem.* Typ.

Nunquam enim) Cod. Erf. (et Bav.) *nunquam enim fere.*

Ista in aedilitate offens. acc.) Ita ex Prisciano. p. 614, ut sit, *ista offens. in aed. acc.* Vulgo *in ista aedil. off. acc.* Typ.

pta, summos a populo romano esse honores adeptos. Avus vero tuus, et P. Nasicae, tibi aediliciam praedicaret repulsam, quo cive neminem ego statuo in hac republica fortiorem: et C. Marii, qui duabus aedilitatibus repulsus, septieś consul est factus: et L. Caesaris, Cn. Octavii, M. Tullii: quos omnes scimus aedilitate praeteritos, consules esse factos. Sed quid ego aedilicias repulsas colligo? quae saepe eiusmodi habitae sunt, ut iis, qui praeteriti essent, benigne a populo factum videretur. Tribunus militum, L. Philippus, summa nobilitate et eloquentia, quaestor C. Caelius, clarissimus ac fortissimus adolescens, tribuni plebis P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Cassius, Cn. Orestes, facti non sunt: quos tamen omnes consules factos scimus esse. Quae tibi ultro pater, et maiores tui, non consolandi tui gratia, dicerent, neque vero, quo te liberarent aliqua culpa, quam tu vereris, ne a te suscepta videatur: sed ut te ad cursum istum tenendum, quem a prima aetate suscepisti, cohortarentur. Nihil est enim, mihi crede, Laterensis, de te detractum: detractum dico? si mehercules vere, quod accidit, interpretari velis, est aliquid etiam de virtute significatum tua. Noli enim existimare, non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae.

Qui duabus aedilitatibus repulsus) Ita Erfurt.; optime; nam utriusque, curuli scilicet, ac plebeia, repulsam C. Marium tulisse constat. Ceteri *duabus aedilitatis acceptis repulsis.* Si vera est lectio Erfurtensis, *acceptis* arbitror esse natum ex glossema participii *exceptus*; deinde *repulsus* versum in *repulsis*; sponte tandem profluit *aedilitatis*. Typ.

Dicerent — quo te liberarent — cohortarentur) Vulgo *quo te liberent — cohortentur.* Correxit Ernestius.

Non magnum quendam motum fuisse illius petitionis tuae) Loquitur de petitione tribunatus: quem quum peteret Laterensis, et eodem tempore C. Caesar legem agrariam ferret, reclamantibus nobilibus, quumque reliqui candidati in legem illam agrariam iurassent, Laterensis destitit a petitione sua, ne iuraret. Auctor Cic. lib. 2 ad Attic. epist. 18, ubi existimat *Plancium laute fecisse.* Lamb.

de qua, ne aliquid iurares, destitisti. Denuntiasti, homo adolescens, quid de summa republica sentires. Fortius tu quidem, quam nonnulli defuncti honoribus, sed apertius, quam vel ambitionis, vel aetatis tuae ratio postulabat. Quamobrem in dissentiente populo noli putare, nullos fuisse, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem autem et praecaventem nunquam certe movebunt.

XXII. An te illa argumenta duxerunt: « Dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, quum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius? » An una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? « At nonnullas punctis paene totidem. » Quippe; quum iam facti prope superioribus comitiis declaratique venissent. Quamquam ne id quidem suspicionem coitionis habuerit. Neque enim unquam maiores nostri sortitionem constituissent aediliciam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. Et ais, prioribus comitiis

De summa republica) Sic Graev. e cod. Erf. Vulgo *de summa reipublicae.* Ernestius illud recepit, etsi hoc quoque recte dicitur.

Providentem autem) Ita rescripsi ex Bavarico et uno Britann.; hoc etiam receperat Lambin., nemini hucusque probatum. Vulgo *ante*, inepte; hoc enim iam inest in *pro*: ratio vero antithesis requirit *autem*. Typ.

Movebunt) Ern. coni. *demovebunt.*

Duxerunt) Ad Plancium accusandum. Ferr.

Dubitabitis) Garatonus scribendum censet *dubitatis* ex Bavarico, aliisque plurimis. T.

Coitio) Hoc erat crimen ambitus, si coirent candidati in corrumpendis tribubus. Ferr.

Tribus plerasque) Quum pleraeque tribus dixerint aediles Plancium et Plotium: non autem vel Plancium et Laterensem; vel Plotium et Laterensem. Id.

Quippe; quum) Interpunxi post *quippe.* Ponitur enim hic absolute, et est hominis adversarii obiectionem concedentis.

Venissent) Ad posteriora comitia. Manut.

Sortitionem constituissent aediliciam) Duo creabantur aediles curules. Fieri tamen poterat, et ut plures, quam duo peterent, et ut plures etiam pares suffragiis essent. Quod si accideret, constitutum est a maioribus,

Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam: nunc ab utroque eas avulsas, ne in angustum venirent. Quam convenit, nondum cognita populi voluntate, hos, quos iam tum coniunctos fuisse dicis, iacturam suarum tribuum, quo vos adiuvaremini, fecisse: eosdem, quum iam essent experti, quid valerent, restrictos et tenaces fuisse? Etenim verebantur, credo, angustias, quasi res in contentionem aut in discrimen aliquod posset venire. Sed tamen tu an Plotium, virum ornatissimum, in idem crimen vo-

ut sortirentur, quinam ex iis aedilitatem gererent. Sin autem soli duo totidem suffragia tulissent, sortitio locum non habebat; ii enim aediles renuntiabantur, quum duo tantum aediles esse oporteret. In.

Plotio) Erfurt. et Bavaric. addunt *Pedio*, quod recipiendam statuit Garaton. T.

Tibi esse concessam) Plancius concedebat suam tribum Laterensi, quum tribules suos, apud quos gratia valebat, precabatur, ut se et Laterensem aediles dicerent. Fern.

Ne in angustum venirent) Ne paucis suffragiis superiores essent. Is enim, qui duobus tantum punctis plus tulit, *in angustum* venisse dicitur, vel in angustias. Bud. *in Pand.*

Iacturam suarum tribuum—fecisse) Nempe quod dixerat prioribus comitiis tribum Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio sibi concessam fuisse.

Tenaces fuisse) Scil. ut istas tribus prioribus comitiis Laterensi concessas, nunc avellerent.

Sed tamen tu an Plotium—in idem crimen vocandum iudicas? an dicis etc.) Garatonus quum videret verba *an dicis* praetermissa esse in codd. suis, in editis ante Naug. atque in sex Britannicis; praeterea quum Bavaric. *vocando* exhiberet, hanc lectionem concinnabat: *Sed tamen tu an Plotium, v. o. in idem crimen vocando iudicas, eum te arripuisse, a quo non sis rogatus?* At praestat, quae disseruit, huc referre: «Quum Laterensis coitionem Plancium inter, ac Plotium factam criminetur, quin eadem causa utriusque sit, abesse non potest. Vocatur igitur in idem crimen omnino Plotius: qua una re Bavarici lectio maxime praestat. Vulgata enim dubitationem habet, quae nulla est: atque ideirco in altera parte, quae coniuncta debent esse, divellit. An, inquit, socium criminis Plancio adiungis Plotium? an vero, si non adiungis, quem tibi commodum fuit, arripuisti? Valet hoc in causa pari, in dispari non valet. Sed manet adhuc *an*, ubi *nonne*, vel *non* requiras, ut sit adfirmatio. Ita me ad fere necessariam emendationem ratio deducit, qua sequenti similis fiat hic in adfirmando locus. Ea vero tam prompta est, quam probabilis. Quum enim huic Plotio praenomen fuerit *Aulo*, facillime illius nota A. in *an* converti potuit: quod erit certe multo modestius, quam *non* ante *indicas* addere. Sic igitur, interrogatione sublata,

candum iudicas? an dicis eum te arripuisse, a quo non sis rogatus? Nam quod questus es, plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris: indicas, aut eos testes te adducere, qui, quia nummos acceperint, te praeterierint; aut te ne gratuita quidem eorum suffragia tulisse. Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, caluit re recenti; nunc in causa refrixit. Neque enim, qui illi nummi fuerint, nec quae tribus, nec qui divisor, ostenderis. Atque is quidem eductus ad consules, qui tum in crimen vocabatur, se inique a tuis iactatum graviter querebatur. Qui si erat divisor, praesertim eius, quem tu habebas reum, cur abs te reus non est factus? cur non eius damnatione aliquid ad hoc iudicium praeiudicii comparasti?

XXIII. Sed neque tu habes haec, neque eis confidis. Alia te ratio, alia cogitatio ad spem huius opprimendi excitavit. Magnae sunt in te opes; late patet gratia; multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae. Multi huic invident; multis etiam pater, optimus vir, nimium retinens equestris iuris et libertatis videtur; multi etiam communes inimici reorum om-

placet: *Sed tamen tu A. Plotium* etc. Supra c. 7: *Tu neque Q. Pedio, forti viro, succenses, neque huic A. Plotio, ornatissimo homini, familiari meo: et ab eo, qui hos dimovit, potius, quam ab iis, qui in te ipsum incubuerunt, te depulsum putas.* Quae causa, cur non Plotio, sed Plancio succenseat? quae porro, cur non illum, sed hunc Laterensis accuset? aut nulla, aut ita levis, ut non appareat. Hoc enim significat, quum ait, *a quo non sis rogatus:* quod non serio, vereque dicitur, quasi a Plotio rogatus fuerit.» Typ.

Indicas, aut eos testes te adducere (vel *producere* cum Erfurt. et Bavar.) *qui — te praeterierint, aut te ne gr. qu. eor. suff. tulisse*) Aut, inquit Tullius, tuos ipsos testes accusas, qui, postquam suffragium suum Plancio vendiderint, in eum nunc testimonium dicere audeant, aut fateris, homines incorruptos Plancio maluisse suffragium dare, quam tibi. Gar.

Ostenderis) H. e., ostendere poteris. Sed rectius in Bavar. *ostendis:* patet enim, non ostendisse, quum debuisset. Id.

nium; qui ita semper testimonium de ambitu dicunt, quasi aut moveant animos iudicum suis testimoniis, aut gratum populo romano sit, aut eo facilius ob eam causam, dignitatem, quam volunt, consequantur. Quibuscum me, iudices, pugnantem more meo pristino non videbitis: non quo mihi fas sit quidquam defugere, quod salus Plancii postulet; sed quia neque necesse est, me id persequi voce, quod vos mente videatis; et quod ita de me meriti sunt illi ipsi, quos ego testes video paratos, ut eorum reprehensionem vos vestrae prudentiae assumere, meae modestiae remittere debeatis. Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, iudices, quum huius, quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subiiciendas putetis. Multi amici accusatoris, nonnulli etiam nostri iniqui, multi communes obtrectatores, atque omnium invidi multa finxerunt. Nihil est autem tam volucre, quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut aut negligatis, aut dissimuletis, unquam postulabo. Sed, si quid sine capite manabit, aut si quid erit eiusmodi, ut non exstet auctor, qui audierit; aut ita negligens vobis esse videbitur, ut, unde audierit, oblitus sit; aut ita levem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit: huius illa vox vulgaris, AVDIVI, ne quid reo innocenti noceat, oramus.

Aut eo facilius) Sic MS. Franc. probantibus Graevio et Ern. Vulgo *aut ab eo*, quod minus bene sonat, quum statim sequatur *ob eam*. Praeterea *ab eo* esset *a populo*, quod per se intelligitur; *eo facilius* est i. q. *tanto facilius*.

Vt aut negligatis) Omittunt *aut* Bavar. et Britann. sex. T.

Videbitur — habebit) Dicere debuisset *videatur — habeat*, animadvertente Garalono; pendent enim a superioribus, *ut non exstet auctor*, *aut*, si exstet, *ita negligens* etc. At-

XXIV. Sed venio iam ad L. Cassium, familiarem meum, cuius ex oratione ne illum quidem Iuventium tecum expostulabo, quem ille omni et virtute et humanitate ornatus adolescens primum de plebe aedilem curulem factum esse dixit. In quo, Cassi, si ita tibi respondeam, nescisse id populum romanum, neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino: non, ut opinor, admirere, quum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis, me hic id ex te primum audisse confitear. Et, quoniam tua fuit perelegans ac persubtilis oratio, digna equitis romani vel studio vel pudore; quoniamque sic ab his es auditus, ut magnus honos et ingenio et humanitati tuae tribueretur: respondebo ad ea, quae dixisti; quae pleraque de ipso me fuerunt: in quibus ipsi aculei, si quos habuisti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt. Quaesisti, utrum mihi putarem, equitis romani filio, faciliorem fuisse ad adipiscendos honores viam, an futuram esse filio meo, qui esset familia consulari. Ego vero, quamquam illi omnia malo, quam mihi, tamen illi honorum aditus nunquam faciliores optavi, quam mihi fuerunt. Quin etiam, ne forte ille sibi me potius peperisse iam honores, quam

qui sunt haec ad loquendi consuetudinem, quotidianumque sermonem adcommodata. Typ.

Expostulabo) Ita rescripsi e coniectura Pautagathi. Vulg. *expostulavi.*

Primum de plebe) Aedilitas curulis primum patebat solis patriciis. Ferr.

Factum esse dixit) Ernestius ad h. l. negat Pighium hunc Ciceronis locum de Iuventio primo de plebe aedili curuli tetigisse. At eum utique tetigit ad A. V. 388 tom. I, p. 272, et ex h. l. Ciceronis alterum aedilem eumque primum de plebe nominat Iuventium Thalnam. Quum autem dicit Ciceronem *testari* hunc primum de plebe aedilem fuisse, non animadvertit Ciceronem ipsum nihil aliud dicere, quam se hoc primum a Cassio audisse, idque ipsum, an verum sit, addubitare.

Nescisse id pop. rom. etc.) Prius *id* in uno Britann. deest, alterum ante *fuisse* in Bavar. collocatur. Eleganter profecto: subvereor tamen, ne, superiore retento, delendum sit. Gar.

Mortuo Longino) C. Cassio Longino historico.

iter demonstrasse adipiscendorum putet: haec illi soleo praecipere (quamquam ad praecepta aetas non est gravis), quae ille a Iove ortus, suis praecipit filiis:

> Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis,
> Non te, id quod multi invideant.

Nostis cetera; quae gravis ille et ingeniosus poëta scripsit, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et laudem excitaret.

XXV. Quaeris, quid potuerit amplius assequi Plancius, si Cn. Scipionis fuisset filius. Magis aedilis fieri nôn potuisset: sed hoc praestaret, quod ei minus invideretur. Etenim honorum gradus summis hominibus et infimis sunt pares; gloriae dispares. Quis nostrum se dicit M. Curio, quis C. Fabricio, quis C. Duellio parem? quis Atilio Calatino? quis Cn. et P. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? tamen eosdem sumus honorum gradus, quos illi, assequuti. Etenim in virtute multi sunt adscensus: ut is gloria maxime excellat, qui virtute plurimum praestet. Honorum populi finis est, consulatus: quem magistratum iam octingenti fere consequuti sunt. Horum si diligenter quaeras, vix decimam partem reperias gloria dignam.

Aetas non est gravis) Cicero filius hoc anno erat puer decennis; ergo quod vidit Graevius, Cicero significat eum nondum ad illam aetatem venisse, quae possit haec praecepta intelligere. Lectionem *gravis* Graevius eruit e cod. Erf. Vulgo mendose *gnati* vel *generatus*.

Nostis cetera) Haec verba, vulgo inter duo versiculos Attii interiecta, huc transposui. Plenius hi citantur Orat. pro Sext. c. 48. Post *quae* delevi *scripsit*, auctore Manutio.

Et laudem) Bavar. *et ad laudem*.

Sed hoc praestaret) H. e. sed una hac re esset melioris conditionis.

C. Duellio) Sic Ern. pro vulg. *P. Duellio*. Est enim C. Duellius, qui primus vicit classe Carthaginienses. Ceterum is C. Duellius s. Duilius cos. fuit A. V. 493.

Etenim in virtute multi sunt adscensus) Ita edidi ex Erf. et Bavar., suadente Garatono. Lamb. et Ernest. omiserunt *sunt*. Typ.

Reperias) Sic est in MSS. nonnullis. Ernest. ex edd. vett. *reperies*. Vulg. *reperis*.

Sed nemo unquam sic egit, ut tu: Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui civitatem dominatu regio liberavit? honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius nihilominus quaestor est factus, et tribunus plebis, et aedilis, quam si esset summo loco natus: sed haec, pari loco orti, sunt innumerabiles alii consequuti. Profers triumphos T. Didii et C. Marii, et quaeris, quid simile in Plancio. Quasi vero isti, quos commemoras, propterea magistratus ceperint, quod triumpharant, et non, quia commissi sunt iis magistratus, re bene gesta, triumpharint. Rogas, quae castra viderit: qui et miles in Creta, Metello hoc imperatore, et tribunus in Macedonia militum fuerit, et quaestor tantum ex re militari detraxerit temporis, quantum in me custodiendum transferre maluerit. Quaeris, num disertus. Immo, id quod secundum est, ne sibi quidem videtur. Num iurisconsultus. Quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat. Omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui, quum professi fuerint, satisfacere non possunt; non in iis, qui se afuisse ab istis studiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet Vt nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem, si pro fabro, aut pro tectore emimus, ferre moleste solemus, si eas artes, quas in emendo sequuti sumus, forte nesciverit; sin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori praeficeremus, nihil in eo, nisi frugalitatem, laborem, vigilantiam, esse curamus:

T. Didii) Est T. Didius qui A. 640 de Scordiscis triumphavit.

Quasi vero isti — magistratus ceperint — re bene gesta triumpharint) Ita locum constituit Garatonus ex MSS. Ita fere edidit Schützius, nisi quod retinuit *in his re bene gesta*. Typ.

Metello hoc imp.) Garatonus delendam censuit vocem *Metello*, quae abest etiam a Bavar. et octo Britann. Typ.

sic populus romanus deligit magistratus, quasi reipublicae villicos, in quibus si qua praeterea est ars, facile patitur; sin minus, virtute eorum et innocentia contentus est. Quotus enim quisque disertus? quotus quisque iuris peritus est, ut eos numeres, qui volunt esse? quod si praeterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis et ornatissimis civibus est futurum?

XXVI. Iubes Plancium de vitiis Laterensis dicere. Nihil potest, nisi eum nimis in se iracundum putabit fuisse. Idem effers Laterensem laudibus. Facile patior, id te agere multis verbis, quod ad iudicium non pertineat, et id te accusantem tamdiu dicere, quod ego defensor sine periculo possim confiteri. Atqui non modo confiteor, summa in Laterense ornamenta esse; sed te etiam reprehendo, quod ea non enumeres, alia quaedam inania et levia conquiras. Praeneste fecisse ludos. Quid? alii quaestores non fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse. Quis negat? sed ita multa Romae geruntur, ut vix ea, quae sunt in provinciis, audiantur. Non vereor, ne mihi aliquid, iudices, videar arrogasse,

Cap. XXVI. . . . . partim malitiosis fraudibus deprehensum. Ideo tantum negavit ab se statim puniri, quod iratus esset. Quippe vir sapientia praeditus altiore non putavit iudicii futurum quidquid fecisset iratus. — *Non vereor ne mihi aliquid, iudices* etc.) Vt se Laterensis ostenderet aedilitate fuisse Plancio digniorem, commemoraverat se apud Praeneste ludos edidisse: Cyrenis etiam summa liberalitate in publicanos egisse: in socios fuisse denique iustissimum. Quae omnia iactantius ab illo dicta quam eleganter elevet et abiiciat M. Tullius consideremus. Persuadere vult namque omnia illa quae foris gesserit, apud conscientiam populi R. latere potuisse. Ac ne acerbius animum

Qui volunt esse) H. e. etiam si eos quoque numeres, qui volunt esse ICti, nec sunt.

Putabit) Sic cod. Pal. 2. Vulgo *putabis*. Gulielmus putabat omisso hoc verbo legendum: *nisi eum nimis in se iracundum fuisse*.

Non fecerunt) Ita recte Ern. pro vulg. *nonne fecerunt*.

Videar arrogasse) Bavar. et Schol. Ambros. *adrogare*, neque bonum, e sententia Garatoni, qui affert locum orat. pro Milone cap. 29: *non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum* etc. T.

si de quaestura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis imperiis arbitror, ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum: sed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quaesturam aut clariorem aut gratiorem fuisse. Vere mehercules hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae, nisi de quaestura mea, loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi. Itaque hac spe decedebam, ut mihi populum romanum ultra omnia delaturum putarem. At ego, quum casu diebus iis, itineris faciendi

laederet audientis, de quaestura sua egit non sine figura *comparationis*. Quod quum Lilybaeo decedens Puteolos adventasset, omnes eum ignoraverint primo ex provincia, tum deinde ex Sicilia, ad extremum ex Lilybaetana venire. Quibus ipse varia sciscitantibus novissime cum permistione quadam stomachi responderit, se ad aquas potius in Campaniam venisse, ut interrogationes ipsorum ab se respueret, quos moleste ferebat ignaros esse quaesturae, quam se meminerat magna cum laude gessisse. Proficit ad illam responsionem multa Romae ignorari quae foris gesta sunt a senatoribus; ac propterea Laterensem frustra in illis, quae extra urbem gesserat, habuisse fiduciam. In extremo tamen fine huius capitis aliquanto obscurius dixit: *Sed ea res.* ecc.

Multum gloriae) Assumpsi *gloriae* ex Bavarico. Nam, ait Garatonus, ex *laude* quaesturae *gloria* Ciceroni parta optime dicitur, atque adeo melius, non multum sibi *gloriae* ex ea *laude* repetendum videri. III Tuscul. 2, *gloria est consentiens laus bonorum:* II de Invent. 55, *gloria est frequens de aliquo fama cum laude.* Vide infra ad cap. 36. Delectatur autem Cicero istiusmodi coniunctione laudis, et gloriae. I de Offic. 32: *Quorum vero patres, aut maiores aliqua gloria praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere.* IV in Catil. 10: *Erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae.* Pro Flacco cap. 11: *in qua maxime florere generis sui gloriam viderat, laudem patriae in libertatem vindicandae Praetor adamavit.* Pro Ligar. cap. 12: *Noli, obsecro, dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere.* Typ.

Aut clariorem, aut gratiorem) Ita cod. Bavar. Celeri *aut gr. aut cl.* T.

Honores) Graevius addidit *in me* e cod. Erf. (et Bav.)

causa, decedens e provincia, Puteolos forte venissem, quum plurimi et lautissimi solent esse in iis locis: concidi paene, iudices, quum ex me quidam quaesisset, quo die Roma exissem, et num quidnam esset novi. Cui quum respondissem, me e provincia decedere: «Etiam mehercules, inquit, ut opinor, ex Africa.» Huic ego iam stomachans fastidiose, Immo ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: «Quid? tu nescis, inquit, hunc Syracusis quaestorem fuisse?» Quid multa? destiti stomachari, et me unum ex iis feci, qui ad aquas venissent.

XXVII. Sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit, quam si mihi tum essent omnes congratulati. Nam posteaquam sensi, populum romanum aures hebetiores, oculos autem acres atque acutos habere: destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare; feci, ut postea quotidie me praesentem viderent; habitavi in oculis; pressi forum; neminem a congressu meo, neque ianitor meus, neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem unquam otiosum? Nam, quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, quum

CAP. XXVII. *Sed ea res, iudices,* etc.) Hoc ait, magis laetatus sum ignorasse multos ex qua provincia venirem, *quam* si venienti mihi gratularentur. Perstringere enim voluit invidiam praesidum, qui spoliatis provinciis revertantur: ac propterea eos amici sui cum gratulatione suscipiant, quod divites

Et num quidnam esset novi) Ita edidi ex Erfurt. et Bavar. monente Garatono. Vulgo: *et numquid in ea esset novi.* TYP.

Quaestorem fuisse) Fuerat autem quaestor Lilybaetanus.

Essent omnes congratulati) Bavar. et Schol. Ambros. *gratulati.* Hic nempe subdit: *Hoc ait, magis laetatus sum ignorasse multos, ex qua provincia venirem, quam si venienti mihi gratularentur.* Laetandum ei profecto non fuerat. Melius omnino, *plus profuit.* GAR.

Nam, posteaquam sensi, populum rom. aures heb., oculos autem acres, atque ac. hab.) Graevius ex Erfurt. adiecit *autem*, quod deerat in aliis omnibus: testatus est simul, in eodem *autem esse* conscribi. Ego totam optimi libri lectionem facile intellexi: tamen, cur ille contempserit, ignorans, subdubitavi, admittendamque non censui. Confirmat nunc me Bavaricus,

otiosus sis: has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino unquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit Originum suarum, semper magnificum et praeclarum putavi, CLARORVM VIRORVM ATQVE MAGNORVM, NON MINVS OTII, QVAM NEGOTII, RATIONEM EXSTARE OPORTERE. Ita, si quam habeo laudem, quae, quanta sit, nescio, parta Romae est, quaesita in foro: meaque privata consilia publici quoque casus comprobaverunt, ut etiam summa respublica mihi domi fuerit gerenda, et urbs in urbe servanda. Eadem igitur, Cassi, via munita Laterensi est, idem virtutis cursus ad gloriam; hoc facilior fortasse, quod ego huc, a me ortus et per me nixus, adscendi: istius egregia virtus adiuvabitur commendatione maiorum. Sed, ut redeam ad Plancium, nunquam ex urbe is afuit, nisi sorte, lege, necessitate. Non valuit rebus iisdem, quibus fortasse nonnulli. At valuit assiduitate, valuit observandis amicis, valuit liberalitate; fuit in oculis;

evenerint. — *Eadem igitur, Cassi*, etc.) Nola gratificationem molestam et cum magnis amaritudinis aculeis interpositam. Dicens namque non aliter ad honores adipiscendos perventurum esse Laterensem, quam Tullius ipse . . . de . . . Subiunxit testificando, se non generis nobilitate, sed virtute ad omnes magistratus pervenisse. Laterensem hoc amplius adiumenti habiturum, quod nobili familia ortus in candidam veniat. Sibi ergo adiudicavit non lenocinia generis, sed praestantiam virtutis: illi vero spem de maioribus dedit, quod suffragium scimus esse fortunae.

in quo ita plane legitur, ut ego conieceram, atque ut tandem restituere tuto possumus: *Nam, posteaquam sensi, populo romano auris hebetiores, oculos autem esse acris, atque acutos, destiti* etc. Scriptio ipsa est accurata, *auris*, et *acris*, ex genitivis *aurium*, et *acrium*, sed *hebetiores* ex *hebetiorum*, ut Grammatici praecipiunt. Notarum P. R. explicatio varietatem hanc peperit. Aeque recta vulgata est: sed optimorum codicum apud me vincit auctoritas. GAR.

Ex urbe is afuit) Assumpsi *is* ex Bavarico, hortante Garatono. T.

Sorte, lege, necessitate) *Sorte* afuit, quum fuit quaestor in provincia; *lege*, quum miles fuit scriptus: *necessitate*, quum eius res familiaris, in vectigalibus quae pater conduxerat, in provinciis eum cogebat aliquando domo proficisci. GRAEV.

Observandis amicis) *Observandis* pro vulg. *servandis* recte restituit Ern. ex edit. Victorii. — Erfurt. et Bavar. *adservandis*.

petivit; ea est usus ratione vitae, qua, minima invidia, novi homines plurimi sunt eosdem honores consequnti.

XXVIII. Nam, quod ais, Cassi, non plus me Plancio debere, quam bonis omnibus, quod iis aeque mea salus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor. Sed etiam hi, quibus ego debeo, boni viri, et cives, aediliciis comitiis aliquid se meo nomine debere Plancio dicebant. Verum fac me multis debere, et in iis Plancio: utrum igitur me conturbare oportet, an ceteris, quum cuiusque dies venerit, hoc nomen, quod urget nunc, quum petitur, dissolvere? Quamquam dissimilis est pecuniae debitio, et gratiae. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod red-

Cap. XXVIII. *Quamquam dissimilis est* etc.) *Nunc* adgreditur quae proficient et ad coniecturae statum et ad illum compensativum. Nam . . . . valebit gratia Ciceronis ipsius et eorum, qui propter illum Plancio fuerint adiumento ad impetrandam aedilitatem. Nec non *etiam* per hoc . . . id est compensatio exhibebitur, ut iudices reo maxime prodesse patiatur ad impunitatem praesentis huiusce discriminis *ea* beneficia quae Ciceroni praebuerit exulanti, ut haberet in integro civem patria quem reposceret. Verbum hoc quoque non incuriose adnotemus, quod *debitionem pecuniae* dixit. —

Ea est usus ratione vitae, qua — sunt eosdem h. c.) Sic Bavar.; vulgo deest *vitae*. In eodem cod. repetitur *fuit*; sic: *fuit in oculis, fuit, petivit*. De hoc vero audiamus Garatonum: «Quod iteratur *fuit*, in eo non magna sane vis est: maior certe cap. 4, ubi solus habet optimus liber, *nostrum est autem, nostrum, qui in hac tempestate populi iactemur, ac fluctibus* etc. Haud itaque scio, utrum a varietate collocationis iteratio profluxerit, an vero syllaba perierit, et Cicero scripserit, *adfuit, in oculis fuit*, quod Tullianae ubertati magis arbitror convenire. Haec autem Plancii adsiduitas Laterensis reprehendit absentiam, de qua populum ita conquerentem inducit c. 5: *Desiderarunt te, inquit, oculi mei, quum tu esses Cyrenis* etc. Contra Plancius *fuit in oculis*, tribunatum *petivit*, quum petitionem, ut ibidem dicitur, Laterensis reliquit. Etiam de se ipso post quaesturam Cicero paulo ante, *feci, ut postea quotidie me praesentem viderent, habitavi in oculis*: quae verba coniecturae meae, ut opinor, favent.» Typ.

Me conturbare oportet) Conturbare, subaudi rationes, est decoquere, non posse solvere quod debes. *Anon.*

Nunc quum petitur) Suo cuique tempore aes alienum, quo premor, dissolvere. Ferr.

Pecuniae debitio) Vox *debitio*, qua

didit; qui autem debet, aes retinet alienum: gratiam autem, et qui refert, habet; et qui habet, in eo ipso, quod habet, refert. Neque ego nunc Plancio desinam debere, si hoc solvero; nec minus ei redderem voluntate ipsa, si hoc molestiae non accidisset. Quaeris a me, Cassi, quid pro fratre meo, qui mihi est carissimus, quid pro meis liberis, quibus nihil mihi potest esse iucundius, amplius, quam quod pro Plancio facio,

Gratiam autem et qui refert etc.) Locus etsi generalis de animi religione, qui debitam pro beneficio gratiam referat, tamen causae praesenti plurimum patrocinabatur ad favorem copiosius ratiocinanti M. Tullio. Nec non etiam iuxta praecepta sapientium, qui animos ingratorum non parum cnidum crimini obnoxios arbitrantur, quando et parentibus et amicis et protectoribus salutis nostrae hoc testimonium debeamus, ut nos in quantum fieri potest gratos adprobare velimus. De officiis idem lib. I. sic ait: *Quod si ea quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus?* Accedit hoc etiam, quod genus maximi criminis apud Persas fuisse traditur, si qui extitisset ingratus, meminitque rei Xenophon Κύρου παιδείας libro primo, secundum haec verba conscribens: *δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος, οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας· καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς· οἴονται γὰρ τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας καὶ πατρίδα καὶ φίλους.*
. . . . gatum velit emere beneficium, quod non acceperit confitendo.

Cicero hic utitur, singularis grammatico huic (Schol. Ambros.), ut Nonio, videtur, ac nova. Sed nihil admirationis habet apud Gellium I, 4, ubi sententia subtilius, quam oportet, excutitur. Totum autem de gratia referenda locum Scholiastes illustrat notissimis ipsius Tullii verbis I de offic. 15: *quod si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus?* Graecis quoque Xenophonteis ex Cyropaedia I, 2, 7, quae a librario propter imperitiam praetermissa, restituit editor diligentissimus. Gravis nempe in ingratos poena erat Persarum legibus constituta. Videndus ad eum locum Weiskius, et Hindenburgius ad Memorab. Socrat. II, 2, 13, p. 77; praecipue vero admirabili doctrinae praeditus copia Brissonius de regno Persarum II, 96. GAR.

Qui autem debet) Lamb. putabat legendum esse: *qui autem habet.* Sed Gellii locus Noct. Att. I, 4, et correctissima exemplaria huius orationis firmant lectionem *debet.*

Nihil mihi potest esse iucundius) Addidi *mihi* ex Bavarico, probante Garatono. T.

Quam quod pro Plancio facio) Ita iam Lambino legendum videbatur; idque inventum in cod. Erf. recepit Graevius. Vulgo *quam pro Plancio.*

facere possim: nec vides, istorum ipsorum caritate ad huius salutem defendendam maxime stimulari me atque excitari. Nam neque illis huius salute, a quo meam sciunt esse defensam, quidquam est optatius; et ego ipse nunquam illos adspicio, quin quum per hunc me iis conservatum esse meminerim, huius meritum in me recorder.

XXIX. Opimium damnatum esse commemoras, servatorem ipsum reipublicae; Calidium adiungis, cuius lege Q. Metellus in civitatem sit restitutus; reprehendis meas pro Plancio preces, quod neque Opimius suo nomine liberatus sit, neque Metelli Calidius. De Calidio tibi tantum respondeo, quod ipse vidi: Q. Metellum Pium, consulem, praetoriis comitiis, petente Q. Calidio, populo romano supplicasse, quum quidem non dubitaret et consul, et homo nobilissimus, patronum illum et suum, et familiae suae dicere. Quo loco quaero ex te, num id in iudicio Calidii putes, quod ego in Plancii facio, aut Metellum Pium, si Romae esse potuisset, aut patrem eius, si vixisset, non fuisse facturum. Nam Opimii quidem calamitas utinam ex hominum memoria posset evelli! Vulnus illud reipublicae, dedecus huius imperii, turpitudo populi romani, non iudicium putandum est. Quam enim illi iudices, si iudices, et non parricidae patriae nominandi sunt, graviorem potuerunt reipublicae infligere

Me iis conservatum esse meminerim, huius meritum in me recorder) Ita edidi ex scriptura Bavarici, quod iam restituebat Garatonus. Vulgo: *Me his c. e. m., huiusce meriti in me recorder.* Typ.

Servatorem ipsum) Codd. tres ap. Garat. *servatorem ipsius.* T.

Neque Opimius — neque Metelli) Sic Bavaricus, probante Garat. Vulgo utrobique *nec;* additur praeterea praenomen *Q. Met.* T.

Patronum illum et suum) Ita Ernestium sequutus edidi, probante Garat. Vulgo *patr. illum esse suum.* T.

Aut Metellum Pium) Ern. verba sic invertenda putabat: *num quod ego in Plancii facio, id in iudicio Calidii putes aut Metellum* etc.

securim, quam, quum illum e civitate eiecerunt, qui praetor finitimo, consul domestico bello, rempublicam liberarat? At enim nimis ego magnum beneficium Plancii facio, et, ut ais, id verbis exaggero. Quasi vero me tuo arbitratu, et non meo, gratum esse oporteat. Quod istius tantum meritum, inquit? an quia te non iugulavit? immo vero, quia iugulari passus non est. Quo quidem tu loco, Cassi, etiam purgasti inimicos meos, meaeque vitae nullas ab illis insidias fuisse dixisti. Posuit hoc idem Laterensis. Quamobrem de isto paulo post plura dicam: de te tantum requiro, utrum putes odium in me mediocre inimicorum fuisse? quod fuit ullorum unquam barbarorum tam immane ac tam crudele in hostem? an fuisse in iis aliquem aut famae metum, aut poenae, quorum vidisti toto illo anno ferrum in foro, flammam in delubris, vim in tota urbe versari? Nisi forte existimas, eos idcirco vitae meae pepercisse, quod de reditu meo non timerent, et quemquam putas fuisse tam excordem, qui, vivis his, stante urbe et curia, rediturum me, si viverem, non putaret? Quamobrem non debes is homo, et is civis, praedicare, vitam meam, quae fidelitate amicorum conservata sit, inimicorum modestia non esse appetitam.

XXX. Respondebo tibi nunc, Laterensis, minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus: sed profecto nec considerate minus, nec minus amicc.

Praetor finitimo) Fregellano, Fregellis urbe capta. *Domestico*, caesis domesticis reipublicae hostibus, Flacco et Graccho. Man.

Non timerent) Codd. duo apud Grat. *nihil timerent*. T.

Et quemquam) Lambin. et Grut. ediderunt *Ecquem*. Recte vero Graev. defendit antiquiorem lectionem, quae est in MSS. omnibus.

Quamobrem non debes) Ita Bavar. et quatuor Britann. cum plerisque. Vulgo *debet*. At, animadvertente Garatono, quum Cassium Cicero hic adloquatur, non debes, inquis, quum talis homo sis, talisque civis, id praedicare. Typ.

Nam primum illud fuit asperius, me, quae de Plancio dicerem, mentiri, et temporis causa fingere. Scilicet homo sapiens excogitavi, quamobrem viderer maximis beneficii vinculis obstrictus, quum liber essem et solutus. Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multae, parum iustae necessitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiae? quae si non essent, vererer, credo, ne turpiter facerem, si hoc splendore et hac dignitate hominem defenderem. Fingenda fuit mihi videlicet causa peracuta, ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, ut coronam

Cap. XXX. *At id etiam gregarii milites* etc.) Inductionem solertissime facit ex iis militibus, qui protecti a commilitonibus suis veluti testimonium gratiae referant, iisdem coronam civicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam. Et mire extenuavit, gregarium militem dicendo invitum hoc facere, ut offerens coronam civicam debitorem beneficii se constituat. Quod igitur anxie et moleste gregarius miles patitur, id, nullis acceptis beneficiis, onus verecundiae suae non imponeret vir consularis.

Causa peracuta) Vulgatam retineo, quum nihil videam notatum a Garatono ex Bavarico, qui cum Erfurtense censendus est vulgatae adstipulari. Schütz. edidit *perastute*. Ernestius vero *peracute*. Typ.

Vt coronam dent civicam) Gellius V, 6: *Civica corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in proelio, testem vitae, salutisque perceptae dat.* Conditiones ex Masurio Sabino duas adfert: si is, qui civem servaverit, eodem tempore etiam hostem occiderit, neque locum in ea pugna reliquerit. Plinius aliter XVI, Hist. Nat. 4: *utque eum locum, in quo sit actum, obtineret hostis eo die.* Atqui, sive hostium locus fuerit, sive non, pugnando tenendus erat. Pergit vero: *ut servatus fateatur, alias testes nil valent*: quod huc maxime pertinet. Superior itaque Africanus coronam civicam, quam, patre, eodemque imperatore servato, meruerat, non petivit, sive, ut Plinius loquitur, *recusavit*, ne pietatem patri ab se debitam ab eo videretur exposcere. Gar.

Vt coronam dent civicam) Bavar. et Ambros. nihil addunt, quum, nescio unde, sed optime Lamb. ediderit, *dent cuiquam civicam*. Schol. *quam traditur de gramine fieri solitam.* Hominem, qui civicam imperite cum obsidionali confundit, satis egregius editor confutavit. An igitur ipse quoque M. Tullius erravit, quum IV in Verrem 56, *gramineas hastas* Syracusis ex aede Minervae a C. Verre sublatas est criminatus, *in quibus neque manu factum quidquam, neque pulchritudo erat ulla, sed tantum*

dent civicam, et se ab aliquo servatos esse fateantur:

magnitudo incredibilis? De tanto viro quis credat? neque tamen quas hastas intelligat, compertum est. Lectionem illam communit Servius ad V Aeneid. 287, qui bene ait a Tullio dici *graminea*, h. e. *ex gramine:* communit etiam L. Ampelius, cap. VIII de Atheniensi Minervae signo scribens, *ipsa autem dea habet hastam de gramine.* Veteres igitur, quod nobis ignotum est, noverant. Burmannus ad eum Servii locum, nosque in vetere commentario, commentis aliorum perlectis, explorati nihil habuimus. Deinde, quum Verrinas iterum, intermissa editione, reviserem, Plinius me hoc de ligno quaerentem ad Indicos calamos, sive arundines revocavit, qui XVII H. N. 35 eos calamos *hastarum vicem praebere* ait, *additis cuspidibus:* haec autem, quibus summopere movebar, adiungit: *Arundini quidem Indicae arborea amplitudo, ut vulgo in templis videmus.* Alii quoque a Theophrasto IV Hist. Plant. 12 calami commemorantur *magnitudine ita praestantes, ac robore, ut pro iaculis usui sint.* Locum perperam emendabat Bodaeus, quamvis ex India illi non sint: differunt enim ἀκόντιον, et δόρυ. Gratius Faliscus denique accessit, cuius hi sunt versus in Cynegetico ab 127 ad 133: *Disce agedum et validis delectum hastilibus omnem. Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri Cornus, et umbrosae Veneris per litora myrtus, Taxique, pinusque, Altinatesque genistae, Et mugis incomptus operae Lutoser agrestis Termes, ab Eois descendet virga Sabaeis, Mater odorati multo pulcherrima thuris.* Haec arundo Indica omnino est, admixta de thure fabula, quae tum ferebatur. Quum itaque de hastarum genere cogitarem, quod magnitudinem haberet cum admiratione coniunctam, animo statim arundineae obversabantur, et penitus insidebant. Sed cur *arundineas*, quum certe possent, eas Cicero, et Ampelius non adpellarunt? cur Servius *hastas ex gramine*, tanquam rem vulgo perspectam, non explicavit? Quum id non expedirem, Iosephum Corream, qui mihi repente adstitit e Lusitania, rerum naturalium peritissimum virum ita consului, ut celaverim, quid meditarer. Is confestim, arundines, inquit, Indicae sunt. Ego vero: itane? usurpatum pro arundine gramen putas? Tum ille: quid ni? uno eadem in familia antiquitus ponebantur. Veteres enim, quum genera plantarum non articulatim dissecta cognoscerent, sed ex cognatione quadam ad unum quasi caput multa referrent, gramineo genere frumentacea (de quibus Virgil. VII Aeneid. 808: *Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina*), miliacea, arundinacea contineri facile intellexeront, quod voce, ut ita dicam, sua natura ipsa significat. Quid enim aliud radicum, nodorum, foliorum, iubarumque similitudines clamant, praecipue vero glumarum, quas ὑμένας adpellantur a Graecis, florumque inde in oculos incurrentium? hac potissimum nota hisce omnibus impressa stirpibus earum cognatio, caputque pernoscitur. Atque illud in gramine positum nemo mirabitur, qui ab elementis initium sumere, a parvis ad maiora gradatim progredi oportere didicerit. Quapropter genus illis temporibus rarissimum arundinum Indicarum, neque vulgo ad miran-

non quo turpe sit, protectum in acie, hostium manibus eripi (nam id accidere, nisi forti viro, et pugnanti cominus, non potest); sed onus beneficii reformidant, quod permagnum est, alieno debere idem quod parenti. Ego, quum ceteri vera beneficia, etiam minora, dissimulent, ne obligati esse videantur: eo me beneficio obstrictum esse ementiar, cui ne referri quidem gratia posse videatur? An hoc tu, Laterensis, ignoras? qui, quum mihi esses amicissimus, quum vel periculum vitae tuae mecum sociare voluisses, quum me in illo tristi et acerbo luctu, atque discessu, non lacrymis solum tuis, sed animo, corpore, copiis prosequutus esses, quum meos liberos, et uxorem, me absente, tuis opibus, auxilioque defendisses, sic mecum semper egisti, te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem, quod eius in me meritum tibi etiam gratum esse dicebas. Nihil autem me novi, nihil temporis causa dicere, nonne etiam illa testis est oratio, quae est a me prima habita in senatu? in qua quum perpaucis nominatim egissem gratias, quod omnes enumerari nullo modo possent, scelus autem esset quemquam praeteriri, statuissemque eos solum nominare, qui causae nostrae duces et quasi signiferi fuissent:

dum proclivi satis cognitum, communi nomine a capite, quasi ab origine, per cognationem repetito, *gramen*, et *gramineum* adpellari potuisse, non est dubitandum. Multa vir doctissimus ex Theophrasto, qua praestabat memoria, recitavit, quibus cognationem illam probaret Graecos habuisse perspectam, veluti I Hist. Plant. 10 et 18; IV, 12; VIII, 3 etc. Alia ex Dioscoride protulit IV, 30 et 31 etc. Plinius itidem occurrebat, quem perdidicerat. Gar.

In acie hostium manibus eripi) Praepositionem addit Bavaricus, *ex hostium manibus*, ut supra cap. 10: *ex impiis manibus eripuerunt*, et addit plerumque Cicero. Id.

In Cn. Plancii honorem—tibi etiam gratum esse dicebas) Lambin. dedit *honore*, quod confirmat Bavaricus. Iste vero paulo post cum Erfurt. *tibi etiam ipsi*. Typ.

in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est: in

Recitetur oratio) Immo vero particula illius exigua c. 14, quae tamen ipsa pessimis additamentis facta est longior. Sic eteuim habet in extremo: *Qui, si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset, nunc certe erit in parentis, quum fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei.* Haec ita sunt absurde, stulteque dicta, ut ne homine quidem illo digna sint, quem illius orationis auctorem duo viri doctissimi volunt. Ego imprimdem, quum volumen illud attentius recognoscerem, multaque margini adlinerem, neque pauca iam intelligerem adiecta esse, interpolata, perversa, ferrum adhibui, quod magnus ille amputator Heumannus abiecerat. Certe is purgatus erit, neque aliud quidquam requiret locus, si haec tantummodo posita fuerint. *Qui, si mihi quaestor fuisset, in filii loco fuisset, nunc certe erit in parentis.* Clausula est similis III in Verr. 38: *ut aratores in servorum numero essent, servi in publicanorum.* Ferri nequit, *imperatori:* non quia nondum Cicero exercitum duxerat; non est enim in his, quae finguntur, veritas postulanda: sed quia, etiamsi imperator fuisset, nihil id ad quaestorem, quem Cicero iure consulatus habuerat, et in provinciis omnes habebant, qui essent pro praetore, aut pro consule. Sed hoc Marklandus illustravit egregie. Quid est porro, *quaestor imperii mei?* haud certe nominis imperatorii, sed magistratus, ut hic supra cap. 26: *in maximis imperiis*, et pro Milone cap. 28: *imperium si ille nactus esset.* At deinde quam intempestive, quam frigide a ludibundo Plancius dicitur, non iam *quaestor*, sed *quaestor doloris mei?* aliter enim nugae ipsae non constant. Neque tamen hac una re adiectio tota convellitur. Illud enim animadvertendum inprimis est, causam, cur Plancium Cicero in parentis loco sibi esse dicat, ineptam plane adferri, et ridiculam. Quae vera sit, ad c. 10 luculenter ostendimus: quia scilicet ei vitam Plancius sua custodia servaverat. Quapropter, si adiicere aliquid placuisset, hoc adiici facile potuit: *quum fuerit custos non imperii, sed salutis meae.* Nam I in Verr. 15, quaestor esse dicitur *custos non solum pecuniae, sed etiam consulis.* Haec autem Plancii defensio beneficium illud impense praedicat, tum c. 10 iisdem verbis: *quasi parenti, et custodi salutis meae*, tum alibi, et initio ipso potissimum. *Quum propter egregiam*, inquit, *et singularem Cn. Plancii, iudices, in mea salute custodienda fidem* etc. Iis autem, quae ibi sequuntur, verbis, *cuius officium mihi saluti fuisset*, servatorem, ac proinde parentem alterum indicat. Respondent huius loci haec: *et huius tanti officii servitutem* (quasi patrium sibi potestatem imponeret tanti beneficii accepti confessio) *adstringebam testimonio sempiterno.* Verumtamen causam illam explicare necesse non erat, quum *custos capitis* antecesserit: et verborum permutationes, ac literae nihil adiuvant emendationem. Neque vero eiiicienda esse illa vir acutissimus non vidit Wolfius. Hic porro in libris paene omnibus, *reciteturque.* Eo mendo carent Erfurt. Bavar. et unus Britann. GAR.

Dicta de scripto est) An vero qui saepe apud iudices per tres aut quatuor horas dicere solebat memoriter

qua ego homo astutus ei me dedebam, cui nihil magnopere deberem, et huius tanti officii servitutem adstringebam testimonio sempiterno. Nolo cetera, quae a me mandata sunt literis, recitare: praetermitto, ne aut proferre videar ad tempus, aut eo genere uti literarum, quod meis studiis aptius, quam consuetudini iudiciorum, esse videatur.

XXXI. Atque etiam clamitas, Laterensis: *Quousque ista dicis? nihil in Cispio profecisti, obsoletae iam sunt preces tuae.* De Cispio mihine tu obiicies, quem ego, de me bene meritum, quia, te teste, cognoveram, te eodem auctore defendi? et ei dices, *Quousque*, quem negas, quod pro Cispio contenderit, impetrare potuisse? Nam istius verbi *Quousque* haec poterat esse invidia: datus

Nolo cetera quae a me mandata etc.) Sufficerat enim de ea oratione dixisse, qua vel senatui vel populo gratias egit. Nunc autem et de versibus suis facere mentionem videtur, quos intempestivum sit in iudiciali dissertatione recitare. Non potuit tamen in totum de iis tacere. Nam de consulatu suo scripsit poëtico metro, quae mihi videntur opera minus digna talis viri nomine.

Cap. XXXI. *Nam istius verbi* etc.) . . . Vnde quo minus impudens videretur haec compensativa defensio, dicente Laterense, quousque vis servatos esse quos diligis? Et pro Cispio causam dicente sic rogasti, et precibus tuis non potuit Cicero senatui gratias agere, nisi de scripto? Senatores rogati sententias dicebant interdum de scripto, ne verbi inopia aliquid efferrent aliter ac sentirent. Sic Philip. X, cap. 2 de Caleno: *Ita enim dixisti, et quidem de scripto.* Quum igitur multi sibi, iique summi viri nominandi essent, verebatur Cicero, ne quem praeteriret invitus, aut appellaret minus grata commemoratione, quam volebat: itaque ipsius rei magnitudine suadente, memoriae diffisus, de scripto dixit. Ferr.

Testimonio sempiterno) Hic videtur Cicero ei, qui erat a manu, recitandum dedisse locum ex oratione post reditum in senatu habita, in quo Plancio gratias egerat. Nam integram orationem recitatam esse quis credat?

Nolo cetera — recitare) Recte intelligit Ernestius librum de consulatu nondum editum.

Ad tempus) Legendum videtur *ante tempus.*

Et ei dices) Graevius, quia in cod. Erf. utroque Francii et ed. Mediolan. est *contenderim*, putabat sic legendum esse: *et mihi dices — quod pro Cispio contenderim.* Sed vulgatae haud praeferendum.

Haec poterat esse invidia) Schol. Ambros. *poterat haec esse invidia.*

est ille tibi; condonatus ille; non facis finem; ferre non possumus. Ei quidem, qui pro uno laborarit, et id ipsum non obtinuerit, dici *Quousque*, irridentis magis est, quam reprehendentis. Nisi forte ego unus ita me gessi in iudiciis, ita et cum his et inter hos vixi, is in causis patronus, is in republica civis et sum et semper fui, solus ut a te constituar, qui nihil a iudicibus debeam unquam impetrare. Et mihi lacrymulam Cispiani iudicii obiectas. Sic enim dixisti: *Vidi ego tuam lacrymulam*. Vide, quam me verbi tui poeniteat. Non modo lacrymulam, sed multas lacrymas, et fletum cum singultu videre potuisti. An ego qui meorum lacrymis, me absente, commotus, simultates, quas mecum habebat, deposuisset, meaeque salutis non modo non oppugnator (ut inimici mei putarant), sed etiam defensor fuisset, huius in periculo non dolorem meum significarem? Tu autem, Laterensis, qui tum lacrymas meas gratas esse dicebas, nunc easdem vis invidiosas videri.

XXXII. Negas, tribunatum Plancii quidquam attulisse adiumenti dignitati meae. Atque hoc loco (quod

ambitum paene movisti; opposuit acutissimam responsionem, merito haec ab eo dici potuisse *quem urbs* Romulo comparasset. Porro autem quum pro Cispio non obtinuerit, vel pro hoc obtinere debere, qui et innocens sit, et de salutis suae conservatione bene meritus. Animadverte quo modestiae temperamento haec exsequatur, ut nihil impudentiae, multum religionis habeat oratio. — *Sic enim dixisti: etc.*) Laterensis in Tullium dixerat epilogos eius irridens, quos eum constat nimium flebiles et miserationis plenos in iudiciis semper habuisse. Et in Oratore suo eandem offectuum movendorum sibi praestantiam vindicavit. Ac ne haec lenocinia potius adhibere fallendis iudicibus, quam vere secundum animi sui motum facere existimetur, adseverat Cispium hoc suae orationis adfectu non indignum fuisse, cum quo post amicitiae reconciliationem ita participatum fortunae suae dolorem senserit, ut impense diligi mereretur.

Datus est ille tibi) Sic meliori ordine Bavaricus.

Id ipsum) Sic recte Lamb. Vulg. *ipsum id.*

Non dolorem meum significarem) Bavar. *non signif. dolorem meum?* Suspicor fuisse, *non dolorem signif. meum?* GAR.

verissime facere potes) L. Racilii, fortissimi et constantissimi viri, divina in me merita commemoras. Cui quidem ego, sicuti Plancio, nunquam dissimulavi me plurimum debere, semperque prae me feram. Nullas enim sibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitae dimicationes, nec pro republica, nec pro me defugiendas putavit. Atque utinam, quam ego sum in illum gratus, tam licuisset, per hominum vim et iniuriam, ei gratiam referri! Sed, si non eadem contendit in tribunatu Plancius, existimare debes, non huic voluntatem defuisse, sed me, quum tantum iam Plancio deberem, Racilii beneficiis fuisse conten-

Cap. XXXII. *Sed me quum tantum iam Plancio* etc.) Extenuaturus merita Cn. Plancii quae intulisse in M. Tullium videretur, de L. etiam Racilio quaedam Laterensis commemoraverat, qui magis adiumento Ciceroni fuisse videatur, quum Plancius in tribunatu suo non tantopere sit pro eiusdem restitutione connisus. Ne hoc igitur ei deesset ad gratiam, confitetur, animo promptissimo etiam hunc Plancium erga restitutionem suam fuisse. Sed quoniam omnia per Racilium videbantur impleta, non expetisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quaestura Macedonica praestitisset. Exstat autem Libellus eiusdem Ciceronis, qui ita inscribitur: EDICTVM LVCII RACILII TRIBVNI PLEBIS, quod sub nomine ipsius Cicero scripsit in inve-

Sicuti Plancio) Hoc cum Lambin. verius putat Garatonus. Vulgo *sicut in Plancio*. Typ.

Tam licuisset) Significat Racilium populi iudicio iniuste damnatum. Oliv.

Tam licuisset, per hominum vim et iniuriam, ei gratiam referri) Ita Schutzius. Vulgo *tam lic. per hom. vim et iniuriam populi romani ei gratiam referri*. Quod coniecerat Garaton. *populo romano ei gratiam referre*, id comprobat Bavaricus, qui habet *popular et gratiam ref.* scil. aedilitate mandanda, aut fortasse praetura. Typ.

Et iniuriam) Qua scilicet damnatum Racilium significat.

Racilii beneficiis fuisse contentum)

Plancii collega Racilius in tribunatu fuit: non autem quo anno Cicero in patriam rediit, ut Maius adfirmat, eo fortasse deceptus, quod tribuni plebis annum suum non a Kalendis Ianuariis, ut ceteri magistratus, verum ab A. D. IV Idus Decembres incipiebant: nos etenim ex Tullii testimonio annum DCXCVII in editione nostra posuimus, Philippo, et Marcellino coss. neque aliter in Ciceronis historia Fabricius: quo quidem anno, ut modo diximus, P. Clodium constat aedilitatem gessisse. Hic itaque turbulentus aedilis, sive in concione, sive per edictum Racilium Ciceronis propugnatorem, et Ciceronem ipsum insectatus esse videtur: cui quum Ci-

tum. An vero putas, iudices idcirco minus mea causa facturos, quod me esse gratum crimineris? An, quum Patres conscripti illo senatusconsulto, quod in monumento Marii factum est, quo mea salus omnibus est gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerint (unus enim fuit de magistratibus defensor salutis meae, cui senatus pro me gratias agendas putavit), ei ego a me referendam gratiam non putem? Atqui, haec quum vides, quo me tandem in te animo putas esse, Laterensis? ullum esse tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modo pro salute tua, sed etiam pro dignitate defuge-

ctionem P. Clodii. — *Illo S. C. quod in monumento* etc.) In templo scilicet Honoris et Virtutis, in quo actum primum videtur de restitutione

cero per edictum suo nomine privatus respondere non posset, L. Racilio tribuno, quicum ipse compellatus fuerat, edictum composuit acerbum, ac vehemens, ut solebat, in Clodium, cuius Cicero scripti auctor ab omnibus agnosceretur. Erant enim edicta propria magistratuum, quibus in dissensione ad convicia facile abutebantur. Ex multis exemplo sint *Archilochia* illa Bibuli consulis in Cn. Pompeium, eiusque socios edicta II ad Attic. 19, 20, 21, et apud Plutar. in Pomp. cap. 48. Quinctius vero Atticus consul, *quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat*, poenas Vitellianis dedit, ut ex Tacito III Histor. 73, morem illum cum republica exstinctum non fuisse sciamus. Quod ait: *in invectionem P. Clodii*, explicantis est, siquidem Cicero de more scripserit, *in P. Clodium aedilem curulem*. Ita Scholiast. anonymus, sive hic ipse sit, sive alius, ad I act. in Verr. c. 10: *invectio ad Metellum consulem designatum*, quem ibi orator adloquitur. GAR.

Quum Patres conscripti — egerint) Ita e vestigiis codicis Bavarici edidi, monente Garatono, qui animadvertit, ex P. C. factum esse P. R. ab hominibus imperitis, et hanc notam explicatam fuisse per *populus romanus*, quod necessario requirebat *egerit*; et hoc esse propagatum. TYP.

Quod in monumento Marii etc.) Garatonus aedem Honoris atque Virtutis. Marianam, scripta peculiari Diatriba, distinxit denique a Marcelliana eiusdem appellationis. Ea res Maio V. Cl., et aliis etiam veteribus tenebras offuderat. Usus est autem vir doctissimus ad eam distinctionem firmandam duplici Vitruvii loco lib. III, 1, et lib. VII prooem. TYP.

De magistratibus) Erfurt. et Bavar. addunt *aut pro magistratibus*, quod, reiectum ab Aldo, restituit Gruterus; denuo repudiaverunt Oliv. et Ernest. nunc demum Garatonus censet retinendum, mutato *aut pro* in *prove*. T.

In te animo) Ita Bavaricus, et paulo post *defugerim*.

rem? Quo quidem etiam magis sum, non dicam miser (nam hoc quidem abhorret a virtute verbum,) sed certe exercitus: non quia multis debeo (leve enim est onus, beneficii gratia), sed quia saepe concurrunt aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones, ut eodem tempore in omnes verear ne vix possim gratus videri.

Ciceronis. — Quo *quidem etiam magis sum* etc.) Hanc sententiam secundum illos philosophos intulit, qui existimaverunt semper beatos esse sapientes, numquam miseros existimandos. Ac siquid adversi prudentibus eveniret, non poenam magis et calamitatem, quam exercitationem esse fortunae.

Non dicam miser) Huc maxime faciunt verba illa ex Paradoxo II: *ut improbo, et stulto, et inerti nemini bene esse potest; sic bonus vir, et fortis, et sapiens miser esse non potest.* Gar.

Nam hoc quidem) Garaton. censet eiiciendum esse *quidem*, sine causa repetitum. Typ.

Leve enim est onus) Addidi *est* ex Bavarico, probante Garatono; etiam in suo codice repertum. T.

Sed quia saepe concurrunt etc.) Vulgo *sed quia saepe concurrit, propter aliquorum de me meritorum* etc. Admisi emendationem, quam ex Bavarico confinxit Garatonus. En ipsius verba: « Bavaricus addit *bene*, quod etiam sine librorum auctoritate, si attentiores fuissemus, erat faciendum. Sic autem ille: *propter aliquorum bene de me meritorum*. Sed quod habet *concurrunt*, id me vulgatae indormientem pupugit acrius, et excitavit. Meuckenio in Observ. L. L. p. 154 satis fuit eam vim huic verbo tribuere, quam habent *contingit*, et *evenit*. At ea potius esse debuit, quam habet *congruit* apud Tacit. I Histor. 7: *Forte congruerat, ut Clodii Macri, et Fonteii Capitonis caedes nuntiarentur.* Neque enim res una, quae accidit, *concurrere* dicitur, nisi quum alia in idem tempus incidat, aut alia ratione conveniat. Quid est igitur, *concurrit, ut verear?* Quid *verear* additur, quum satis fuerit, *concurrit, ut vix possim?* Locum ille coniungit alterum ex II de Divin. 68: *An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent?* Illuc vero quadrat, *evenirent*, quum significetur eventus, qui si cum somnio conveniat, res plane concurrunt duae. Locutio est exquisitior, ut in Homerico versu, XX Odyss. 245: οὐχ ἡμῖν συνθεύσεται ἥδε γε βουλή, quo exitum consilio non responsurum dicit Amphinomus. Hanc ita imitatur Propertius III, 7, (al. 9) 17, ut palmae, qui cursus felix est exitus, quum quadriga currentis imaginem acuta proponat: *Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae.* Estne hic igitur poëticum aliquid, aut ullus ad eventum respectus, aut ulla rerum denique conspiratio? Immo vero concursus est contentionum inter homines bene de M. Tullio meritos, quo fit, ut duobus inter se contendentibus,

XXXIII. Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non solum quid cuique debeam, sed etiam quid cuiusque intersit, et quid a me cuiusque tempus poscat. Agitur studium tuum, vel etiam, si vis, existimatio, laus, aedilitas: at Cn. Plancii salus, patria, fortunae. Salvum te me esse cupisti: hic fecit etiam, ut esse possem. Distineor tamen et divellor dolore, et in causa dispari offendi te a me, doleo: sed, medius fidius, multo citius meam salutem pro te abiecero, quam Cn. Plancii salutem tradidero contentioni tuae. Etenim, iudices, quum omnibus virtutibus me affectum esse cupio, tum nihil est, quod malim, quam me et gratum esse, et videri. Haec est enim una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis honoribus, et memori mente persolvunt? Quae potest esse iucunditas vitae, sublatis amicitiis? quae porro amicitia potest esse inter ingratos? Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magistri sui, atque doctores, cui non locus ille mutus ipse, ubi altus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Cuius opes tantae esse possunt,

atque adversariis eodem tempore gratificari non possit. Deleto itaque *propter*, quod veriori lectioni concedat oportet, quacum ei convenire non licet, ita, suadente optimo codice, locum constituamus: *sed quia* etc. VII ad diversos 33: *quamquam venis, ut ipse intelligis, in maximarum quasi concursum occupationum.* » T.

Sed ego hoc meis ponderibus) Bav. *sed ego haec m. p.* Vnus Britann. *sed ego meis*, quod optimum putat Garatonus. T.

Laus, aedilitas) Erfurt. et Bavar. *laus aedilitatis.*

Quum — cupio, tum) Ita Bavaricus. Vulgo *quum — cupiam, tamen.*

Locus ille mutus ipse) Bavar. *locus ipse mutus ille.*

Cuius opes tantae esse possunt)

aut unquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint? quae certe, sublata memoria et gratia, nulla exstare possunt. Equidem nihil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam benivolentiae significatione alligari: nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Quae quum ita sint, iam succumbam, Laterensis, isti tuae orationi; in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum esse concedam: petamque a vobis, iudices, ut eum beneficio complectamini, quem qui reprehendit, in eo reprehendit, quod gratum praeter modum dicat esse. Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quod dixit idem, vos nec no-

Fortasse legendum: *cuius opes tantae sunt.*

Nullae exstare possunt) Ita Erfurt. et Bavaric. mendose ambo, ut olim ostendimus. Sed recte statim iidem, *nihil*. GAR.

Tam inhum., tam imm., tam ferum) Est apud Eybium, *nihil porro tam inane, tam ferum:* duo nempe vocabula coaluerunt. Sed quid, si ex superscriptione aliqua, vel adscriptione profectum istud *immane* sit? est enim verbum pro re nimis profecto grave. Dixerat, *nihil tam proprium hominis existimo:* in oppositione satis erat dicere: *nihil porro tam inhumanum.* Addere placuit *ferum*, quod, ut ἄγριον, mollius interpretari licet. Quanquam in uno Britann. aptius est *ferreum*, quod facillime in *ferum* commutari potuit. Coniunguntur *ferus*, et *ferreus*, I Epist. ad Q. fratrem 3, suntque versus Tibulliani notissimi, I, 10, 1:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit?

Sed, quum abesse debeat ab hac sententia crudelitas, propius accedit locus V in Verr. 46: *Quis tam fuit illo tempore durus et ferreus, quis tam inhumanus, praeter unum te* (cui nempe χάλκεον ἦτορ) *quin illorum aetate, nobilitate, miseria commoveretur?* Cur ibi non est *immanis?* Libenter itaque hic legerim: *nihil porro tam inhumanum, tam ferreum.* Non ita mihi tamen indulgeo, ut hoc ipsum *immane* interpretando mitigari posse dissimulem. Est enim Partitionum capite 23 *immanitas* pro duritie quadam, et asperitate naturae, quae *temperantiam in aspernandis voluptatibus imitetur.* Hoc autem si retinemus, ut omnes libri iubent, eo magis *ferreum* mihi adprobatur, quod mitiorem adiuvat interpretationem verbi tam saepe gravissimi. GAR.

Isti tuae orationi) Erf. et Bavar. *isti tuo crimini, meque in eo ipso.*

Vos nec nocentes, nec litigiosos esse) Qui nocens non est, hominum

centes, nec litigiosos esse, quo minus me apud vos valere oporteret. Quasi vero in amicitia mea non haec praesidia (si qua forte sunt in me) parata semper amicis esse maluerim, quam necessaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quam praesidio fuisse: meque vehementer vitae meae poeniteret, si in mea familiaritate locus esset nemini, nisi litigioso, aut nocenti.

XXXIV. Sed hoc nescio quomodo frequenter in me congessisti, saneque in eo creber fuisti, te idcirco in ludos causam coniicere noluisse, ne ego, mea consuetudine, aliquid de thensis misericordiae causa dicerem; quod in aliis aedilibus ante fecissem. Nonnihil egisti hoc loco. Nam mihi eripuisti ornamentum orationis meae. Deridebor, si mentionem thensarum fecero, quum tu id praedixeris. Sine thensis autem quid potero dicere? Hic etiam addidisti, me idcirco

Cap. XXXIV. *Hic etiam addidisti* etc.) Varia cavillatione Laterensis exercuerat asperitatem stomachi sui in M. Tullium, ut etiam ea, quibus illius oratio maxime floruit, elevare . . . perseveravit. Nec ignoramus auctore ipso Cicerone et C. Antonio cons. legem severiorem de puniendo ambitu scriptam, cuius meminit pro Murena. Nam clementior aliquatenus videbatur lex fuisse Calpurnia. Hic ergo mutuatus est occasiunculam quandam amarius lacessendi, ut videretur atrociorem poenam ea propter adversus ambitum decrevisse, ut pro reis multo lacrymosius peroraret. Non minus tamen urbane et ipse respondet, denotans nimiam Laterensis et immoderatam contumeliosae audaciae insulsitatem dicendo: *Sed haec nescio* etc. Vt haec immodica creber fuisti, et ab impudentiae temeritate venientia . . . .

eloquentium defensione parum indiget: qui libenter non litigat, ei de oratorum gratia laborandum non est. Man.

In ludos) Recte recepit Graevius e MSS. *ludos*, pro vulg. *locos*. Nimirum Laterensis epilogos Ciceronis cavillaturus, negabat se causam hanc voluisse coniicere in tempus ludorum, ne si forte thensarum pompa duceretur, Cicero inde occasionem arripere posset misericordiae concitandae.

Me idcirco mea lege exsilio ambitum sanxisse) Ita Scholiast. Ambros. Similis locutio occurrit supra cap. 19: *noli observantiam sancire poena*. Schützius, quum sensisset, vulgatum *ex isto ambitu traxisse* corruptum esse, ita ex coniectura emendaverat: *me idcirco meam legem de ambitu*

mea lege exsilio ambitum sanxisse, ut miserabiliores

tulisse. At postea, visa lectione Scholiast. Ambrosiani, in ea plane acquiescit. Typ. — Emendationem meam veterem, cui Arusianus, etsi corruptus, satis omnino subfragabatur, tandem plane confirmat codex optimus Ambrosianus, qui sine ullo mendo Ciceronis verba ipsa perscripsit: *me idcirco mea lege exsilio ambitum sanxisse, ut miserabiliores epilogos possem dicere.* Scholiastes admonet, *auctore ipso Cicerone*, et *C. Antonio coss.* (nihil videtur ad hanc legem contulisse collega Ciceronis Antonius) *legem severiorem de puniendo ambitu scriptam, cuius meminit pro Murena.* Laterensia *ergo hinc mutuatus est*, inquit, *occasiunculam quamdam amarius lacessendi, ut videretur atrociorem poenam ea propter adversus ambitum decrevisse, ut pro reis multa lacrymosius peroraret.* Profecto, recenti adhuc sua lege, quum pro Murena diceret, hac eius legis poena c. 41 usus est ornatissime ad misericordiam iudicum excitandam. Clarissimus editor conferendam esse adnotationem eiusdem hominis intellexit ad orationem pro P. Sulla cap. 5, pag. 70, ubi haec leguntur: *Damnati lege Carnelia hoc genus poenae ferebant, ut magistratuum petitione per decem annos obstinerent. Aliquanto postea severior lex Calpurnia et pecunia multavit* (est in codice *multa fuit*), *et in perpetuum honoribus iussit carère damnatos. Habebant tamen licentiam Romae morandi. Postea, iam damnatis Sulla* et *Autronio, poenam de ambitu graviorem consules C. Antonius et Cicero sanxerunt, ut praeter haec veteribus legibus constituta etiam exsilio multarentur.* Sed non hoc solum adiectum fuit. Iam leges ambitus collegit Sigonius II de indiciis 30, de iisdem multa perdocte Manutius in libello de legibus cap. XXVIII: aliquid tamen de hac lege Tullia nobis adiiciendum videtur. Fontem, ex quo manarit, demonstrat Asconius p. 977 ed. Graev. dum argumentum eius orationis enarrat, quam Cicero consularis candidatus habuit in senatu: *Quum in dies licentia ambitus augeretur, propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur. Ei quoque rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercesserat: quum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est, ante dies comitiorum paucos.* Postero anno res eadem in senatu acta est, et ex eius auctoritate perfecta: quum quidem vir praestantissimus, atque gravissimus Ser. Sulpicius consulatum peteret, aliorumque ambitu excluderetur. Is itaque, ut lex ferretur, lubente senatu, vehementer instabat. Cui Cicero pro Mur. cap. 23: *Legem ambitus flagitasti, quae tibi non deerat: erat enim severissime scripta Calpurnia.* Atqui Tullia ipsa severior ambitum non repressit. *Gestus est mos et voluntati, et dignitati tuae.* Quum quidem hanc legem patres necessariam iudicarent. Praeter exsilium porro duo alia capita memorantur: *poena gravior in plebem*, nempe in sequestres, aliosque ambitus administros, quos etiam lex Calpurnia puniebat: deinde, *morbi excusationi poena addita est*, quod est etiam post Ernesti declarationem obscurum. Illud inprimis mihi aduotandum, quod ad hanc orationem maxime pertinet. *Idem editicios iudices esse voluisti, ut odia occulta civium, quae tacitis nunc*

epilogos possem dicere. Non vobis videor cum aliquo declamatore, non cum laboris et fori disciplulo disputare? Rhodi enim, inquit, non fui: me vult fuisse: sed fui, inquit, Nicææ (putabam in Vaccaeis dicturum) bis in Bithynia. Si locus habet reprehensionis ansam aliquam, nescio cur severiorem Nicaeam putes, quam Rhodum: si spectanda causa est, et tu in Bithynia summa cum dignitate fuisti, et ego Rhodi non minore. Nam, quod in eo me reprehendisti, quod nimium multos defenderim, utinam et tu, qui potes, et ceteri, qui desu-

Rhodi enim, inquit, etc.) Et verissime constat in prima adolescentia Rhodum navigasse M. Tullium, ut arte oratoria, in qua insigniter praestitit, erudiretur apud notissimum rhetora et magistrum illius aetatis Apollonium. *Hic* est qui Molo cognominatus est.

In eo me reprehendisti etc.) Mira cum verecundia et moderatione et

discordiis continentur, in fortunas optimi cuiusque erumperent. Hoc numeratur in iis, *quae mea,* inquit, *summa voluntate senatus repudiavit.* Huccine igitur illud pertinet, quod supra vidimus c. 17: *nuper clarissimi cives nomen editicii iudicis non tulerunt* etc.? de re certe ibi agitur, quae ante Liciniam legem acciderit. Sed turbant sequentia, *omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi, conditionique parerent.* Itaque iudices editicios bis repudiatos existimare licet, semel Ser. Sulpicio eos postulante, iterum ignoto alio tempore, sed posteriore, antequam tamen Crassus imponeret. GAR.

Non vobis videor etc.) Mancum, et pessime habitum locum ita Erfurt. codex sanavit egregius. Ei sic Bavar. adhaeret, ut tamen solus ex omnibus pro *videor* habeat *videtur:* quae varietas totam sermonis rationem convertit, et quod antea de Laterensi dicebatur, ad Tullium transfert, idque sane quam probabiliter facit. Quae igitur ulim ad haec explananda contulimus, in alteram partem convertenda sunt, si Bavarici onius at praestantissimi, in optima lectione potior est fides. Modeste se ipsum Cicero *laboris, et fori discipulum* vocat: Laterensem declamatorem esse non dicit, sed eum *cum declamatore disputare videri,* dum argutias declamantium consectatur. Quam tecte, quam molliter! In Oratore c. 15: *non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus.* Deinde non dicit, sed suspicandum relinquit, Laterensem se Asiaticum oratorem facere, non Rhodium, h. e. saniorem, ut olim ostendimus, et Atticis similiorem: quum tamen, ut recte intellexit Ferratius, eloquentiae ille suae tenuitatem excuset, quod non ad eam perdiscendam Rhodi, sed ad militiam exercendam bis in Bithynia fuerit. Bavar. pronomen addit: *Rhodi enim, inquit, ego non fui.* ID.

Defenderim) Bav. et Brit. *defenderem;* si quid mutandum esset, Garat. praeferret *defendam.* T.

giunt, vellent me labore hoc levare! Sed fit vestra diligentia, qui in causis ponderandis omnes fere repudiatis, ut ad nos pleraeque confluant, qui miseris et laborantibus nihil negare possumus. Admonuisti etiam, quod in Creta fuisses, dictum aliquod in pe-

ceterorum ingenia depressit, et suam in dicendo praestantiam omnibus anteposuit, quando graviores causas illi declinaverint, non sufficientes implendae defensioni, ipse vero confidentissime susceperit: quo agente reus innocens indubitatam sibi spem victoriae polliceretur. — *Admonefecisti etiam* etc.) *Ad* scholasticam levitatem et quasi mimicam spectat huiusmodi

Nihil negare) Duo Brit. *denegare*.

Quod in Creta fuisses) *Constabat*, ait Scholiastes, *Laterensem fuisse in Creta provincia: et solebant omnes candidati alba creta obliniri cervicem, ut populo notabiliores essent*. Eritne, qui credat? eritne hinc Persii acerbitas illa explicanda, Satyra V, v. 177, qua candidatus *palpo* dicitur, *quem ducit hiantem eretata ombitio?* Subit animum species candidati sane ridicula, quem ab tergo adspicientibus praeclarum cretatae cervicis insigna demonstret. Cur non album fronti potius impositum, ut in equis, et canibus natura factum videmus? Sed toga illis candida satis erat ad dignoscendum insignis. Neque enim vulgaris iuerat candor, sed per cretam fullonum artificio quaesitus. Hinc apud Persium non cervix, verum toga cretata intelligitur, et Iuvenalis X Sat. 65, *bovem cretatum* ad sacrificia commemorat, ut magis albesceret. Optime res ex Livio perspicitur IV, 25: *Placet, tollendae ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui album in vestimentum addere petitionis causa liceret*, h. e. cretam vestimento addere, ut non modo album sit, verum etiam splendidum fiat; atque, ut *candidum* interpretatur Servius ad III Georg. 82, *quadam nitenti luce perfusum*. Denique candidati non soli ad prensandum prodibant, sed comitatu conspicui. Q. Cicero de petit. consul. c. IX eorum et *adsectatores* commemorat, et *deductores*, de quibus, *magnam*, inquit, *adfert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia*. SCum factum est, omnibus postulantibus candidatis, Cicerone consule referente, ut ipse narrat pro Mur. 32: *si mercede corrupti obviam candidatis issent, si conducti sectarentur* etc. *contra legem Calpurniam factum videri*. Horum frequentiam gratuitam orator ita defendit: *Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut referendi beneficii locum, hanc in nostris petitionibus operam, atque adsectationem. — Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii, Cato* etc. — *Itaque et legi Fabiae, quae est de numero sectatorum, et SCto, quod est L. Caesare consule factum, restiterunt. Nulla est enim poena, quae possit observantiam tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere*. Gar.

Dictum aliquod in petitionem tuam) Sic Bavaricus; et ita iam Lambinus et Ernest. ex coniectura. T.

titionem tuam dici potuisse; me id perdidisse. Vter igitur nostrum est cupidior dicti? egone, qui, quod dici potuit, non dixerim; an tu, qui etiam ipse in te dixeris? Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse, quod mihi meae, quas ad aliquem misissem, obfuissent. Quas ego mihi obfuisse non intelligo; reipublicae video prodesse potuisse.

XXXV. Sed sunt haec leviora: illa vero graviora atque magna, quod meum discessum, quem saepe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccusare voluisti. Dixisti enim, non auxilium mihi, sed me

locus. M. Tullium videbatur denotasse Laterensis, quod multa quae facetius dici possent cum aliqua figurandi subtilitate non praetermitteret. Itaque hoc enm dicto perstriuxerat, habuisse materiam da vocabulo Cretae insulae aliquid in se ioculariter diceudi, nec tameu id excogitasse. Constabat enim Laterensem fuisse in Creta provincia. Et solebant omnes candidati alba creta oblinire cervicem, ut populo notabiliores essent. Ergo dicit eum iocari potuisse, si ad hoc adiecisset ingenium, ut id iuveuiret quod poterat occurrere. Sed acute rapuit ex eodem proposito validam responsionem, ut magis eum cupidum lacessendi ostenderet, qui sibi eo ultro suggererel, quae potuisse dici fateretur, nec tamen dicta sint. — *Te aiebas de tuis rebus* etc.) Haec omnia non ad reum, sed ad omnem Ciceronem pertineut, quasi asperius a Laterense proposita. Nam significat Epistolam non mediocrem ad instar voluminis scriptam, quam Pompeio in Asiam DE REBVS SVIS IN CONSVLATV GESTIS miserat Cicero aliquantu, ut videbatur, iusolentius scriptam, ut Pompeii stomachum non mediocriter commoveret: quod quadam superbiore iactantia omnibus se gloriosis ducibus autepoueret. Hoc igitur vult esse purgatum, dicens, nuntiasse Cn. Pompeio patriae conservationem, nec inscienter de semetipso gloriatum. Obfuerunt autem revera: nam sic effectum est, ut ei

Me id perdidisse) Oblitum esse me tibi Cretam obiicere, quum petitioni Plancii favebam. Ferr.

Te aiebas — nullas literas misisse) Docte disserdit Garatonus de hoc loco; sed eius disquisitio longior quidem est, quam ut hic locum habere possit: propterea ad calcem voluminis eam reieci. Typ.

Quas ad aliquem misissem) Iutelligit ad Pompeium missas, in quibus se Laelium, ipsum Africanum facit. Gvil.

Sed sunt haec laeviora) Vnus Brit. omittit *sunt*, non male, iudice Garatono. Bavaricus in sequentibus habet *illa vero gravia*, pro *graviora*, et ita legendum suadet idem Garat. Typ.

Quem saepe defleras) Vnus Brit. *semper defl.*

auxilio defuisse. Ego vero fateor mehercule, quod viderim mihi auxilium non deesse, idcirco me illi auxilio pepercisse. Qui enim status, quod discrimen, quae fuerit in republica tempestas illa, quis nescit? Tribunicius me terror, an consularis furor movit? Decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florentes atque integros sine ferro viceram? Consules post hominum memoriam teterrimi atque turpissimi, sicut et illa principia, et hi recentes rerum exitus declararunt, quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit, emptis provinciis, a senatu, a republica, a bonis omnibus defecerant: qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurimnm poterant, qnum, quid sentirent, nesciretur, furialis illa vox nefariis stupris, religiosis altaribus effeminata, secum et illos et consules facere, acerrime personabat. Egentes in locupletes, perditi

Pompeius contra Clodianam vim non patrociusretur. — *Quorum alter* etc.) Haec iam saepins dicta sunt de Pisone et Gabinio, qui actionibus P. Clodi tribuui pl. in perniciem M. Tulli conseuserant, habituri provincias Piso Macedonism, Gabinius Syriam. Sed hic alternm exercitum perditum a Pisone, alterum a Gabinio venisse significat: scilicet quod regem Ptolemaeum, acceplis decem millibus talentnm, per vim militarem exercitus romani restituisset in regnum suum. Et simul in hoc epichiremate adhibet eundem colorem iam Pompeii, Caesaris et Crassi: *ex quibns*, dicit, *unum* (Caesarem) *habere exercitum in Italia maximum, duo, qui privati tum essent, et praeesse, et parare, si vellent, exercitum posse, idque facturos esse* (Clodius) *dicebat: nec mihi ille iudicium—sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denuntiabat.* Quum igitur unus revera esset exercitus, eoque uno triumviri iam plurimum possent, hic libenter equidem *exercitu* praeferam. Gar.

Fateor mehercule) Cum Lambino legendum est, *fateor me*, et repetitum *me* infra delendum, Bavaric. et duobus Britannicis suadentibus. Vel etiam, toto eiecto *mehercule*, alterum *me* retineamus. Gar.

Recentes rerum exitus) Piso exercitum in Macedonia amiserat, Gabinius pecunia corruptus a Syria in Aegyptum exercitum duxerat, ut Ptolemaeum restitueret. Ferr.

Qui exercitibns etc.) Bavar. et unus Britann. *exercitu*. Conferenda Sextiana est capp. 17, 18, 19. Ex ea patet, triumviratum celeberrimum intelligi

Furialis illa vox) Clodius.

Secum et illos et consules) In septem Britann. et in Bavaric. *secum et illos consules*. T.

in bonos, servi in dominos armabantur. Aderat mecum senatus, et quidem veste mutata: quod pro me uno post hominum memoriam publico consilio susceptum est. Sed recordare, qui tum fuerint consulum nomine hostes; qui soli in hac urbe senatum senatui parere non siverunt, edictoque suo non luctum patribus conscriptis, sed luctus indicia ademerunt. Aderat mecum cunctus equester ordo: quem quidem in concionibus saltatator ille consul, proscriptionis denuntiatione terrebat. At tota Italia convenerat: cui quidem belli intestini et vastitatis metus inferebatur.

XXXVI. Hisce ego auxiliis studentibus atque incitatis uti me, Laterensis, potuisse confiteor; sed erat non iure, non legibus, non disceptando decertandum: nam profecto, praesertim tam bona in causa, nunquam, quo ceteri saepe abundarunt, id mihi ipsi au-

sibi in multis orationibus frequentatum, ideirco decedere urbe maluisse, ne quid seditiosae dimicationis cum multorum exitio moveretur. — *Quem quidem saltator* etc.) Ἰδίως pro stomachi sui acerbitate Gabinium lacerat quasi famosae impudicitiae: quem minitatum proscriptionem equestri ordini eapropter dicit, quod illius edicto fuisset Laelius eques R., cui familiaris amicitia cum M. Tullio fuerat, relegatus.

Siverunt — ademerunt) Vulgo *siverint—ademerint*. Indicativum recte praetulit Ernestius; non enim pendent haec ab *recordare*, sed in his est iudicium Ciceronis. — Bavar. *non sierint*.

Saltator ille) Vulgo additur *Catilinae*, quod delendum esse vidit Ernestius. Intelligitur autem Gabinius. — Sic post redit. in senat. c. 5: *in concionem* (Gabinius) *adscendit — quos ei commodum fuit, compellavit: L. vero Lamiam equitem romanum — consul imperiosus exire urbe iussit*. Item pro Sext. c. 12: *Exanimatus evolat ex senatu — advocat concionem — L. Lamium in concione relegavit, edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta*. Gab.

Id mihi ipsi auxilium m. defuisset) Bavar. *id mihi ipsum* etc. h. e. nunquam id ipsum, quo ceteri saepe abundarunt, mihi auxilium meum defuisset. Ita supra c. 33: *meque in eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, quoniam ita tu vis, nimium gratum esse concedam*. Sed nihil muto. Porro III ad Attic. 15: *hic mihi consilium meum defuit, sed etiam obfuit*: et paulo ante: *me nunquam esses passus, quo tu abundabas, egere consilio*, deinde, *quod si non modo tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeii minus liberali responso per-*

xilium meum defuisset. Armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum; quibus a servis atque a servorum ducibus caedem fieri senatus et bonorum, reipublicae exitiosum fuisset. Vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem eum vincendi viderem: quem profecto non videbam. Vbi enim praesto fuissent mihi aut tam fortes consules, quam L. Opi-

territum a turpissimo consilio revocaret, quod unus tu facere maxime potuisti, aut occubuissem honeste, aut victores hodie viveremus. Haec in exsilio scribebat: restitutus meliora. Latereusis enim, quum aliquam exsilii culpam in ipso Tullio quaerebat, Plancii meritum extenuabat, timiditatem in patroni magniloquentia reprehendebat. Confer pro domo 24; I, epist. 9; pro Sext. 20, 21, 22. IN.

Vinci autem improbos etc.) Fuisse suspicor, qui *finem eum* legentes suspendi orationem putarint, eiusque complendae causa, *quem profecto non videbam*, addiderint: quae, quamvis in Erfurtensi deesse non videantur, in duobus optimis, Pithoeano, et Bavarico, certe desunt, in mei autem codicis margine adscribuntur. Neque in tot aliis exstare mirandum est, quum orationem creditum sit iis carere non posse. Quod tamen est longe secus. Vult enim hoc dicere, praeclarum fuisse arma Clodiana vincere, sed tum, si is pugnandi finis esset futurus. Paulo post, quum etiam pugnandum fuisse cum consulibus dixerit, quos triumviri principatum in rep. obtinentes adiuvasseut (quod saepe subindicat), *victoriae*, inquit, *nostrae graves adversarios paratos videbam.* Post reditum in sen. c. 13: *videbam, si vicissem praesentem adversarium, nimium multos mihi alios esse vincendos.* Item pro Sext. 19 P. Clodium narrat *in concione dixisse, aut mihi semel esse pereundum, aut bis esse vincendum. Quid erat bis vincere? id profecto, ut, cum amentissimo tribuno plebis quum decertassem, cum consulibus, ceterisque eius ultoribus dimicarem.* Et pro domo 34: *mihi aut, te interfecto, cum consulibus, aut, te vivo, et tecum, et cum illis, armis decertandum fuit.* Placetne igitur hoc ita exprimi: *si finem eum* (vel *tum*, ut est in Erfurt. Bavaric. duobusque Britann. Barb. et meo) *vincendi viderem, quem non videbam?* quaenam haec loquendi ratio? Tolle nunc additamentum, et verbulum *fore*, vel *futurum*, quod extrusum patet, restitue: *vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem eum* (vel *tum*) *vincendi fore viderem*, vel *viderem fore:* iam recta, et perspicua videbis omnia. Quae vero *infinita* infra dicitur *dimicatio*, ea certe non est, quae finem haberet nullum, sed quae cum ingenti armorum vi, cui par esse non poterat, esset futura, quae vis exercitu Caesaris, et delectu consulari constaret. ID.

Vbi enim praesto fuissent etc.) Ita e vestigiis cod. Britannici edidi, probante Garatono, qui censet, falsam usitati compendii *coss.* interpretationem mendum facile adduxisse. Nam vulgo, singulari numero, *fuisset — fortis consul*, quum sermo sit de pluribus. Hanc emendationem comprobat sequens *aut si minus fortes.* TYP.

mius? quam C. Marius? quam L. Flaccus? quibus ducibus improbos cives respublica vicit armatis: aut si minus fortes, attamen tam iusti, quam P. Mucius, qui arma, quae privatus P. Scipio sumpserat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo sumpta esse defendit? Esset igitur pugnandum cum consulibus. Nihil amplius dico, nisi illud, victoriae nostrae graves adversarios paratos, interitus nullos ultores esse videbam. Hisce ego auxiliis salutis meae si idcirco defui, quia nolui dimicare; fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, sed me auxilio defuisse. Sin autem, quo maiora studia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis consulendum et parcendum putavi: tu id in me reprehendis, quod Q. Metello laudi datum est, hodieque est, et semper erit maximae gloriae? Quem, ut potes ex multis audire, qui tum affuerunt, constat, invitissimis viris bonis, cessisse: nec fuisse dubium, quin contentione et armis superior posset esse. Ergo ille quum suum, non quum senatus factum defenderet, quum perseverantiam sententiae suae, non salutem reipublicae retinuisset: tamen, quod illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos

Cap. XXXVI. *Iustissimos omnium Metellorum* etc.) Quum semetipsum praepositurus sit Q. Metello Numidico, et illum tamen copiosissime laudat, et ad quoddam egregium specimen virtutis amplificat, quod maluerit in exsi-

Arma — sumpserat) Bavar. cum Erfurt. *ceperat*, quod probo, etsi proxime *sumpta* dicuntur, non quia, inquam, concinnitas in vulgata desit, sed quia semper postulanda non est. Gar.

Suum-factum defenderet) Quia iurare noluit in legem Saturnini. Man.

Tamen, quod illud vol. vulnus etc.) Garaton. praetulerat cum Lambin. *tamen ob illam, qua illud voluntarium vulnus accepit, constantiam*. De sententia non demoveri, ait Garaton., perseverantiae fuit: voluntarium autem exsilii vulnus accipere, ne quisquam civium interiret, maioris cuiusdam animi, atque in virtute constantiae. Nam I de Offic. 20, id quoque fortitudini, constantiaeque tribuitur, quum quis acerba, quae non sponte

gloriae laude superavit, quod et illos ipsos improbissimos cives interfici noluit, et, ne quis bonus interiret in eadem caede, providit: ego, tantis periculis propositis, quum, si victus essem, interitus reipublicae, si vicissem, infinita dimicatio pararetur, committerem, ut idem perditor reipublicae nominarer, qui servator fuissem?

XXXVII. Mortem me timuisse dicis. Ego vero ne immortalitatem quidem contra rempublicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reipublicae vellem. Nam, qui pro republica vitam ediderunt, (licet me desipere dicatis), nunquam

lium, quam iurare in agrariam legem tribuni pl. Apulei Saturnini. Verum sibi, ut coeperam dicere, ipse Tullius maximam laudem praestruxit, qui ad tutelam salutis publicae patientiam discessus illius, quamvis non mediocri cum dolore, susceperit. Vt multo sit laudabilior Metello, qui non tam pro vigore sententiae suae . . . . miserabiliter intelligatur, qualis ferme lugentium moeror est, quos impetus nimiae caritatis exagitat.

suscipiuntur, sed pro conditione mortalium incidunt, tam aequo animo fert, ut nihil de statu, nihil de sapientiae dignitate decedat. Praecipua vero Metelli laus illa constantiae fuit, tum apud Valerium Max. III, 8, 4, Appianum, Plutarchum, tum apud Tullium. Hic uns in epistola ad Lentulum I. 9 illum vocat *unum acerrimum, et fortissimum virum, suoque iudicio omnium magnitudine animi, et constantia praestantissimum*; deinde, *quum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem virum, constantia, et gravitate superasse* dicit; denique, *summa voluntate cessisse, egregia animi alacritate afuisse, neque redire curasse*: quum in nonnullis codd. non *quod* legatur, sed *quo*, si hoc fuerit ex antiqua scriptura *quom*, et ita *quum* ad Ernestii emendationem adhibeas, optimum exorietur sensum, ex illius sententia: *tamen, quum illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos — triumphos gloria, et laude superavit, quod* etc. Tollendum est enim illud omnino mendum, *gloriae laude*, eodem modo, quo in Pisoniana c. 19 duo codices optimi sustulerunt. Quid est enim *laus gloriae?* certe laus gloriam, non gloria laudem parit. II, Epist. 4: *quarum laudum gloriam adamaris.* Respondet hoc superioribus, *quod Q. Metello laudi datum est, hodieque est, et semper erit maximae gloriae.* Vide supra ad c. 29. Emendationem hanc certissimam unus postea codex Britannicus confirmavit. GAR.

Ediderunt) Ita Graev. Schütz. ex Erf. Adde Bavar. Alii *dediderunt.* Olim *reddiderunt.* T.

mehercule eos mortem potius, quam immortalitatem assequutos putavi. Ego vero, si tum illorum impiorum ferro ac manu concidissem, in perpetuum respublica civile praesidium salutis suae perdidisset. Quin etiam, si me vis aliqua morbi, aut natura ipsa consumpsisset, tamen auxilia posteritatis essent imminuta, quod peremptum esset mea morte id exemplum, qualis futurus in me restituendo fuisset senatus populusque romanus. An, si unquam in me vitae cupiditas fuisset, ego mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum tela commossem? quae, si viginti quiessem

Si unquam etc.) Bavarieus, *si unquam vitae cupiditas in me fuisset*, quem ordinem praefert Garaton. T.

Qualis futurus in me restituendo fuisset senatus populusque romanus) Vulgo *retinendo*. Ad haec Garatonus: «Retineri ne poterat, qui iam exsulabat? cuius exemplum restitutionis exspectabatur? Manutius frustra explicat, in me conservando et restituendo: hac enim ratione aliena quaevis, ac dissimilia coniungas. Macula est omnino abstergenda, quam imprudentes reliquimus...... Ita hic locus explicandus est: Mea mors peremisset illud exemplum, quod me tam studiose, tam honorifice restituendo senatus populusque dedit, ne quis in posterum animose, ac fortiter tueri rempublicam dubitaret. In hac sententia verba ita cohaerent: *auxilio posteritatis essent imminuto, quod peremtum esset meo morte id exemplum, qualis* (quam gratus in me, atque studiosus, quam reipublicae conservandae cupidus) *futurus in me restituendo* (ut fuit, quum me restituit) *fuisset senatus populusque romanus*. Supra c. 29: *Et quemquam putas fuisse tam excordem, qui, vivis his, stante urbe, et curia, rediturum me, si viverem, non putaret?* et pro domo 24: *Videbam, vivo senatu, populoque romano, celerem mihi reditum* etc. In omnibus, quae de exsilio, ac reditu suo tam saepe copioseque disserit, rerum quidem gestarum elucet veritas, sed quae oratorie glorioseque dicuntur, ea neque historice, neque dialectice sunt excutienda severius. Conferendus omnino unus est locus pro Sext. 22, quo haec eadem enucleatius, fusiusque pertractat. *Hoc*, inquit, *videbam : si causam publicam mea mors peremisset, neminem unquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem. Itaque non solum si vi interissem, sed etiam, si morbo exstinctus essem, fore putabam, ut exemplum reip. conservandae mecum simul interiret. Quis enim unquam, me a senatu populoque romano, tanto omnium bonorum studio, non restituto, quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset, ullam reipubl. partem cum suo minima invidia auderet attingere? — Ego, qui, quemadmodum multi in senatu, me absente, dixerunt, periculo reip. vivebam, quique ob eam causam consularibus literis de senatus sententia exteris nationi-*

dies, in aliorum iugulum consulum recidissent. Quamobrem, si vitae cupiditas contra rempublicam est turpis, certe multo mortis cupiditas mea turpior fuisset cum pernicie civitatis.

XXXVIII. Nam quod te in republica liberum esse gloriatus es, id ego et fateor et laetor, et tibi etiam in hoc gratulor: quod me autem negasti, in eo neque te, neque quemquam diutius patiar errare. Nam, si quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat, quod non ab omnibus eisdem, a quibus antea solitus sum dissentire, dissentiam: primum, si bene de me meritis gratum me praebeo, non desino incurrere in crimen hominis nimium memoris, nimiumque grati; sin autem, sine ullo reipublicae detrimento, respicio etiam aliquando salutem tum meam, tum meorum, certe non modo non sum reprehendendus, sed etiam, si ruere vellem, boni viri me, ut id ne facerem, rogarent. Res vero ipsa publica, si loqui posset, ageret mecum, ut, quoniam sibi servissem semper, nunquam mihi, fructus autem ex sese non, ut oportuisset, laetos et uberes, sed magna acerbitate permixtos, tulissem, ut iam mihi servirem, con-

bus commendabar, nonne, si meam vitam deseruissem, remp. prodidissem? in qua quidem nunc, me restituto, vivit mecum simul exemplum fidei publicae, exemplum reip. defendendae. Gab.

In aliorum iugulum) Sic Iunt. Vict. Graev. qui hanc lectionem invenit in cod. Franc. 1. — MSS. Pith. Erf. et Bavar. item tres Britannici, *vigiliam.* Supra c. 29, *An quia te non iugulavit,* duo Britann. habent *vigilavit.* Typ.

Nam quod te in republica etc.) Brit. quatuor ordine meliore: *Nam quod esse te in rep. liberum gl. es.* Paulo post unus ex iisdem codicibus omittit *in hoc*, quod perrarum est, et abundare facile videatur. T.

Non desino) Lambinus putabat legendum *non debeo;* quod sane est speciosum. Attamen vulgatum hoc sensu defendi potest: Ego hoc ipso libertatem meam ostendo, quod pergo me bene de me meritis gratum una praebere, etsi multi sunt, qui hoc reprehendunt, ideoque non desino in eorum voculas incurrere; quod est hominis liberi aliorum iudicia iniqua contemnentis, et in sua sententia perseverantis.

sulerem meis: se non modo satis habere a me, sed etiam vereri, ne parum mihi pro eo, quod *tum* a me haberet, reddidisset. Quid, si horum ego nihil cogito? et idem sum in republica, qui fui semper? tamenne tu libertatem requires meam? quam tu ponis in eo, si semper cum iis, quibuscum aliquando contendimus, depugnemus. Quod est longe secus. Stare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reipublicae, qui quoniam versatur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque converterit.

XXXIX. Ego autem Cn. Pompeium, non dico auctorem, ducem, defensorem salutis meae (nam haec privatim fortasse officiorum memoriam et gratiam quaerunt), sed dico hoc, quod ad salutem reipublicae pertinet: ego eum non tuear, quem omnes in republica principem esse concedunt? ego C. Caesaris laudibus desim, quas primum populi romani, nunc etiam senatus, cui me semper addixi, plurimis atque amplissimis iudiciis videam esse celebratas? Tum

Quod tum a me haberet) Ernest. voce *tum*, quae Garatoni etiam, ac Gulielmio stare hic posse non videbatur, offensus coniiciebat: *quod iam a me haberet*. Garat. vero: *quod iamdiu a me haberet;* quod consulatum respici putat, et magis convenire cum *reddidisset*. Esse enim hoc loco enallage quaedam temporum singularis. Typ.

Tamenne tu libert.) Garat. pronomen *tu* censet esse delendum, quod abest in plerisque codicibus. Deinde unus Britann. *requiras*. Typ.

Stare enim omnes debemus) Sententia postulare videtur ut sic legamus: *Stamus enim omnes*, vel *stare enim omnes videmur, tanquam in orbe aliquo reipublicae, qui quoniam versatur, eam deligere partem debemus.*

Stare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo) Vide quae de hoc argumento docte disputat, etiam ex Philosophorum libris, in ep. 9, lib. 1 ad Lentulum. Graev.

Offic. memoriam et gratiam quaerunt) Bavar. *off. mem. quaerunt, et gratiam*, qui numerus, quae collocatio in hac periodi conformatione non est aspernenda. Gar.

Concedunt) Ernestius reposuit *concedant*, quia mox sit *ego desim — quas videam*. At utriusque membri non par est ratio. In verbis *quem — concedunt* est simplex asseveratio eius quod fit. In verbis *desim — videam*, agitur de suo sensu.

hercule me confitear, non iudicium aliquod habuisse de reipublicae utilitate, sed hominibus amicum aut inimicum fuisse. An, quum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi, salute praesertim proposita, obtemperem et paream? [Neque enim inconstantis puto, sententiam, tanquam aliquod navigium atque cursum, ex reipublicae tempestate moderari.] [1] Ego vero haec didici, haec vidi, haec scripta legi; haec de sapientissimis et clarissimis viris, et in hac republica, et in aliis civitatibus monumenta nobis, literae, prodiderunt: non semper easdem sententias ab iisdem, sed, quascumque reipublicae status, inclinatio temporum, ratio concordiae postularet, esse defensas. Quod ego et facio, Laterensis, et semper faciam: libertatemque, quam in me requiris, quam ego neque dimisi unquam, neque dimittam, non in pertinacia, sed in quadam moderatione positam putabo.

XL. Nunc venio ad illud extremum, quod dixisti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca, lapidemque e sepulcro venerari pro Deo. Neque enim mihi insidiarum pericu-

(1) Uncinis inclusa male huc irrepsisse putat Garatonus, collatis locis similibus, epist. ad P. Lentulum, et orat. pro Corn. Balbo cap. 17. Itaque esse eiicienda. Desunt quoque in Bavarico, in octo Britannicis, et ap. Aldum ipsum, teste cod. Garat. Typ.

Literae) Pantagathus, Ursinus et Gulielm. malebant *literarum*.

Esse defensas) Ita edidi, suadente Garat. ex Bavar.: quam lectionem ait, sermo ipse commendat, qui de eo, quod factum sit, instituitur: neque enim aliis praecipere videri vult, sui defensione contentus. Vulgo *defendendas*. Typ.

Ad illud extr. quod dixisti) Ad illud scilicet, quod extremum dixisti. Gar.

Arcem facere ex cloaca) Proverbium, quum rem per se levem verbis extollimus. Ferr.

lum ullum, neque mortis fuisse. Cuius ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus. Nihil enim ex meis est temporibus, quod minus pervagatum, quodque minus aut mea commemoratione celebratum sit, aut hominibus auditum atque notum. Ego enim, Laterensis, ex illo incendio legum, iuris, senatus, bonorum omnium, cedens, quum mea domus ardore suo deflagrationem urbi atque Italiae toti minaretur, nisi quievissem: Siciliam petivi animo, quae et ipsa erat mihi, sicut domus una, coniuncta, et obtinebatur a C. Virgilio; quocum me uno vel maxime quum vetusta amicitia, tum mei fratris collegia, tum respublica sociarat. Vide nunc caliginem temporum illorum. Quum ipsa paene insula mihi sese obviam ferre vellet, praetor ille, eiusdem tribuni plebis concionibus propter eandem reipublicae causam, saepe vexatus, nihil amplius dico, nisi, me in Siciliam venire noluit. Quid dicam? C. Virgilio, tali civi et viro, benivolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? Nihil, iudices, est eorum: sed, quam tempestatem nos vobiscum non tulissemus, metuit, ut eam ipse posset opibus suis sustinere. Tum, consilio repente mutato, a Vibone Brundisium terra petere contendi. Nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo.

XLI. Quum omnia illa municipia, quae sunt a

Explicabo brevi) Lambinus corrigendum putabat *breviter*.

Quum vetusta amicitia etc.) Garat. ex Erfurt. Bavarico et Britannicis, sic locum constituit: *quocum me uno vel maxime quum vetustas, tum amicitia, quum mei fratris collegia, tum reip. causa sociarat*. Optime dicitur *vetustas* de longa notitia et consuetudine amicorum inter se. Exempla dabit Forcellinus in Lexicon. lat. TYP.

Mei fratris collegia) Quia collegae fuerunt in praetura: post praeturam autem Virgilius in Siciliam, et eodem anno Q. Cicero in Asiam profectus est. MAN.

Consilio repente mutato) Vulgo additur *iter*, quod auctore Ernestio delevi.

Vibone Brundisium, in fide mea, iudices, essent: iter mihi tutum, multis minitantibus, magno cum suo metu praestiterunt. Brundisium veni, vel potius ad moenia accessi. Vrbem unam mihi amicissimam declinavi, quae se vel exscindi, quam, e suo complexu ut eriperer, facilius pateretur. In hortos me M. Laenii Flacci contuli, cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exsilium, mors proponeretur, haec perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere. Huius ego, et parentis eius, prudentissimi atque optimi senis, et fratris utriusque filiorum manibus, in navi tuta ac fideli collocatus, eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi.

Vel potius ad moenia accessi) Abest in Bavarico *accessi*, quod libentissime deleret Garatonus. Nam, eo sublato, putat elocutionem fieri elegantiorem. Typ.

Quae se vel exscindi — pateretur) Vulgo *quae se vel potius exscindi — facile pateretur*. In quo *potius* male repetitum esse vidit Ernestius. Ego illud delevi et pro *facile* scripsi *facilius*; sic omnia plana.

Cui quum omnis metus etc.) Haec verbis maiora non fieri, testis epistola est ad uxorem XIV, 4: *Nos Brundisii apud L. Lenium Flaccum dies XIII fuimus* (ex ante diem XIV kal. maias ad ante diem V kal. easdem, ut ex hac epist. et III ad Att. 7 conficitur, decem vix sunt: reiectus forlasse vento mansit ad pridie kal. qui dies epistolae subscribitur: ita certe dies XIII fuerunt) *virum optimum, qui periculum fortunarum, et capitis sui prae mea salute neglexit; neque legis improbissimae poena deductus est, quominus hospitii, et amicitiae ius, officiumque praestaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus: habebimus quidem semper*. Brundisium igitur, quod intra fines erat lege praestitutos, ea iam lata, pervenit. Gar.

Optimi senis, et fratris utriusque filiorum manibus) Ita Graevius e cod. Erfurt. edidit. Vulgo *optimi senis et utriusque filiorum*. Frater M. Laenii commemoratur or. pro Sext. c. 63.

Dyrrhachium — petere contendi) Ad Terentiam XIV, 1: *Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est* (ideoque lege Clodia non tenetur) *et in me officiosa, et proxima Italiae. Sed, si me offendet loci celebritas, alio me conferam*. Non haec tum scripsit, quum primum Dyrrhachium adpulit, sed quum eo rediit VI kal. decembres: et ita ad eandem ep. 3: *Ego eo nomine sum Dyrrhachii* (ab Thessalonica) *hoc tempore* (pridie kal. decembres), *ut quam celerrime, quid agatur, audiam: et sum tuto. Civitas enim haec semper a me defensa est.* Priore adventu de Plancio, et Thessalonica non cogitabat, sed *per Macedoniam*, inquit ep. 4, *Cyzicum petebamus*, et III ad

Quo quum venissem, cognovi, id quod audieram, refertam esse Graeciam sceleratissimorum hominum ac nefariorum: quorum impium ferrum ignesque pestiferos meus ille consulatus e manibus extorserat: qui antequam de meo adventu audire potuissent, quum tantum abessent aliquorum dierum viam, in Macedoniam, ad Planciumque perrexi. Hic vero simul atque me mare transisse cognovit: (audi, audi, atque attende, Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam, confiteareque aliquando, me, quod faciam, et grate et pie facere: huic, quae pro salute mea fecerit, si minus profutura sint, obesse certe non oportere.) Nam, simulac me Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata, profectus est. O acerbam mihi, iudices, memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est, conspersitque lacrymis, nec loqui prae moerore potuit! o rem tum auditu crudelem, tum visu nefariam! o reliquos omnes dies noctesque eas, quibus iste a me non recedens, Thessalonicam me, in quaestoriumque per-

Cap. XLI. *Thessalonicam me* etc.) Hospitium quaestoris significans proprie secundum vocabulum magistratus, etiam loco ipsi nomen dedit. Nunc autem omnia, in quibus variae dignitatis praesides habitent, praetoria nominantur.

Attic. 6: *nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum:* data epistola XIV kal. maias, quo ipso die Brundisium venit. Propter metum scilicet quam longissime profugiebat: iterum Thessalonicae, ut hic infra ipse fatetur, in idem consilium recidit. Gar.

O rem tum auditu crudelem, tum visu nefariam!) Haec mihi interpolata esse videntur. Si genuina sunt, referenda ad exsilium suum, quod Plancium in hunc moerorem coniecit. Sed melius abessent.

Thessalonicam me, in quaestoriumque perduxit) Quaestores nimirum propriam sui magistratus domum in provinciis habebant, ut etiam ex Livio constat. Ea vero *quaestorium*, donec provincialis quaestura mansit, est adpellata. Provinciarum praesides nunquam sublati: sed sub imperatoribus nomina eorum, dignitates, potestatesque immutatae: legati et praefecti augustales, procuratores

duxit! Hic ego nunc de praetore Macedoniae nihil dicam amplius, nisi, eum et civem optimum semper, et mihi amicum fuisse; sed eadem timuisse, quae ceteros. Cn. Plancium fuisse unum, non, qui minus timeret, sed, si acciderent ea, quae timerentur, mecum ea subire et perpeti vellet. Qui, quum ad me L. Tubero, meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia venisset, easque insidias, quas mihi paratas ab exsulibus coniuratis audierat, animo amicissimo detulisset: in Asiam me ire (propter eius provinciae mecum et cum meo fratre necessitudinem) comparantem, non est passus: vi me, inquam, Plancius, et complexu suo retinuit, multosque menses a capite meo non discessit, abiecta quaestoria persona, comitisque sumpta.

XLII. O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! siquidem ego tibi vivus non prosum, qui fortasse mortuus profuissem. Memini enim, memini, neque unquam obliviscar noctis illius, quum tibi vigilanti, assidenti, moerenti, vana quaedam miser, atque inania, falsa spe inductus, pollicebar: me, si essem in patriam restitutus, praesentem, tibi gratiam relaturum; sin autem vitam mihi fors ademisset, aut vis aliqua maior reditum peremisset,

Cap. XLII. *Siquidem ego tibi vivus* etc.) Lacrymis causam dubiam perorat, adfectus animi sui cum varia miseratione provolvens, ut tantum auxilii reus

Caesaris, consulares, correctores, aliisque nominibus adpellabantur: praetorium nomen obsolevit eorum, qui provincias regebant: illud autem domus, in quibus praesides quicumque habitarent, non amiserunt. Immo *praetoria* dicta sunt aliquando etiam loca iuri dicundo publice constituta, de quibus Perizonius p. 63 eius libri, quo copiosissime de praetorio disseruit. Gar.

Mihi fors ademisset) Ita Erfurt. et Bavar. quod iam receperant Lambin. Oliv. et Lallem., et hoc praefert Garat. Vulgo *sors*. T.

hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? Nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed de horum erga me benivolentia promittebam; hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitae periculo velle videbam; de horum desiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum simul audiebam: nunc timeo, ne nihil tibi, praeter lacrymas, queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti. Quid enim possum aliud, nisi moerere? nisi flere? nisi te complecti? Salutem tibi iidem dare possunt, qui mihi reddiderunt. Te tamen, exsurge quaeso, retinebo et complectar: nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem sociumque profitebor: atque (ut spero) nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor, non dicam meorum in bonos meritorum, sed bonorum in me, qui a me mei servatorem capitis divellat ac distrahat. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, iudices, sed custodem salutis meae: non opibus contendo, non auctoritate, non gratia; sed precibus, sed lacrymis, sed misericordia: mecumque vos simul hic miserrimus,

habeat, quantum suo dolori patronus adiecerit. — *Salutem tibi iidem* etc.) Eximius locus ad permovendos iudices. Procliviorem facit impetrandi facilitatem, constituens in eorum misericordia firmamentum salutis Cn. Plancii, per quos ipse sit reditum consequutus. Ita eleganter et pro se gratias agit, et huic pares humanitatis eventus deprecatur. — *Mecum vos simul hic* etc.) Valde copulatis utrinque personis et in patre sine dubio plurimum constituit

De horum desiderio) Ita Bavaric. probante Garatono. Vulgo *de eorum desiderio*. T.

Nisi flere? nisi te) Vulgo additur *cum mea salute*, quo nihil est ineptius.

Ferri posset *custodem meae salutis*; quod tamen ipsum postea aptius dicitur. Ceterum totum illud *Quid enim complecti?* melius abesset.

Te tamen, exsurge quaeso, retinebo

et optimus obtestatur parens, et pro uno filio duo patres deprecamur. Nolite, iudices, per vos, per fortunas vestras, per liberos vestros, inimicis meis, his praesertim, quos ego pro vestra salute suscepi, dare laetitiam, gloriantibus, vos iam oblitos mei salutisque eius, a quo mea salus conservata est, hostes exstitisse. Nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatae vestrae voluntatis erga me: sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere. Teque, C. Flavi, oro et obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum, quas gessi, adiutor fuisti, meque non modo salvum semper, sed etiam ornatum florentemque esse voluisti: ut mihi per hos conserves eum, per quem me tibi et his conservatum vides. Plura ne dicam, tuae me etiam lacrymae impediunt, vestraeque, iudices, non solum meae: quibus ego, magno in metu meo, subito inducor in spem, vos eosdem in hoc conservando futuros, qui fueritis in me; quoniam istis vestris lacrymis de illis recordor, quas pro me saepe et multum profudistis.

miserationis, et sibi eandem vim sollicitudinis vindicavit: quasi uterque Cn. Plancio pater sit, alter natura, alter officio gratiosus.

et complectar) Sic Graev. e cod. Erf. Vulgo *Huc exsurge, quaeso; retinebo.*

His praesertim — gloriantibus, vos iam oblitos mei salutisque meae) Bavar. et quinque Britann. *Iis praesertim — gloriantibus, vos iam oblitos mei, salutis eius — hostes exstitisse*; quod defendit Garatonus. Typ.

C. Flavi) Omnis illa de Flaviis est hic inutilis disputatio. Est enim omnino C. Alfius intelligendus, quem supra c. 17 quaesitorem huic iudicio praeesse dixerat. Alfiae gentis cognomen fuisse *Flavum*, propterea, C. *Flave*, hic legendum ostendimus. Nihil mihi certius videtur. Designatus praetor hoc iudicium extraordinarium exercuit lege Licinia editus ab accusatore ipso quaesitor, etsi tribulis erat Plancii, et Ciceronis amicus. Valuit, opinor, hominis fama, et probitas summa cum dignitate coniuncta. Gar.

Saepe et multum profudistis) Adverbium *saepe* alterum extorsit *multum*. Tullio ne ipsi, an descriptoribus? Nulla est varietas: atque ita Virgilius III Aeneid. 348: *Et multum lacrymas*

verba inter singula fundit. Quid quaerimus? Graecum est, πολλὸν δάκρυα: Catullus tamen LXVII, 17 de coma Berenicis ex Callimacho maluit, *Vbertim thalami quas intra limina fundunt.* Sed huic locutioni, si poëticam dicas, defensiones aliae non desunt. Certe *multas* usitatius dicere, quid erat negotii? quo esset emendatio ista fortasse periculosior. Tempus vero illud omnino significat, quo in exsilium profectus est; de quo pro domo 22: *quid illa tot virorum fortissimorum millia? quid nostri equites romani? quid senatus? quid denique omnes boni? si nulla erat vis, cur me flentes potius prosequuti sunt, quam aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt?* Neque solum tum fleverunt, quum Cicero abivit, verum etiam *saepe* toto discriminis illius acerbissimi tempore. Sed qui eum retinere, ac conservare non potuerunt, iidem Plancium poterant. Dici ergo nequit, vos Plancium conservaturos, ut me conservastis, sed ut me conservare voluistis, vel potius, ut me restituistis. Spes etenim, atque omen, quod ex his lacrymis capitur, non voluntatem tantummodo, sed ipsum inprimis exitum spectat. Atque ut iudicum lacrymae spem, omenque absolutionis Plancio adferebant, ita in Tullii periculo, quod tollere ipsi non poterant, atque in ipsa fuga profusae, restitutionis spem dederint, necesse est, quam perficere potuerunt. Vel igitur *in me* explices erga me, vel, si repetendum est *conservando*, erit idem, quod *restituendo:* ratione tamen habita voluntatis, quae bonis omnibus eadem semper fuit. Id.

ORATIO

PRO

P. SEXTIO

ORATIO

PRO

P. SEXTIO

SVMMARIVM

P. Sextius L. F. parente natus est L. Sextio L. F. P. N. Is quaestor fuit A. V. 654, M. Antonio A. Postumio Albino coss. Deinde tribunus plebis primus inter homines nobilissimos factus est (habuit enim collegas, praeter alios, M. Claudium Marcellum, D. Brutum). Reliquis honoribus, ut Cicero ait, non tam uti voluit, quam dignus videri. Erravit autem Pighius quum ad A. 659, quo ille tribunatum gessit, putavit eum vixisse videri ad bellum usque civile Caesaris; nam Sextius ille quem Plutarchus in Pompeio cap. 64 ait, Pompeium sequutum esse, alius est T. Sextius. L. vero Sextium mortuum fuisse iam, quum hanc orationem Cicero pro eius filio Publio haberet, intelligitur ex cap. 3. Cicero enim dicit filium *patre vivo*, duxisse uxorem: et paulo ante: *parente Sextius natus est, iudices,* VT PLERIQVE MEMINISTIS, *et sapiente et sancto et severo.*

Publius autem Sextius quem Cicero defendit, patre auctore uxorem duxit, C. Albini senatoris filiam, ex qua puerum sustulit in hoc indicio praesentem, et filiam eo tempore iam nuptam. Hac uxore mortua Albinus tamen caritatem necessitudinis et benivolentiam erga generum retinuit, eique in hoc iudicio affuit. Hunc Albinum adhuc A. V. 708 vixisse intelligitur ex epist. ad Fam. XIII, 8. Alteram uxorem, patre vivo duxit, Corneliam, filiam C. Scipionis, viri optimi, at calamitosissimi. Nimirum hic C. Scipio in exsilio Massiliae vixit, fluctibus, ut ait Cicero, reipublicae expulsus, h. e. tempore Sullano proscriptus. Praenomen C. Scipionis tuentur ed. priume, et

cod. Palat. Gemblac. Erfurt. e quibus recte illud revocavit Gruterus. Nam aliae posteriores scripserunt *L. Scipionis;* unde Manutius eum opinatus est fuisse L. Scipionem Asiaticum L. F., qui consul fuit cum C. Norbano A. V. 670. At si hic socer fuisset P. Sextii, Cicero cap. 3 huius orationis aliter de eo loquutus esset; non simpliciter tantum *virum optimum* appellasset, nec dixisset *quem in maiorum suorum vestigiis stare oportebat.* In hunc igitur alterum socerum P. Sextii clara pietas exstitit. Nam quum eo absente filiam duxisset, statim Massiliam profectus est, ut socerum videre et consolari posset et ad eum filiam adduxit, ut eius insperato adspectu complexuque recrearetur. P. Sextius vero antequam ad quaesturam accederet, tribunus militaris fuit, et in provincia abstinentiae laude floruit. Quaestor autem fuit A. V. 690, M. Tullio Cicerone et C. Antonio coss. Et huic quidem Sextius sortis necessitudine coniunctus fuit; sortito enim ei obtigit, ut eum pro quaestore in provinciam Macedoniam comitaretur. Animo autem et societate consiliorum coniunctior fuit Ciceroni. Itaque Antonium consulem, non alienum a suspicione clandestinae cum Catilinae coniunctionis, sic observavit, ut tamen et illi quaestor bonus, et omnibus optimus civis videretur. Multa de coniuratione Catilinae ad Ciceronem detulit, et quum illa erupisset, Capuam cum exercitu venit, inde M. Anlanum tribunum militum Antonii, et C. Marcellum Catilinae partibus faventes eiecit, Capuamque omni metu liberavit. Deinde Ciceronis consulis literis excitatus ad urbem cum exercitu rediit, et extremis eius anni diebus reliquos coniurationis impetus et conatus retardavit. Postea C. Antonium, res adversus Catilinam gerentem, cum illo suo exercitu summa celeritate est consequutus, et una cum M. Petreio Antonium ad maturandam Catilinae oppugnationem excitavit et impulit, quo factum ut Catilina in ipsa hieme, antequam aestatem integram nactus esset, debellaretur. In quaestura Macedoniae singularem praestitit integritatem provincialem. Ad eum exeunte A. 691 scripsit Cicero epistolam, quae est sexta libri quinti: quum cum Sextius rogasset, ut operam daret, ne sibi hoc tempore succederetur; idque, quod Cicero scribit, facile obtinuit. A. V. C. 695, IV Id. Dec. tribunatum plebis adiit, una cum T. Annio Milone, C. Sestilio, M. Cispio, T. Fadio, M'. Curio, C. Messio, Q. Fabricio, Sext. Atilio Serrano Gaviano, Num. Quinctio. Omnes hi tribuni praeter Atilium et Quinctium Ciceronis ab exsilio revocandi causae favebant; iidem rogationem

de eo revocando promulgarnot; in primis autem praeclara Sextii opera exstitit. Iam enim ante quam tribnnatum adiisset, designatus iter ad C. Iulium Caesarem pro Ciceronis salute suscepit (cap. 33). Anno autem sequente C. Cornelius Lentulus Spinther et Q. Caecilius Metellus Nepos coosulatum adierunt. Kal. Ianoariis Lentulus ad seoatum de Ciceroοe retulit. Princeps sententiam rogatus L. Aurelius Cotta, (qui A. 688 cos. fuerat) dixit, oihil de Ciceronis exsilio actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibns; quare eum qui nulla lege abesset, oon restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere. Pompeius tamen censuit, ut ad senatus auctoritatem populi quoque romani beneficium erga Cicerooem adiungeretur. Ita res VIII Kal. Febr. ad popnlum fertur. Q. Fabricius tribunus plebis prioceps rogationis de Cicerone revocaodo templum i. e. forom, ubi concilium popoli agebatur, aliquanto ante lucem occupat; Clodiani impetum faciunt in Fabricium, Cispiom alterum tribunum pl. vi depellunt, caedem in foro maximam faciunt. Q. Cicero vix se e caede eripuit, deoique tanquam mortuus inter cadavera iacoit. Sic disturbata concioοe paulo post Sextius Metello consuli rogationem aliquam fereoti, in templo Castoris obountiavit; ibi tum manus illa Clodiaua Sextium inermem et imparatum gladiis, fustibus, fragmentis septorum adoritur; a quibus ille multis vulneribus acceptis se abiecit exanimatus, nec ulla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis depulit. Quae opinio si paulo longior fuisset, Clodiani vim facinoris, quod tribuoum sacrosanctom occidisseot, perhorrescentes Numerium Gracchum, transferendi in Ciceronis defensores criminis causa, occidere cogitabant, qui osque adeo in periculo fuit, quoad scitum est Sextium vivere. Itaque tantum abfuit ut Sextius iure de vi postulari posset, ut potius optimo iure Clodium eiusque factionem accusare potuerit. Nihilo secius tamen anno proximo post Ciceronis reditum i. e. A. V. 697, Cn. Cornelio Leotulo Marcellino, L. Marcio Philippo coss. a. d. IV Id. Febr. Sextius a M. Tullio Albinovano lege Lotatia de vi postulatus est propter caedem anno superiore VIII Kal. Febr. in foro factam. Lex Lutatia A. V. 675 lata erat Q. Lotatio Catulo et M. Aemilio coss. sanxeratque ut festis quoque diebus ludisque, quibus alia iudicia nulla erant, de vi quaeri posset. Hac igitur lege Sextius de vi accusatus apud M. Aemilium Scaurum praetorem, defensus est tum ab aliis tum in primis ab Hortensio et Cicerone.

Et hic quidem postquam Hortensius dixerat, aggressus est ad dicendum.

In exordio primum queritur latrones Clodianos eo procedere audaciae, ut in quos ipsi nefaria vi grassati sint, eos ultro de vi accusent, optimisque civibus per iudices viros optimos periculum minentur; cap. 1. Deinde ostendit se quamquam a Q. Hortensio causa P. Sextii iam perorata sit, nihilque ab eo praetermissum, quod aut pro republica conquerendum fuerit, aut pro reo disputandum, tamen ad dicendum aggredi, ne sua propugnatio ei potissimum defuisse videatur, per quem sit perfectum, ne ceteris civibus deesset (quod scil in se reip. restituendo praeclara Sextii opera exstitisset). Sed quoniam ceteri defensores singulis criminibus satis responderint, Cicero se de omni statu P. Sextii, de genere vitae, de natura, de moribus, de studio conservandae salutis communis atque otii dicturum esse profitetur; cap. 2.

Itaque primum qualis ante quaesturam fuerit breviter ostendit; cap. 3. Deinde quae eius fuerint quaestoris in coniuratione Catilinaria merita exponit, cap. 4, 5; deinde praetermissa eius quaestura provinciali ad tribunatum accedit, significatque, quia ille tribunatus maxime causam reditus sui sustinuerit, quamvis iam satis de eo Hortensius dixerit, sibi de iisdem rebus, si non subtilius disputandum, at certe dolentius deplorandum esse; cap. 6.

Antequam vero de ipso Sextii tribunatu dicere incipit, totum superioris anni, h. e. A. V. 695, quo exsulatum abierat, reipublicae naufragium exponit. Commemorat igitur Clodii traductionem ad plebem, eius tribunatum non suae solum saluti sed universae reipublicae infestum; consulum Pisonis et Gabinii Clodii immanitati faventium, in quos acerbissime invehitur, flagitia; tum narrat omnium bonorum in salute sua conservanda studia, civium ex tota urbe, cunctaque Italia conventum, vestis mutationem a senatu luctus potius quam deprecationis causa factam; in quo vehementer castigat Gabinii perniciosam concionem, eiusque iniuriam in L. Aelium Lamiam, quem ille propter benivolentiam in Ciceronem relegaverat. Tum perstringit edictum quo Piso et Gabinius consules senatum ad suum vestitum redire iusserant. In primis autem eos vituperat, quod leges ferri passi sint, ut lex Aelia (qua cautum erat, ut quoties cum populo ageretur, augures de caelo servarent, obnuntiare liceret, et intercedere magistratus possent) itemque lex Fufia (qua san-

citum erat ne omnibus diebus fastis legem ferre liceret) ne valerent; eoque ut Clodii furoribus tribunitiis summa licentia concederetur; cap. 7-15.

Iam quamvis res essent eiusmodi, ut senatus pro ducibus proditores haberet, equester ordo a consulibus reus citaretur, Italiae auctoritas repudiaretur, alii nominatim relegarentur (ut L. Lamia) alii metu ac periculo terrerentur; arma essent in templis, armati in foro: tamen in tanto bonorum studio tantis malis Cicero, (sic enim persuadere iis, qui audiebant, voluit) restitisset, nisi eum alii metus, aliae curae atque suspiciones movissent, ut fuga se dimicationi subtraheret. Non enim se veritum esse, si quod facile factu fuerit, et quod fieri debuerit, inimicos suos vi armisque superasset, ne quis aut vim vi pulsam reprehenderet, aut perditorum civium, vel potius domesticorum hostium mortem moereret. Sed hoc potissimum esse commotum, quod sibi Pompeium Crassum, Caesarem Clodius inimicos esse diceret, hique taciturnitate sua vanam illam orationem in se improbo collectam confirmare viderentur, cap. 16-18. Itaque si contra tribunum plebis privatus armis contendere voluisset, et si interfectus esset Clodius, dubium non fuisse, quin ille sanguis tribunicius consules ultores et defensores esset habiturus. Hanc vero alteram contentionem eiusmodi futuram fuisse, ut neque victus, neque victor rempublicam tenere posset. In prima contentione autem cum Clodio, si vi tribunitia victus in foro cum multis viris bonis concidisset, tamen sive improbi, sive boni victi essent, hanc contentionem cum multorum bonorum civium interitu fuisse coniunctam. Itaque se maluisse periculum, quod omnibus impenderet, unum pro omnibus exsilio suo suscipere, quam cum summo eorum periculo depugnare. Ipsam autem mortem noluisse oppetere, non quod eam timeret, sed quia praevideret, si causam publicam sua mors peremisset, neminem unquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem. Itaque se eam discessu suo servasse; caedem, vastitatem, incendia, rapinas a civibus et urbe repulisse; et unum bis rempublicam servasse, semel gloria coniurationis Catilinariae oppressae, iterum aerumna exsilii suscepta. Nunc se vivo ac restituto vivere secum simul exemplum fidei publicae, exemplum reip. defendendae; cap. 19-23. Iam persequitur reliquas pestes Gabinio et Pisone consulibus reip. illatas. Primum quod illo ipso die quo Cicero patriam sibi carissimam propter ipsius patriae caritatem reli-

querit, omnibus bonis luctuoso, provincias rogaverint, statimque se perculso ad suum sanguinem hauriendum et spirante etiam republica ad eius spolia detrahenda advolaverint; cap. 24. Deinde perniciosas leges a Clodio tribuno consulibus non solum tacentibus sed etiam approbantibus latas exagitat. Primum quod censoriam notionem de republica sustulerit; tulerat enim Clodius legem, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve quem ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus et utriusque censoris sententia damnatus esset. Deinde quod collegia i. e. hominum certas artes et opificia pariter exercentium conventicula vetera a senatu sublata restituerit, et multa alia ex omni faece urbis ac servitio constituerit. Deinde quod populo frumentum, quod antea semissibus ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis ei dari iusserit, qua lege prope quinta pars vectigalium aerario perierit; tum quod Gabinio potestatem fecerit provinciam Ciliciam cum Syria commutandi. Deinde quod legem Aeliam et Fufiam sustulerit, quum tulisset, ne quis eo die de caelo servaret, quo cum populo agi posset. Deinde quod lege tribunicia Matris magnae sacerdotem Pessinuntium sacerdotio spoliaverit. Denique quod alia lege Cypri regi Ptolemaeo regnum ademerit, bona eius publicarit, Cyprumque in provinciae formam redigi iusserit, idque negotium Catoni mandari. Cuius legis teste Dione lib. XXXVIII duas habuit causas: alteram, quod ille rex olim Clodio a piratis capto, pecuniam, qua se redimeret, negasset; alteram ut Catonem a republica removeret; cap. 25-29. Haec omnia consules adiuvisse queritur cap. 30.

Iam de reditu suo quid gestum sit enarrat; Pompeii studia, senatus decretum iam A. V. 695 Kal. Iun. referente L. Ninnio trib. pl. factum, promulgationem octo tribunorum de se exponit; deinde quid anno sequente actum sit, in primis de Sextii et Milonis contentionibus et periculis ob Ciceronis et reipublicae salutem susceptis narrat; cap. 31-44.

Et quia in accusatione Albinovanus quaesiverat, quaenam esset illa natio optimatum, huic quaestioni sic respondet, ut dicat, populares vocari, qui quae faciant, quaeque dicant, multitudini iucunda esse velint: qui autem ita se gerant, ut sua consilia optimo cuique probent, optimates haberi. Hos igitur ex omnibus ordinibus esse posse. Optimatibus autem propositum esse cum dignitate otium. Itaque eos tueri in republica religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritatem,

leges, morem maiorum, iudicia, iurisdictionem, fidem, provincias, imperii laudem, rem militarem, aerarium. Olim fuisse tempora, in quibus multitudinis studium ab utilitate reipublicae discrepuerit. Nunc iam nihil esse, quod populus a delectis principibusque dissentiat; non esse novarum rerum cupidum, et otio suo ac dignitate optimi cuiusqoe et universae reipublicae gloria delectari. Itaque homines seditiosos ac turbulentos, qui nulla iam largitione populum romanum concitare possint, conductas habere conciones, h. e. homines egentes pretio ac mercede conducere, ut in concionibus praesto sint, et assensum hominibus turbulentis, qui se populares dicant, praebeant; cap. 44-49. Horum hominum mercede conductorum operae si removeantur, existimat omnes idem de republica sensuros videri. Hoc populi iudicium tribus maxime locis significari posse, concione, comitiis, ludorum (scenicorum) gladiatorumque (i. e. ludorum gladiatoriorum) consessu. Itaque tria ista sic exponit, ut exempla a benivolentia sibi absenti, quum de reditu suo ageretur, repetat. Itaque ad conciones Clodii neminem incorruptum, neminem integrum adiisse, ad Lentuli consulis concionem de se habitam concursum totius populi esse factum; cap. 50. Comitia quum alia sint legum ferendarum, alia magistratuum; in illis quum contra se lex lata esset, neminem esse, qui se tulisse suffragium confiteatur; quum autem de se ex SCto, comitiis centuriatis latum sit, neminem esse, qui non profiteatur se affuisse et suffragium de salute sua tulisse. Hoc loco in Gellium Clodianum acerbissime invehitur; cap. 51. In comitiis magistratuum populum nuper satis ostendisse, se hominibus, qui se populares haberi velint, non favere. Fuisse collegium nuper tribunicium (nempe A. V. 694) in quo tres minime, vehementer duo populares haberentur. Ex illis duo Cn. Domitium et Q. Ancharium praetores esse factos; de C. Fannio magnam esse populi existimationem; ut quod eius iudicium in illius honoribus futurum sit nemini dubium esse possit. Atque eum praeturam A. V. 698 gessisse Pighius ad h. a. idoneis argumentis comprobavit. Ex duobus autem illis popularibus alterum, qui tamen se continuerit, tulerit nihil, senserit tantum in rep. aliud atque homines exspectarent, — non tenuisse eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset, facillime pervenisset. Quis hic fuerit, quum eum Cicero non nominet, quaesitum est. Abramius putabat esse C. Alfium qui in praeturae petitione repulsam tulerat. Verum iste non fuerat in collegio tribunicio. Itaque assentior Pighio, qui

(ad A. 696) eum fuisse putat Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem. Alterum autem dicit in petenda aedilitate repulsam tulisse. Is est P. Vatinius (cap. 52, 53). Sequitur de significatione iudicii et voluntatis populi romani in ludis, tum scenicis tum gladiatoriis. Vbi narrat de Clodio vel non audente se in ludis populo committere, vel vocibus et maledictis excepto; de signis benivolentiae sibi absenti datis, de fabularum tragicarum locis, qui viderentur in Ciceronis tempus cadere, et de histrionibus illas pronuntiantibus summo populi plausu ornatis; denique de Atilio Serrano sibilis excepto. Ex quo intelligi demonstrat inter populum romanum et concionem conductam plurimum interesse; cap. 54-59.

Iam quod accusator negaverat reditum Ciceroni optandum fuisse per familias comparatas (h. e. servos) et homines armatos, demonstrat orator nullam se vim desiderasse; omnium potius ordinum in se revocando mirificum fuisse consensum, reditumque ipsum tam gloriosum, ut sibi verendum sit, ne quis se studio gloriae putet idcirco exisse, ut ita rediret; cap. 60-63. Et quoniam Albinovanus quaesiverat, quae esset illa *natio optimatum*, arripit hoc nationis verbum, dicitque se cuius sit agnoscere, scilicet, Vatinii, qui hanc optimatum nationem deleri et concidi cupiverit, qua occasione abutitur ad eum acerbissime perstringendum; cap. 64, 65. Deinde locum illum de optimatibus concludit, adolescentes ad veram laudem, virtatisque maiorum imitationem excitando; simulque optimatium dignitatem exemplis ex Graecorum et Romanorum historia petitis illustrat, cap. 66-68.

In peroratione Sextium suae salutis, iudicum auctoritatis causae defensorem iniuria de vi accusatum iudicibus commendat, eosque obtestatur, ut si se salvum esse velint, eos conservent, per quos se ipsum recuperarint; cap. 69.

Ceterum Sextium absolutum esse eumque deinde praetorem fuisse A. V. 700 constat.

I.

Si quis antea, iudices, mirabatur, quid esset, quod, pro tantis opibus reipublicae, tantaque dignitate imperii, nequaquam satis multi cives forti, et magno animo invenirentur, qui auderent se et salutem suam in discrimen offerre pro statu civitatis, et pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potius, si quem bonum et fortem civem viderit, quam si quem aut timidum, aut sibi potius, quam reipublicae consulentem. Nam, ut omittatis de uniuscuiusque casu cogitando recordari, uno adspectu intueri potestis, eos, qui cum senatu, cum bonis omnibus, rempublicam afflictam excitarint, et latrocinio domestico liberarint, moestos, sordidatos, reos, de capite, de fama, de civitate, de fortunis, de liberis dimicare: eos autem, qui omnia divina et humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint, non solum alacres laetosque volitare, sed etiam fortissimis atque optimis civibus periculum moliri, de se nihil timere. In quo quum multa sunt indigna, tum nihil minus est ferendum, quam quod iam non per latrones suos, non per homines egestate et scelere perditos, sed per vos nobis, per optimos viros optimis civibus periculum inferre

Dimicare) Sic Ern. rescripsit pro vulg. *dimicantes*. Respondet enim contrario *volitare*.

Sed etiam) Vulgo additur *voluntarios* quod delendum esse vidit Ern. Idem coniecit scriptum fuisse *ultro*, ex quo natum sit illud *voluntarios*, vel *voluntario*, ut est in Iunt.

Nihil timere) Dio scribit, Clodium hoc anno factum aedilem opera et studio optimatium, ne de vi accusatus a Milone causam diceret. Ferr.

Multa sunt) Ernest. rescripsit *sint*. Verum autem est *sunt*, ut saepius in hac orationis forma.

conantur: et, quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos vestra auctoritate, vestra religione, vestris sententiis se oppressuros arbitrantur. Ego autem, iudices, quia, qua voce mihi in agendis gratiis, commemorandoque eorum, qui de me optime sunt meriti, beneficia, esse utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis: iis potissimum vox haec serviat, quorum opera et mihi et vobis et populo romano restituta est.

II. Et quamquam a Q. Hortensio, clarissimo viro atque eloquentissimo, causa est P. Sextii perorata, nihilque ab eo praetermissum est, quod aut pro republica conquerendum fuit, aut pro reo disputandum: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potissimum defuisse videatur, per quem est perfectum, ne ceteris civibus deesset. Atque ego sic statuo, iudices, a me in hac causa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius, quam defensionis; querelae, quam eloquentiae; doloris, quam ingenii partes esse susceptas. Itaque, si aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt: peto a vobis, ut tantum orationi meae concedatis, quantum et pio dolori et iustae iracundiae concedendum putetis. Neque enim officio coniunctior dolor ullius esse potest, quam hic meus, susceptus ex hominis de me optime meriti periculo: neque iracundia magis ulla laudanda, quam ea, quae me inflammat eorum scelere, qui cum omnibus salutis meae defensoribus bellum esse sibi gerendum iudicaverunt. Sed, quoniam singulis criminibus ceteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sex-

Beneficia) Ita Graev. et Ern. e cod. Franc. Vulg. *beneficio*.

Extremo) Idcirco Ciceroni datus, quod valeret maxime ad *misericordiam*, et reliquos *affectus* excitandos. Fern.

tii, de genere vitae, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de studio conservandae salutis communis atque otii: contendamque, si modo id consequi potero, ut in hac confusa atque universa defensione, nihil a me, quod ad vestram quaestionem; nihil, quod ad reum; nihil, quod ad rempublicam pertineat, praetermissum esse videatur. Et quoniam in gravissimis temporibus civitatis, atque in ruinis eversae atque afflictae reipublicae P. Sextii tribunatus est a fortuna ipsa collocatus: non aggrediar ad illa maxima atque amplissima prius, quam docuero, quibus initiis ac fundamentis hae tantae summis in rebus laudes excitatae sint.

III. Parente P. Sextius natus est, iudices, homine, ut plerique meministis, et sapiente et sancto et severo: qui quum tribunus plebis primus inter homines nobilissimos temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non tam uti voluit, quam dignus videri. Eo auctore duxit honestissimi et spectatissimi viri, C. Albini filiam: ex qua hic est puer, et nupta iam filia. Duobus his gravissimae antiquitatis viris sic probatus fuit, ut utrique eorum et carus maxime et iucundus esset. Ademit Albino soceri nomen mors filiae, sed caritatem illius necessitudinis et benivolentiam non ademit. [Hodie sic hunc diligit.] ut vos facillime potestis ex hac vel assiduitate eius, vel sollicitudine et molestia iudicare. Duxit uxorem, patre vivo, optimi et calamitosissimi viri filiam, C. Scipionis. Clara in

Hic est puer) Praetextatus, quem in epilogo flentem excitabit. Hot.

Hodie sic hunc diligit) Haec insitilia videntur. Si genuina sunt, consequens post *diligit* exciderit necesse est, quod iam Ern. monuit.

Duxit uxorem) Fortasse legendum: *alteram duxit uxorem.*

C. Scipionis) Asiatici, qui cum C. Norbano consul fuit, Marianasque partes adiuvit: sed eius exercitu ad Sullam signa transferente, quum interimi posset, dimissus est. Man.

hoc P. Sextii pietas exstitit, et omnibus grata, quod et Massiliam statim profectus est, ut socerum videre consolarique posset, fluctibus reipublicae expulsum, in alienis terris iacentem, quem in maiorum suorum vestigiis stare oportebat: et ad eum filiam eius adduxit, ut illo insperato adspectu complexuque, si non omnem, at aliquam partem moeroris sui deponeret; et maximis officiis et illius aerumnam, quoad vixit, et filiae solitudinem sustentavit. Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officiis, de tribunatu militari, de provinciali in eo magistratu abstinentia: sed mihi ante oculos obversatur reipublicae dignitas, quae me ad sese rapit, haec minora relinquere hortatur.

IV. Quaestor hic C. Antonii, collegae mei, iudices, fuit sorte, sed societate consiliorum, meus. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quam multa ad me detulerit, quanto ante providerit. Atque ego de Antonio nihil dico,

Sorte) Quaestores designati, cui quisque muneri in magistratu praeesset, sortiebantur. Alii cum consulibus in urbe remanebant, alii aerarium curabant, alii in provincias exibant. ID.

Nonnullius officii) Ne vel Antonium in invidiam vocet, quem dicat participem fuisse coniurationis; vel Sextium, qui suo consuli fuerit infidelis. FERR.

De Antonio nihil dico) Occurrit suspicioni. Nam quod intelligit, ex eo quod dictum est, posse aliquem colligere, et existimare participem Catilinae coniurationis Antonium fuisse, ingeniose facit, ut hanc suspicionem neque confirmet, ne hominem eum, quem in consulatu collegam habuerat, in exsilio satis misere viventem, suo testimonio condemnet; neque tollat, ne, quae a Sextio de illius consiliis ad se delata significat, ficta et inania videantur. Propterea, ne obiiciat aliquis, Ergo tu eum Catilinae consensisse Antonium confirmas. Ego, inquit, nihil dico, neque participem illius coniurationis fuisse, neque non fuisse: hoc unum dico: si negare voluisset, se Catilinae partibus haerere, aut saltem dissimulare, futurum fuisse, ut ille motum civitatis, et eam, quae de ipso erat, suspicionem aut omnino tolleret, aut certe sedaret. Neutrum tamen fecit. Et est animadvertendum, quod, quum hic quasi lubrico in loco Cicero versetur, quia, si Sextii quaesturam laudat, Antonium vituperat; si Antonium excusat, Sextii causam non sublevat; lubrico, ut dixi, in loco constitutus, ad Sextium, cuius peri-

praeter unum: nunquam illum in illo summo timore ac periculo civitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipso suspicionem, aut infitiando tollere, aut dissimulando sedare voluisse. In quo collega sustinendo atque moderando, si meam in illum indulgentiam, coniunctam cum summa custodia reipublicae, laudare vere solebatis: par prope laus P. Sextii esse debet, qui suum ita consulem observavit, ut et illi quaestor bonus, et vobis omnibus optimus civis videretur. Idem, quum illa coniuratio ex latebris atque ex tenebris erupisset, palamque armata volitaret, venit cum exercitu Capuam; quam urbem, propter plurimas belli opportunitates, ab illa impia et scelerata manu attentari suspicabamur; et inde M. Aulanum, tribunum militum Antonii, Capua praecipitem eiecit, hominem perditum, et non obscure Pisauri, et in aliis agri gallici partibus, in illa coniuratione versatum. Idemque C. Marcellum, quum is non solum Capuam venisset, verum etiam se, quasi armorum studio, in maximam familiam coniecisset, exterminandum ex illa urbe curavit: qua de causa et tum conventus ille Capuae, qui, propter salutem illius urbis consulatu

culum agebatur, potius, quam ad Antonium, inclinat: et quum ait, nunquam illum neque negare, neque dissimulare voluisse, non alienum a Catilinae consiliis fuisse tacite significat: aperte non exponit, ne miserum hominem suo testimonio premat. In Pisonem tamen apertius: *Ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in rempublicam molientem, patientia, atque obsequio meo mitigavi.* MAN.

Manu attentari) Codd. Pall. aliquot *tentari*.

Suspicabamur) Ed. pr. *conspiciebamus.*

M. Aulanum) Cod. Pall. nonus, it. Gembl. Erf. *C. Menulanum.*

In maximam familiam) Gladiatorum, qui fere Capuae detinebantur: quibus se Marcellus immiscuerat eo praetextu, ut armis tractandis exerceretur. FERR.

Conventus ille Capuae) In praefecturis, qualis erat Capua, *Conventus* dicebatur publicum consilium, quodcumque illud esset: in coloniis senatus erat nomine decurionum: et

conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; et hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque fortissimi atque optimi viri, beneficium P. Sextii testimonio declarant, periculumque decreto suo deprecantur. Recita, quaeso, P. Sexti, quid decreverint Capuae decuriones; ut iam puerilis tua vox possit significare inimicis nostris, quidnam, quum se corroborarit, effectura esse videatur. DECRETVM DECVRIONVM. Non recito decretum officio aliquo expressum vicinitatis, aut clientelae, aut hospitii publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia: sed recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficii, vocem officii praesentis, testimonium praeteriti temporis. Atque illis temporibus iisdem, quum iam Capuam metu Sextius liberasset, urbem senatus atque omnes boni, deprehensis atque oppressis domesticis hostibus, me duce, ex periculis maximis extraxissent: ego literis eum Capua arcessivi cum illo exercitu, quem tum secum habebat. Quibus hic literis lectis ad urbem confestim incredibili celeritate advolavit. Atque, ut illius temporis atrocitatem

quia Capuam coloniam deduxerat Caesar, decretum pro Sextio nunc fecerant decuriones, nomine commutato, idem, quod tunc fecerat conventus. ID.

Recita — P. Sexti) Filium rei praetextatum alloquitur.

Vt iam puerilis) *Virilis* legitur in MSS. Franc. 1, Dresd. edd. pr. *puerilis* Pal. nonus Gembl. Erford.

Puerilis) In more id erat, ut liberi paternas prosequerentur inimicitias, ac vicissim eos accusarent, quorum accusationibus fuerant parentes vexati. Hinc est, quod Publium, P. Sextii filium adolescentem, qui Capuanum recitaturus erat decretum, sic excitat: Age, ad parentis depellendum periculum, attolle vocem, infirmam adhuc et puerilem, ut est aetas adhuc puerilis et infirma; quo intelligant inimici nostri, quid posthac, quum illam anni corroborarint, effectura sit ad hanc ulciscendam iniuriam. OLIV.

Tua vox possit) *Aliquid* post *possit* vulgo scriptum, ut plane hic otiosum, delevi.

Vocem) Ita Schütz. ex emendatione Lambini. Vulgo *vicem*, quod vicissitudinem officii, relationem gratiae interpretatur Hotomannus. T.

recordari possitis, audite literas, et vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate. LITERAE CICERONIS, CONSVLIS.

V. Hoc adventu P. Sextii, tribunorum plebis novorum, qui tum, extremis diebus consulatus mei, res eas, quas gesseram, vexare cupiebant, reliquique coniurationis impetus et conatus sunt retardati. Ac, posteaquam est intellectum, Catone, tribuno plebis fortissimo atque optimo cive, rempublicam defendente, per se ipsum senatum populumque romanum, sine militum praesidio tueri facile maiestatem suam, et dignitatem eorum, qui salutem communem periculo suo defendissent: Sextius cum illo suo exercitu summa celeritate est Antonium consequutus. Hic ego quid praedicem, quibus hic rebus consulem ad rem gerendam excitarit? quot stimulos admoverit homini, studioso fortassis victoriae, sed tamen nimium communem Martem bellique casum metuenti? Longum est ea dicere; sed hoc breve dicam. Si M. Petreii non excellens animus in amore reipublicae, non praestans in republica virtus, non summa auctoritas apud milites, non mirificus usus in re militari exstitisset, neque adiutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendum fuisset; datus illo in bello esset hiemi locus, neque unquam Catilina, quum e pruina Apennini, atque e nivibus illis emersisset, atque aestatem integram nactus, Italiae calles et pa-

Si M. Petreii) Hic Antonii consulis legatus, ipso Antonio consule absente, quod ex podagra laboraret, Catilinam cum sua manu vicit ac trucidavit. MAN.

Non praestans in republica virtus) In aliquot MSS. et edd. vett. desunt verba *non praestans in republica*. In ed. Hervag. legitur sic: *non excellens animus et amore reipublicae praestans in republica virtus*. Aliae edd. *non excellens animo et amore reipublicae, non praestans in republica virtus*.

Cohortandum) Ed. vet. Mediol. et cod. Pal. interponit *accusandum*, h. e. severius admonendum.

storum stabula praedari coepisset, sine multo sanguine, ac sine totius Italiae vastitate miserrima concidisset.

VI. Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sextius; ut quaesturam Macedoniae relinquam, et aliquando ad haec propiora veniam. Quamquam non est omittenda singularis illa integritas provincialis, cuius ego nuper in Macedonia vidi vestigia non pressa leviter ad exigui praedicationem temporis, sed fixa ad memoriam illius provinciae sempiternam. Verum haec ita praetereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. Ad tribunatum, quia ipse ad sese iam dudum vocat, et quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursuque veniamus. De quo quidem tribunatu ita dictum a Q. Hortensio, ut eius oratio non defensionem modo criminum videretur continere, sed etiam reipublicae capessendae auctoritatem disciplinamque praescribere. Sed tamen quoniam tribunatus quidem totus P. Sextii nihil aliud, nisi meum nomen causamque sustinuit, necessario mihi de iisdem rebus esse arbitror, si non subtilius disputandum, at certe, iudices, dolentius deplorandum. Qua in oratione si asperius in quosdam homines invehi vellem, quis non concederet, ut eos, quorum sceleris furore violatus essem, vocis libertate perstringerem? Sed ut agam moderate, et huic potius tempori serviam, quam dolori meo: si qui occulte a

Stabula praedari coepisset) Sic legebatur in cod. Vrsin. Vulgo *praeclara cepisset.*

Ego nuper) Quum abessem lege Clodia pulsus. Man.

Sed etiam—auctoritatem) Exemplo P. Sextii auctor fuerat Hortensius, h. e. docuerat reliquos cives, ut esset administrandus tribunatus. Ferr.

Praescribere) Sic Ernestio auctore locum constitui, qui vidit verba *memoria digna esset uti et* inter *sed etiam* et *reipublicae* interiecta spuria esse. Eidem obsequutus rescripsi *praescribere* pro vulg. *praescriberet.*

Sceleris furore) Graev. correxit *scelere et furore.*

salute nostra dissentiunt, lateant; si qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent et quiescunt, nos quoque simus obliti; si qui se offerunt insolenter et insectantur, quoad ferri poterunt, perferemus; neque quemquam offendet oratio mea, nisi qui se ita obtulerit, ut in eum non invasisse, sed incurrisse videamur.

VII. Sed necesse est, antequam de tribunatu P. Sextii dicere incipiam, me totum superioris anni reipublicae naufragium exponere: in quo colligendo, ac reficienda salute communi, omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, consilia versata. Fuerat ille annus in reipublicae magno motu, et multorum timore, tanquam intentus arcus in me unum, sicut vulgo ignari rerum loquebantur; re quidem vera in universam rempublicam, traductione ad plebem furibundi hominis ac perditi, mihi irati, sed multo acrius otii et communis salutis inimici. Hunc vir clarissimus, mihique, multis repugnantibus, amicissimus, Cn. Pompeius, omni cautione, foedere, exsecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me esse facturum. At ille nefarius, ex omnium scelerum colluvione natus, parum se foedus violaturum est arbitratus, nisi ipsum cautorem alieni periculi suis propriis periculis terruisset. Hanc tetram immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum

Qui se offerunt) Graev. *efferunt*, quod est in aliquot MSS. et edd.

Reipublicae naufragium exponere) *Reipublicae* glossema visum Ernestio, quia durius est *superioris anni reipublicae*. In cod. Erf. est *in republica*.

Ille annus) Is, quo C. Caesar consul P. Clodium Pulcrum ad plebem traduxit. MAN.

Otii et communis salutis) Ern. coni. *otio et communi saluti*.

Vinctam auspiciis) Quia, si patricii fierent plebeii, contra auspicia videbatur. Quae quum patriciorum tantum essent, ut et Livius, et ipse Cicero non semel significat: nimirum, si ad plebem homines patricii traducerentur, interitura auspicia videbantur, quum, a quibus haberentur, patricii deessent. MAN.

Alligatam more maiorum) Quia non ratione prolis adoptatus est a Fonteio, sed ut fieret tribunus plebis. Vid. orat. pro domo. FERR.

Constrictam legum sacratarum catenis) Leges sacratae dictae, quae in

catenis, solvit subito consul, vel, ut ego arbitror, exoratus, vel, ut non nemo putat, mihi iratus, ignarus quidem certe et imprudens impendentium tantorum scelerum ac malorum. Qui tribunus plebis felix in evertenda republica fuit nullis suis nervis. Qui enim in eiusmodi vita nervi esse potuerunt hominis, fraternis flagitiis, sororiis stupris, omni inaudita libidine infamis? Sed fuit profecto quaedam illa reipublicae fortuna fatalis, ut ille caecus atque amens tribunus plebis nancisceretur, quid dicam consules? hoccine ut ego appellem nomine eversores huius imperii? proditores vestrae dignitatis? hostes bonorum omnium? qui ad delendum senatum, affligendum equestrem ordinem, exstinguenda omnia iura atque instituta maiorum, se illis fascibus ceterisque insignibus summi honoris atque imperii ornatos esse arbitrabantur. Quorum, per deos immortales, si nondum scelera vulneraque inusta reipublicae vultis recordari, vultum atque incessum animis intueamini. Facilius facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis.

VIII. Alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum, ac veteres vexatores aetatulae suae, puteali et feneratorum gregibus iacta-

sacro monte, plebis causa, Istae sunt. In iis hoc maxime sancitum est, ne tribunatus plebis homini patricio mandari posset. Man.

Solvit subito) Vulgo additur *legum*; quod delendum esse recte intellexit Ern. Sensus est enim: solvit eum omnibus istis, quae antea dixerat auspiciis, more maiorum, legibus sacratis. Nisi haec obstarent, non moveret me rarior constructio *legum solvere*, pro *legibus solvere*, de qua vid. Goereuz. ad Cic. de legg. II, 20.

Consul) Caesar scil. qui in consulatu A. V. 614 Clodium ad plebem traduxerat.

Libidine infamis) Graevius ex aliquot MSS. dedit *insani*, quod recte repudiavit Ern. Melius enim respondet *infamis* flagitiis et stupris.

Si nondum) Ernestius opinabatur, scribendum esse *non*; nam *nondum* prorsus esse alienum. At *nondum* hic positum est pro *nunc iam non*.

Puteali) *Feneratores*, inquit Cornutus, *ad puteal Scribonis Licinii*,

tus atque perculsus, olim, ne Scyllaeo illo aeris alieni in freto ad columnam adhaeresceret, in tribunatus portum perfugerat. Contemnebat equites romanos, minitabatur senatui, venditabat se operis, atque ab iis se ereptum, ne de ambitu causam diceret, praedicabat, ab iisdemque se, etiam invito senatu, provinciam sperare dicebat; eamque nisi adeptus esset, se incolumem nullo modo fore arbitrabatur. Alter, o dii boni! quam teter incedebat! quam truculentus! quam terribilis adspectu! unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipublicae, diceres intueri. Vestitus aspere nostra hac purpura plebeia ac paene fusca; capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sub-

quod est in porticu Iulia ad Fabianum arcum, consistere solebant. Puteal autem dictum est, in quo feneratores deambulabant. HOTOM.

Iactatus) Sic e coniectura Ernestii rescripsi pro vulg. *inflatus*, quod manifesto corruptum est.

Scyllaeo illo) Apte et congruenter ad sententiam traducit similitudinem maris: quod aes alienum Gabinio fuerit tanquam mare illud navigantibus infestissimum, Scyllae et Charybdis: quo certe obrutus esset, nisi in tribunatus quasi portum perfugisset. Et quoniam Siciliensis freti mentione facta, de columna subiunxit: Rhegiam columnam potuit intelligere, quam Plinius ait in Siciliensi freto fuisse: et quasi iocum in verbo quaerens, potuit significare, ut quum de Maenia loqueretur, simul tamen ad Rhegiam, similitudinis causa, respiceret: quae naufragis idem erat, quod Maenia debitoribus: quum ad illam e naufragio proiecti sic adhaerescerent, ut ad Maeniam ii, quibus non esset, unde creditoribus satisfacerent. Rhegia vero columna dicebatur, quod ab urbe Rhegio non longe distaret. MANUT.

Ad columnam) Scil. ad columnam Maeniam, ad quam iudicia de debitoribus malis a triumviris habebantur. ERN.

Imaginis ornandae causa) Acerba irrisione. Nam duumviratus Capuae non erat magistratus, qui nobilitatem illustris familiae romanae augere, eiusque imagines ornare posset. — Hoc est, inquit Manutius, ut fingeret ac componeret vultum ad illam severitatem, quam in urbe postea consul prae se ferre meditaretur.... Credibile autem est homines ambitiosos imaginibus suis etiam adscripsisse magistratus municipales, ut Eumolpus apud Petronium, aut salsa haec dicta esse a Tullio ad irridendum illum duumviratum Capuanum. GR.

Seplasiam sublaturus videretur) Nempe quoniam capillum nunquam ungebat, videbatur *Seplasiam*, i. e.

laturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reipublicae videbatur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio respublica, tanquam Atlante caelum, niti videretur. Erat denique hic omnium sermo: Est tamen reipublicae magnum firmumque subsidium; habeo quem opponam labi illi atque coeno; vultu, medius fidius, collegae sui libidinem levitatemque franget; habebit senatus in hunc annum quem sequatur; non deerit auctor et dux bonis; mihi denique homines praecipue gratulabantur, quod habiturus essem contra tribunum plebis furiosum et audacem, quum amicum et affinem, tum etiam fortem et gravem consulem.

IX. Atque eorum alter fefellit neminem. Quis enim clavum tanti imperii tenere, et gubernacula reipublicae tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum? vino, ganeis, lenociniis, adulteriisque confectum? quum is praeter spem in altissimo gradu alienis opibus positus esset, qui

forum unguentarium, quod Capuae erat, sublaturus.

Vt illo supercilio—videretur) Haec lectio certa auctoritate caret. In MSS. plerisque erat: *ut illo supercilio on mantuus ille tanquam niti videretur.* Vnde Lambinus edidit: *ut illo supercilio annus ille tanquam Atlante caelum niti videretur.* Suspicor autem verba *quod tum hominibus non supercilium, sed pignus reipublicae videbatur* ex interpretatione alterius sententiae *ut illo supercilio — niti videretur* in textum venisse. Certe molestum est eandem sententiam bis aliis verbis enuntiari. Ac fortasse in altero membro legendum est: *ut illo supercilio consulatus ille tanquam niti videretur.* Eo certe ducunt vestigia corruptae lectionis in codd. MSS.

Affinem) Ob Tulliam C. Pisoni Frugi, L. Pisonis propinquo, in matrimonium collocatam. MAN.

Maximo cursu) Ern. coni. *in m. aestu.*

Tenebris lustrorum) Iure tenebras lustris copulavit. Nam ut auctor est Festus Pompeius: *Lustra significant lacunas lutosas, quae sunt in sylvis aprorum cubilia, a qua similitudine, ii qui in locis abditis et sordidis ventri et desidiae operam dant, dicuntur in lustris vitam agere.* ABRAM.

non modo tempestatem impendentem intueri temulentus, sed ne lucem quidem insolitam adspicere posset?

X. Alter multos plane in omnes partes fefellit. Erat enim hominum opinioni nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus. Omnes boni semper nobilitati favemus, et quia utile est reipublicae, nobiles homines esse dignos maioribus suis, et quia valet apud nos clarorum hominum et bene de republica meritorum memoria etiam mortuorum. Quia tristem semper, quia taciturnum, quia subhorridum atque incultum videbant, et quod erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur, favebant, gaudebant, et ad integritatem maiorum spe sua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem (vere hoc dicam, iudices) tantum esse in homine sceleris, audaciae, crudelitatis, quantum ipse cum republica sensi, nunquam putavi. Nequam esse hominem, et levem, et falsa opinione, errore hominum ab adolescentia commendatum, sciebam. Etenim animus eius vultu, flagitia parietibus tegebantur: sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit. Videbamus genus vitae, desidiam, inertiam; inclusas eius libidines, qui paulo propius accesserant, intuebantur. Denique etiam sermonis ansas dabat, quibus reconditos eius sensus tenere possemus. Laudabat homo doctus philosophos, nescio quos; neque eorum tamen nomina poterat dicere; sed tamen eos laudabat maxime, qui dicuntur praeter ceteros esse auctores et laudatores voluptatis; cuius, et

Hominum opinioni) Lectionem *opinione*, quam Hotomann. et Graev. tenuit, recte repudiavit Ern.

Erat eo nomine) Pisonum familia *Frugi* dicebatur. Fern.

Materni generis obliti) Pater Pisonis uxorem duxerat filiam cuiusdam Galli. Vid. orat. in Pison. Id.

quo tempore, et quo modo, non quaerebat; verbum ipsum omnibus modis animi et corporis devorabat [1]; eosdemque praeclare dicere aiebat, sapientes omnia sua causa facere: rempublicam capessere hominem bene sanum non oportere: nihil esse praestabilius otiosa vita, et plena, et conferta voluptatibus: eos autem, qui dicerent, dignitati esse serviendum, reipublicae consulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, esse ducendam, subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam, vaticinari atque insanire dicebat. Ex his assiduis eius quotidianisque sermonibus, et quod videbam, quibuscum hominibus in interiore aedium parte viveret, et quod ita domus ipsa fumabat, ut multa eius sermonis indicia redoleret, statuebam sic, boni nihil ab illis nugis exspectandum, mali quidem certe nihil pertimescendum. Sed ita est, iudices, ut, si gladium parvo puero, aut si imbecillo seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa et ferri viribus vulnerari: ita quum hominibus enervatis atque exsanguibus consulatus, tanquam gladius, esset datus, qui per se pungere neminem unquam potuissent, hi summi imperii nomine armati rempublicam contrucidaverunt. Foedus fecerunt cum tribuno plebis palam, ut ab eo provincias acciperent, quas ipsi vellent; exercitum, et pecuniam, quantam vellent, ea lege, si ipsi prius tribuno plebis afflictam et constrictam rempublicam tradidissent. Id autem foedus meo sanguine ictum san-

(1) Hic locus merito suspectus fuit Ernestio. Neque tamen multum proficitur, si verba *animi et corporis* ut interpolata eiiciantur. Nam quid est *verbum omnibus modis devorare?* Itaque suspicor legendum esse *verbum ipsum devorabat*, prorsus sicut Brut. c. 82 populus dicitur *orationem devorasse.*

Et constrictam) Cod. Henr. Steph. *circumscriptam.*

ciri posse dicebant. Qua re patefacta (neque enim dissimulari tantum scelus poterat, nec latere), promulgantur uno eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie, et de provinciis consulum nominatim.

XI. Hic tum senatus sollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum atque ordinum cives summae reipublicae a consulibus atque a summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, quum illi soli essent, praeter furiosum illum tribunum, duo reipublicae turbines, qui non modo praecipitanti patriae non subvenirent, sed eam etiam nimium tarde concidere moererent. Flagitabatur ab his quotidie quum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam causam susciperent, agerent; aliquid denique ad senatum referrent. Hi non modo negando, sed etiam irridendo, amplissimum quemque illius ordinis insequebantur. Hic subito quum incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe, cunctaque Italia convenisset, vestem mutandam omnes, meque etiam omni ratione, privato consilio (quoniam publicis ducibus respublica careret) defendendum putarunt. Erat eodem tempore senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei, quum flens universus ordo cincinnatum consulem orabat. Nam alter ille horridus et severus consulto se domi continebat. Qua tum superbia coenum illud ac labes, amplissimi ordinis preces, et clarissimorum civium lacrymas repudiavit? me ipsum ut contempsit heluo patriae? Nam quid ego patrimonii dicam, quod ille,

Sed eam) Ita cod. Franc. et ed. pr. Vulgo aberat *eam*, quod Ern. revocavit.

In aede Concordiae) Qua in aede factum est, Cicerone consule, senatusconsultum de coniuratis occidendis. MAN.

Quod ille, *quum quasi quaestum*

quum quasi quaestum faceret, amisit? Quum venisset ad senatum, vos, inquam, equites romani, et omnes boni, veste mutata, vos, inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis, quum, vestris precibus a latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, constantia, L. Ninnius, ad senatum de republica retulit, senatusque frequens vestem pro mea salute mutandam censuit.

XII. O diem illum, iudices, funestum senatui, bonisque omnibus! reipublicae luctuosum! mihi ad domesticum moerorem, gravem, ad posteritatis memoriam, gloriosum! Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quam, pro uno cive et bonos omnes privato consensu, et universum senatum publico consilio mutasse vestem? quae quidem tum mutatio non deprecationis causa est facta, sed luctus. Quem enim deprecarentur, quum omnes essent sordidati? quumque hoc satis esset signi, esse improbum, qui mutata veste non esset? Hac mutatione vestis facta, tanto in luctu civitatis, omitto, quid ille tribunus, omnium rerum divinarum, humanarumque praedo, fecerit; qui adesse nobilissimos adolescentes, honestissimos equites romanos, deprecatores salutis meae iusserit, eosque operarum suarum gladiis et lapidibus obiecerit: de consulibus loquor,

faceret, amisit) Salse simul et acerbe. Mirum enim, qui quasi meretrix divulgato corpore quaestum faciat, eum patrimonium amittere. Notat impudicitiam simul et nequitiam Gabinii. Io.

L. Ninnius) Sic Ernest. e Ms. S. Victoris. Recte coll. cap. 13. Vulgo *L. Mummius*.

Vestem — mutandam) Non modo senatui, ut hic Cicero videtur significare, sed populo quoque Ninnius persuasit, ut tanquam in aliqua publica calamitate, pro salute Ciceronis vestem mutaret. Dio lib. 38. Man.

Adesse) Qui in concionem venire iussit eos, qui se pro mea salute deprecaturos esse dicebant, eosque demum expulit e foro per servos ex ergastulis eductos, et ad vim seditionemque concitatos. Abram.

quorum fide respublica niti debuit. Exanimatus evolat ex senatu, non minus perturbato animo atque vultu, quam si paucis ante annis in creditorum conventum incidisset; advocat concionem; habet orationem talem consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset: Errare homines, si etiam tum senatum aliquid in republica posse arbitrarentur; equites vero romanos daturos illius diei poenas, quo, me consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent: venisse tempus iis, qui in timore fuissent (coniuratos videlicet dicebat), ulciscendi se. Si dixisset hoc solum, omni supplicio esset dignus. Nam oratio ipsa consulis perniciosa potest rempublicam labefactare. Quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui quum me ipsum pro summa familiaritate, quae mihi cum fratre, cum patre eius erat, unice diligebat, tum pro republica vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegavit, edixitque, ut ab urbe abesset millia passuum ducenta, quod esset ausus pro civi, pro bene merito civi, pro amico, pro republica deprecari.

XIII. Quid hoc homine facias? aut quo civem importunum, aut quo potius hostem tam sceleratum reserves? qui, ut omittam cetera, quae sunt ei cum collega immani impuroque coniuncta atque communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex urbe, relegarit, non dico equitem romanum, non ornatissimum atque optimum virum, non amicissimum reipublicae civem, non illo ipso tempore una cum senatu, et cum bonis omnibus, casum amici reique publicae lugentem; sed civem romanum sine ullo iudicio, suo edicto ex patria consul eiecerit. Nihil acerbius socii

In clivo Capitolino) Circa templum Concordiae, in clivo Capitolino, quum in eo templo de coniuratis consul Cicero ad senatum retulisset, armati equites Rom. praesidii causa circumsteterant. MAN.

Suo edicto) Vulgo *aut edicto*. Id

Latini ferre soliti sunt, quam id quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi. Atque illis tum erat reditus in suas civitates, ad suos lares familiares: et in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Hoc vero quid est? exterminabit cives romanos edicto consul a suis diis penatibus? expellet a patria? deliget quem volet? damnabit atque eiiciet nominatim? hic, si unquam vos eos, qui nunc estis, in republica fore putasset, si denique imaginem iudiciorum, aut simulacrum aliquod futurum in civitate reliquum credidisset, unquam ausus esset senatum de republica tollere? equitum romanorum preces aspernari? civium denique omnium, novis et inauditis edictis, ius libertatemque pervertere?

XIV. Etsi me attentissimis animis, summa cum benignitate auditis, iudices: tamen vereor, ne quis forte vestrum miretur, quid haec mea oratio tam longa ac tam alte repetita velit, aut quid ad P. Sextii causam, eorum, qui ante huius tribunatum rempublicam vexarunt, delicta pertineant. Mihi autem hoc propositum est ostendere, omnia consilia P. Sextii, mentemque totius tribunatus hanc fuisse, ut afflictae et perditae reipublicae, quantum posset, mederetur. Ac, si in exponendis vulneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscite. Nam et illam meam cladem vos et omnes boni maximum esse reipublicae vulnus iudicastis; et P. Sextius est reus, non suo, sed meo nomine; qui quum omnem vim sui tribunatus in mea salute consumpserit, necesse est, meam causam praeteriti temporis cum huius praesenti defensione esse coniunctam.

mendosum esse viderunt omnes. Alii delendum censuerunt. Ernestius putabat scriptum fuisse *aut SCto*. Equidem cum Manutio recepi *suo edicto*.

Erat igitur in luctu senatus; squalebat civitas, publico consilio mutata veste; nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute: quum subito edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis unquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Parumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus? optimi cuiusque consilia contemneres? rempublicam proderes, consulare nomen affligeres? etiamne edicere audebas, ne moererent homines meam, suam, reipublicae calamitatem? ne hunc suum dolorem veste significarent? Sive illa vestis mutatio ad luctum ipsorum, sive ad deprecandum valebat; quis unquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam aut sibi moerere, aut ceteris supplicare? Quid? sua sponte homines in amicorum periculis vestitum mutare non solent? pro te ipso, Piso, nemone mutavit? ne isti quidem, quos legatos non modo nullo senatusconsulto, sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti? Ergo hominis desperati, et proditoris reipublicae ca-

Quod tantum) *Quod tam* cod. Fr. Dresd. ed. pr.

Pro te ipso) Apostrophe ad Pisonem absentem. Nam hoc tempore Macedoniam proconsulari imperio administrabat. Apparet autem in hoc loco, Pisonem ante consulatum reum fuisse: quo crimine, incertum est. MAN.

Quos legatos) *Legatos* I. Fr. Gronov. delendum putat.

Nullo senatusconsulto) Quum antea, qui in provincias ibant, legatos, quos secum adducerent, a senatu petere consuessent: quam consuetudinem primus neglexit P. Vatinius, et post eum anno proximo, Piso et Gabinius, legis, ut opinor, Clodiae privilegio. Vide orat. in Vatinium. MAN.

Tute tibi legasti) Lambin. laudat e MS. *legasti*.

sum lugebunt fortasse, qui volent: civis florentissimi benivolentia bonorum, et optime de salute patriae meriti periculum, coniunctum cum periculo civitatis, lugere senatui non licebit?

XV. Iidem consules (si appellandi sunt consules, quos nemo est, qui non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet), pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro, illa omnia, quae tum contra me, contraque rempublicam dixerat, voce ac sententia sua comprobaverunt. Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret; ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret; qua una rogatione, quis est, qui non intelligat, universam rempublicam esse deletam? Iisdem consulibus inspectantibus, servorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, quum vicatim homines conscriberentur, decuriarentur; ad vim, ad manus, ad caedem, ad direptionem incitarentur. Iisdem consulibus arma in

Sedentibus) Non resistentibus. Fer.

Ne quis obnuntiaret) Ne magistratus renuntiarent quid augures servantes de caelo advertissent, atque hac obnuntiatione concionem dissolverent. Abram.

Ne quis legi intercederet) Ne tribunus plebis sua auctoritate, nullaque sui facti reddita ratione, legis ullius lationem impediret. Quae tria ut fieri liceret, lex Aelia prudenter cavebat, ad refraenandam tribunorum plebis insolentiam, qui novis subinde rogationibus remp. vexare cupiebant: nisi augures obnuntiando, consules et praetores de caelo servando et obnuntiando, ceteri tribuni plebis intercedendo, huic legum frequentiae restitissent. Id.

Vt omnibus fastis diebus) Dies alii fasti fuerunt, alii nefasti, alii intercisi. Fastis agi cum populo licebat, nefastis non licebat; intercisis partim licebat, partim non licebat, quod eorum media pars, puta ab ortu solis ad meridiem, nefasta: media puta a meridie ad solis occasum, fasta duceretur. Quare Fufius consul, ut legum tribunitiarum multitudinem impediret, legem tulit, qua certis etiam quibusdam diebus fastis agi cum populo non

templum Castoris palam comportabantur, gradus eiusdem templi tollebantur; armati homines forum et conciones tenebant; caedes lapidationesque fiebant; nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus; unus omnem omnium potestatem armis et latrociniis possidebat, non aliqua vi sua, sed quum duo consules a republica provinciarum foedere retraxisset, insultabat, dominabatur; aliis pollicebatur; terrore ac metu multos, plures etiam spe et promissis tenebat.

XVI. Quae quum essent eiusmodi, iudices, quum senatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potius apertos hostes haberet; equester ordo reus a consulibus citaretur; Italiae totius auctoritas repudiaretur; alii nominatim relegarentur, alii metu ac periculo terrerentur; arma essent in templis, armati in foro; eaque non silentio consulum dissimularentur, sed et voce et sententia comprobarentur; quum omnes urbem nondum excisam et eversam, sed iam captam atque oppressam videremus: tamen his tantis malis, tanto bonorum studio, iudices, restitissemus. Sed me alii metus, atque aliae curae suspicionesque moverunt. Exponam enim hodierno die, iudices, omnem rationem facti et consilii mei; neque huic vestro tanto studio audiendi, neque vero huic tantae multitudini, quanta, mea memoria, nunquam ullo in iudicio fuit, deero. Nam, si ego in causa tam bona, tanto studio senatus, consensu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, cessi tribuni plebis,

liceret. Hanc lege contraria Clodius evertit. Id.

Gradus) Satis constat gradus istos exemtilios fuisse. Hot.

Sed quum duo) Ernestio suspectum est *duo*; quia e latinitate deberet esse *utrumque consulem*.

Neque vero) Graevius delevit *vero*, quod aberat a MSS. eius. Ernestius recte defendit, quum habeat vim augendi.

despicatissimi hominis, furori, contemptissimorum consulum levitatem audaciamque pertimui: nimium me timidum, nullius animi, nullius consilii fuisse confiteor. Quid enim simile fuit in Q. Metello? cuius causam etsi omnes boni probabant, tamen neque senatus publice, neque ullus ordo proprie, neque suis decretis Italia tota susceperat. Ad suam enim magis quandam ille gloriam, quam ad perspicuam salutem reipublicae spectarat, quum unus in legem per vim latam iurare noluerat: denique videbatur ea conditione tam fortis fuisse, ut cum patriae caritate constantiae gloriam commutaret. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto; habebat inimicum C. Marium, conservatorem patriae, sextum iam illum consulatum gerentem; res erat cum L. Saturnino, iterum tribuno plebis, vigilante homine, et in causa populari si non moderate, at certe populariter abstinenterque versato. Cessit, ne aut victus a fortibus viris cum dedecore caderet, aut victor multis et fortibus civibus rempublicam orbaret.

XVII. Meam causam senatus palam, equester ordo acerrime, cuncta Italia publice, omnes boni proprie enixeque susceperant. Eas res gesseram, quarum non unus auctor, sed dux omnium voluntatis fuissem, quaeque non modo ad singularem meam gloriam, sed ad salutem communem omnium civium, et prope gentium, pertinerent: ea conditione gesseram, ut meum factum semper omnes praestare tuerique deberent. Erat autem mihi contentio non cum victore

Spectarat) Sic Lambin., quod cur displicuerit Ernestio ut praeferret *fecerat*, non assequor. Vulgo inepte *sumpserat*.

Abstinenterque) *Abstinenter* intelligendum, quod non lucrum captarat, aut aliorum bona invaserat, ut Clodius. Nempe lex erat de agro dividendo, in qua ille nihil sibi quaesierat. Ern.

Praestare) Omne periculum in se recipere. Abram.

exercitu, sed cum operis conductis, et ad diripiendam urbem concitatis. Habebam inimicum non C. Marium, terrorem hostium, spem subsidiumque patriae: sed duo importuna prodigia, quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas tribuno plebis constrictos addixerat. Nec mihi res erat cum Saturnino, qui, quod a se, quaestore Ostiensi, per ignominiam, ad principem et senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur: sed cum scurrarum locupletium scorto, cum sororis adultero, cum stuprorum sacerdote, cum venefico, cum testamentario, cum sicario, cum latrone: quos homines, si, id quod facile factu fuit, et quod fieri debuit, quodque a me optimi et fortissimi cives flagitabant, vi armisque superassem, non verebar, ne quis aut vim vi repulsam reprehenderet, aut perditorum civium, vel potius domesticorum hostium mortem moereret. Sed me illa moverunt: omnibus in concionibus illa furia clamabat, se, quae faceret contra salutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clarissimo viro, mihique et nunc, et quoad licuit, amicissimo. M. Crassus, quocum mihi erant omnes amicitiae necessitudines, vir fortissimus, ab eadem illa peste infestissimus esse meis fortunis praedicabatur. C. Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat, inimicissimus esse meae saluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. His se tribus auctoribus in consiliis capiendis, adiutoribus in re gerenda esse usurum dicebat. Ex

Quaestore Ostiensi) Ille, cui quaestura Ostiensis contigerat, rei frumentariae curam habebat; senatus autem poterat illud munus alteri demandare. FERR.

Vi repulsam) Graev. e cod. Franc. *depulsam*.

quibus unum habere exercitum in Italia maximum; duo, qui privati tum essent, parare, si vellent, exercitum posse: idque facturos esse dicebat. Nec mihi ille iudicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec disceptationem, aut causae dictionem, sed vim, arma, exercitus, imperatores, castra denuntiabat.

XVIII. Quid ergo? inimici oratio, vana praesertim, tam improbe in clarissimos viros coniecta, me movit? Me vero non illius oratio, sed eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur: qui tum, quamquam ob aliam causam tacebant, tamen hominibus, omnia timentibus, tacendo loqui, non infitiando confiteri videbantur. Illi autem aliquo tum timore perterriti, quod acta illa atque omnes res anni superioris labefactari a praetoribus, infirmari a senatu atque principibus civitatis putabant, tribunum popularem a se alienare nolebant, suaque sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur. Sed tamen et Crassus a consulibus meam causam suscipiendam esse dicebat, et eorum fidem Pompeius implorabat; neque se privatum publice susceptae causae defuturum esse dicebat: quem virum studiosum mei, cupidissimum reipublicae conservandae, certi homines, ad eam rem compositi, monuerunt, ut esset cautior; eiusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt; atque hanc ei suspicionem alii literis mittendis, alii nuntiis, alii coram ipsi excitaverunt, ut ille, quum a me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine moliren-

Parare) Vulgo *et praeesse et parare.* Recte in illa lectione Ern. offendit. Prorsus alienum est illud *praeesse.* Itaque delevi.

Sed) Vulgo addebatur *etiam*, recte ab Ernestio sublatum.

Conservandae) *Domi meae* in edd. hic additum iure Ern. delendum censuit. Nam isti certi homines non erant de domo Ciceronis, nec id fecere domi Ciceronis.

tur, sibi cavendum putaret. Ipse autem Caesar, quem maxime homines ignari veritatis mihi esse iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio; erat in Italia eius exercitus, inque eo exercitu ipsius tribuni plebis, inimici mei, fratrem praefecerat.

XIX. Haec ego quum viderem (neque enim erant occulta), senatum, sine quo civitas stare non posset, omnino de civitate esse sublatum; consules, qui publici consilii duces esse deberent, perfecisse, ut per ipsos publicum consilium funditus tolleretur; eos, qui plurimum possent, opponi omnibus concionibus, falso, sed formidolose tamen, auctores ad perniciem meam; conciones haberi quotidie contra me; vocem pro me, ac pro republica neminem mittere; intenta signa legionum existimari cervicibus ac bonis vestris, falso, sed putari tamen; coniuratorum copias veteres, et fusam illam Catilinae manum importunam, novo duce, et insperata commutatione rerum esse renovatam: haec quum viderem, quid agerem, iudices? scio enim, tum non mihi vestrum studium, sed meum prope vestro defuisse. Contenderem contra tribunum plebis privatus armis? Vicissent improbos boni, fortes inertes: interfectus esset is, qui hac una medicina sola potuit a reipublicae peste depelli. Quid deinde? quid reliquiarum restaret? quid denique erat dubium, quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus? quum quidem in concione dixisset, aut mihi semel pereundum, aut bis esse vincendum. Quid erat bis vincere? Id profecto, ut, cum amentissimo tribuno

Fratrem) Scil. Appium Claudium.

Et fusam) Sic Ern. auctoribus Guilielm. et Graevio. Olim erat *effusam*.

Illam) Vulgo addebatur *ac superatam*, quod abest Franc. Dresd. et ed. pr. Id e glossemate natum Graevius vidit. Ern. uncis inclusit.

plebis quum decertassem, cum consulibus, ceterisque eius ultoribus dimicarem. Ego vero, si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda reipublicae plaga, insanabilis illa et mortifera, quam illi imposuissent, semel perire tamen, iudices, maluissem, quam bis vincere. Erat enim illa altera eiusmodi contentio, ut neque victi, neque victores rempublicam tenere possemus. Quid? si in prima contentione, vi tribunicia victus, in foro, cum multis bonis viris concidissem, senatum consules, credo, vocassent, quem totum de civitate delerant; ad arma vocassent, qui ne vestitu quidem defendi rempublicam sissent; a tribuno plebis post interitum meum dissidissent, qui eandem horam

Quam illi imposuissent) In ultimo membro mire codd. et edd. variant. Ed. pr. *ac non accipienda plaga mihi insanabilis illa mortifera, qua ei imposuisset.* Vict. Camerar. *ac non accipienda pl. mihi insnnab. illa mortif., quam reip. imposuissem.* Cod. Pal. 9: *a. n. a. pl. m. sanabilis ill. mortifera, qua eum posuisset.* Cod. S. Vict. *a. n. a. pl. mihi insanabilis illis mortifera, quae imposuisset.* Lambinus reposuit: *a. n. a. pl. m. sanabilis, illis mortifera qui eam imposuissent*; quae sententia a Ciceronis consilio prorsus recedit. Nec aptior est lectio, quam Ernestius suopte ingenio obsequutus invexit: *ego vero si mihi uni pereundum non fuisset, ac modo accipienda pl. mihi insanab. illis mortif., qui eam imposuissent.* Cicero in toto hoc orationis capite id agit, ut ostendat, cur fugere, et in exsilium ire maluerit, quam se morti obiicere. Nimirum id se ait reipublicae causa, et propter salutem civium suorum fecisse. Et quum Clodius dixisset: *aut semel ei pereundum, aut bis esse vincendum*, Cicero fatetur, si sibi uni et soli pereundum fuisset, nec reipublicae insanabilis et mortifera plaga simul esset inflicta maluisse se semel perire, quam bis vincere. Etenim alteram contentionem eiusmodi fuisse, ut neque victor neque victus rempublicam tenere posset. Ergo proxime ad veritatem accedit Manutii emendatio: *Ego vero si mihi uni pereundum fuisset, ac non accipienda plaga mihi insanabilis, reipublicae mortifera, quam illi* (scil. caput meum periculo mortis obiiciendo) *imposuissem, semel perire maluissem, quam bis vincere.* Nostra ratio paulum discrepat a Manutiana, in qua illud incommodum est, quod plagam reipublicae sibi insanabilem dicit. Deinde aptius est Ciceronem dicere plagam illam ab inimicis suis reipublicae impositam, quam a se ipso sicut in Vatin. c. 8 de eo dicitur: *si ad cetera vulnera, quibus putasti rempublicam deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixisse.*

Vocassent) Recte correxit Ernest. Vulg. *vocarent.*

Sissent — dissidissent) Sic Vict. et

meae pestis et suorum praemiorum esse voluissent.

XX. Vnum mihi restabat illud, quod forsitan non nemo vir fortis, et acris animi magnique, dixerit: restitisses, repugnasses, mortem pugnans oppetisses. De quo te, te, inquam, patria, testor, et vos penates, patriique dii, me vestrarum sedum templorumque causa, me propter salutem meorum civium, quae mihi semper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugisse. Etenim, si mihi in aliqua nave cum meis amicis naviganti, hoc, iudices, accidisset, ut multi ex multis locis praedones classibus eam navem se oppressuros minitarentur, nisi me unum sibi dedissent; si id vectores negarent, ac mecum simul interire, quam me tradere hostibus mallent: iecissem me ipse potius in profundum, ut ceteros conservarem, quam illos mei tam cupidos, non modo ad certam mortem, sed in magnum vitae discrimen adducerem. Quum vero in hanc reipublicae navem, ereptis senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum, armatae tot classes, nisi ego unus deditus essem, incursurae viderentur; quum proscriptio, caedes, direptio denuntiarentur; quum alii me suspicione periculi sui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obstare sibi me arbitrarentur, alii ulcisci dolorem aliquem suum vellent, alii rem ipsam publicam, atque hunc bonorum statum otiumque odissent, et ob hasce causas, tot tamque varias, me unum deposcerent: depugnarem potius cum summo, non dicam exitio, sed periculo certe vestro liberorumque vestrorum, quam non id,

MSS. Grut. Olim *sivissent — dissedissent*, idque delevit Graev. Recte opinor, etsi Ern. non est sequutus.

Vnum) Vulgo additur *enim*, quod a codd. Franc. Dresd. ed pr. abest

Aliquem suum) Sic Lambin. alii *suum aliquem*.

quod omnibus impendebat, unus pro omnibus susciperem ac subirem?

XXI. Victi essent improbi. At cives; at ab eo privato, qui sine armis etiam consul rempublicam conservarat. Sin victi essent boni, quid superesset? non ad servos videtis rem venturam fuisse? An mihi ipsi, ut quidam putant, fuit mors aequo animo oppetenda? Quid? tum mortemne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas, in tanta improborum multitudine, quum gerebam, non mihi mors, non exsilium ob oculos versabantur? non haec denique a me tum, tanquam fata, in ipsa re gerenda canebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disiunctione, tanta acerbitate, tanta spoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilii, aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipse legendo quaerendoque cognoveram? nesciebam vitae brevem esse cursum, gloriae sempiternum? quum esset omnibus definita mors, optandum esse, ut vita, quae necessitati deberetur, patriae potius donata, quam reservata naturae videretur? nesciebam, inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, ut alii dicerent animos hominum sensusque morte restingui, alii autem tum maxime mentes sapientium ac fortium virorum, quum e corpore excessissent, sentire ac vigere? quorum alterum, fugiendum non esse, carere sensu: alterum etiam optandum, meliore esse sensu.

At ab eo privato) Lambin ex uno codice edidit: *At ab eo armato privato*; id propter oppositum *sine armis — consul* sane blanditur. Attamen non bene sonat, ut Ernest. monuit, *armato privato*; et quia praecessit *victi*, non opus erat addi *ab armato*.

Quid superesset?) Lambinus *qui superessent*.

Canebantur) Sic ed. Iunt. Graev. Ernest. Olim *concinebantur*; edd. pr. *concanebantur*.

Denique, quum omnia semper ad dignitatem retulissem, nec sine ea quidquam expetendum esse homini in vita putassem, mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiae, pro patria contemsisse dicuntur: ego vir consularis, tantis rebus gestis, timerem? praesertim quum eius essem civitatis, ex qua Q. Mucius solus in castra Porsenae venisset, eumque interficere, proposita sibi morte, conatus esset? ex qua P. Decius primum pater, post aliquot annos patria virtute praeditus filius, se ac vitam suam, instructa acie, pro salute populi romani victoriaque devovisset? ex qua innumerabiles alii partim adipiscendae laudis, partim vitandae turpitudinis causa, mortem in variis bellis, aequissimis animis, oppetissent? in qua civitate meminissem, patrem huius M. Crassi, fortissimum virum, ne videret victorem inimicum, eadem sibi manu vitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus obtulisset?

XXII. Haec ego et multa alia cogitans, hoc videbam: si causam publicam mea mors peremisset, neminem unquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem. Itaque non solum si vi interissem, sed etiam si morbo exstinctus essem, fore putabam, ut exemplum rei publicae conservandae mecum simul interiret. Quis enim unquam, me a senatu populoque romano, tanto omnium bonorum studio, non restituto (quod certe, si essem interfectus, accidere non potuisset), ullam reipublicae partem cum sua

Ne videret victorem) In multis edd additur *vivus*. Recte abest cod. Franc. Dresd. ed. pr. ideoque iam Graevius delevit.

Quis enim — populoque romano) Ursinus hanc lectionem laudat: *Quis enim unquam me a senatu populoque romano, tanto bonorum omnium studio restituto omnia pro republica pericula adire dubitabit? quod certe, si essem interfectus, nunquam accidere potuisset, ut quisquam ullam reipublicae partem* etc.

minima invidia auderet attingere? Servavi igitur rempublicam discessu meo, indices; caedem a vobis liberisque vestris, vastitatem, incendia, rapinas, meo dolore meoque luctu depuli: et unus bis rempublicam servavi, semel gloria, iterum aerumna mea. Neque enim in hoc me hominem esse infitiabor unquam, ut me optimo fratre, carissimis liberis, fidelissima coniuge, vestro conspectu, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruisse glorier. Quod si fecissem, quod a me beneficium haberetis, quum pro vobis ea, quae mihi essent vilia, reliquissem? Hoc, meo quidem animo, summi in patriam amoris mei signum esse debet certissimum, quod, quum abesse ab ea non possem sine summo dolore, hunc me perpeti, quam illam labefactari ab improbis, malui. Memineram, iudices, divinum illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii huius, C. Marium summa senectute, quum vim prope iustorum armorum profugisset, primo senile corpus paludibus occultasse demersum; deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse; inde navigio perparvo, quum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissimas pervenisse. Atque ille vitam suam, ne inultus esset, ad incertissimam spem reipublicae recuperandae reservavit: ego, qui (quemadmodum multi in senatu, me absente, dixerunt) periculo reipublicae vivebam,

Meoque luctu) Sic Graev. ex ed. Waldarfer. et codd. Franc. Dresd. Vulgo *luctuque*.

Iustorum armorum) Seditiosas leges tulerat Sulpicius in gratiam Marii, adeoque *prope iusta* vocat arma Sullae ulciscentis suam, et patriae iniuriam Velleius. Fern.

Ad incertissimam spem—reservavit) Ita Lamb. e vestigiis scripturae aliquot codd. MSS. Vulgo *et ad reipub. statum reservavit*. Graevius coniecit: *ad incertissimam spem recuperandi statum suum*. Ernestius *et ad incertum reipublicae statum*.

Periculo reipub.) Vivere periculo reip. dicitur, cuius casus reip. potissimum damno futurus est. Hor.

quique ob eam causam consularibus literis de senatus sententia exteris nationibus commendabar, nonne, si meam vitam deseruissem, rempublicam prodidissem? In qua quidem nunc, me restituto, vivit mecum simul exemplum fidei publicae, exemplum reipublicae defendendae. Quod si immortale retinetur, quis non intelligit, immortalem hanc civitatem futuram?

XXIII. Nam externa bella regum, gentium, nationum, iampridem ita extincta sunt, ut praeclare cum iis agamus, quos pacatos esse patiamur. Denique ex bellica victoria non fere quemquam est invidia civium consequuta. Domesticis malis, et audacium civium consiliis saepe est resistendum; eorumque periculorum est in republica retinenda medicina: quam omnem, iudices, perdidissetis, si meo interitu senatui populoque romano doloris sui de me declarandi potestas esset erepta. Quare moneo vos, adolescentes, atque hoc meo iure praecipio, qui dignitatem, qui rempublicam, qui gloriam spectatis: ne, si qua vos aliquando necessitas ad rempublicam contra improbos cives defendendam vocabit, segniores sitis, et recordatione mei casus a consiliis fortibus refugiatis. Primum, non est periculum, ne qui unquam sint in civitate eiusmodi consules, praesertim si erit his id, quod debetur, persolutum. Deinde nunquam iam, ut spero, quisquam improbus, consilio et auxilio bonorum se oppugnare rempublicam dicet, illis tacentibus; nec armati exercitus terrorem opponet togatis; neque erit

In qua) Bene sic Ern. emendavit vulgatum *in quo*.

Non fere quemquam) Ed. Iuntina *non temere quemquam*, quod placebat Ernestio.

Vocabit) Ern. coni. *vocarit*.

Ne qui unquam sint in civitate eiusmodi consules) Lamb. quia in cod. invenit *ne quis unquam incidat*, edidit: *ne civitas unquam incidat in eiusmodi coss.*

iusta causa ad portas sedenti imperatori, quare terrorem suum falso iactari opponique patiatur. Nunquam enim erit tam oppressus senatus, ut ei ne supplicandi quidem ac lugendi sit potestas; tam captus equester ordo, ut equites romani a consule relegentur. Quae quum omnia, atque etiam multo alia maiora, quae consulto praetereo, accidissent, videtis me tamen in pristinam meam dignitatem, brevis temporis dolore interiecto, reipublicae voce esse revocatum.

XXIV. Sed, ut revertar ad illud, quod mihi in hac omni est oratione propositum, omnibus malis illo anno, scelere consulum, rempublicam esse confectam: primum illo ipso die, qui mihi funestus fuit, omnibus bonis luctuosus, quum ego me complexu patriae, conspectuque vestro eripuissem, et metu vestri periculi, non mei, furori hominis, sceleri, perfidiae, telis, minisque cessissem, patriamque, quae mihi erat carissima, propter ipsius patriae caritatem reliquissem: quum meum illum casum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum, non solum homines, sed tecta urbis ac templa lugerent; nemo vestrum forum, nemo curiam, nemo lucem adspicere vellet: illo inquam ipso die, die dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem, mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est. Proh dii immortales, custodes et conservatores huius urbis atque imperii! quaenam illa in republica monstra, quae scelera vidistis? Civis erat expulsus is, qui rempublicam ex senatus auctoritate cum omnibus bonis de-

Sedenti imperatori) Caesarem tangit. Graevius malebat *sedendi*, quod optimo iure repudiavit Ernest. Nam *iusta causa* coniungendum cum verbis *quare terrorem*.

Supplicandi) Ed. Iunt. *suspirandi*.

Brevis temporis dolore) Recte Ern. auctore Hotomanno, sic rescripsit pro vulg. *brevi temporis dolore*.

fenderat, et expulsus non alio aliquo, sed eo ipso crimine. Erat autem expulsus sine iudicio, vi. lapidibus, ferro, servitio denique concitato; lex erat lata, vasto ac relicto foro, et sicariis servisque tradito, et ea lex, quae ut ne ferretur, senatus fuerat veste mutata. Hac tanta perturbatione civitatis, ne noctem quidem consules inter meum casum et suam praedam interesse passi sunt: statim, me perculso, ad meum sanguinem hauriendum, et, spirante etiam republica, ad eius spolia detrahenda advolaverunt. Omitto gratulationes, epulas, partitionem aerarii, beneficia, spem, promissa, praedam, laetitiam paucorum in luctu omnium. Vexabatur uxor mea; liberi ad necem quaerebantur; gener, et Piso gener, a Pisonis consulis pedibus supplex reiiciebatur; bona diripiebantur, eaque ad consules deferebantur; domus ardebat in Palatio; consules epulabantur. Quod si meis incommodis laetabantur, urbis tamen periculo commoverentur.

XXV. Sed, ut a mea causa iam recedam, reliquas illius anni pestes recordamini; sic enim facillime perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proximis respublica desiderarit. Declarat legum multitudo, quum earum quae latae sunt, tum vero quae promulgatae fuerunt. Nam latae quidem sunt consulibus illis, tacentibus dicam? immo vero

Vasto) Ita Manut. Vulgo *vastato.*

Inter meum casum et suam praedam) Sic Pall. plerique. Vulgo: *i. m. discrimen et eorum praedam.*

Desiderarit) Vulgo* *desiderarit: legum multitudinem.* In cod. Franc. *a magistratibus proximis resp. declararat.* In Dresd. *a magistratibus proximis resp. declarat.* Inde Graevius edidit: *desiderarit, declararat legum multitudinem.* At in hoc sensus non constat. Rescripsi igitur, *declarat legum multitudo.* In vulgata *legum multitudinem* a verbo *recordamini* pendere arbitrabatur Lamb. et Ern.

Promulgatae fuerunt) Multas alias leges promulgaverat Clodius, quas deinde non tulerat; ob quod impedimentum, incertum est. Fern.

approbantibus etiam; ut censoria notio et gravissimum iudicium sanctissimi magistratus de republica tolleretur; ut collegia non modo illa vetera contra senatusconsultum restituerentur, sed ab uno gladiatore innumerabilia alia nova conscriberentur; ut, remissis semissibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur; ut Gabinio, pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur; ut uni helluoni bis de eadem re deliberandi, et, rogata lege, potestas fieret provinciae commutandae.

XXVI. Mitto eam legem, quae omnia iura religionum, auspiciorum, potestatum, omnes leges, quae sunt de iure, et de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit; mitto omnem domesticam labem; etiam exteras nationes illius anni furore conquassatas videbamus. Lege tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus, et spoliatus sacerdotio est, fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi, Brogitaro, impuro homini, atque indigno illa religione; praesertim quum ea sibi ille non colendi, sed violandi causa appetisset; appellati reges a populo, qui id nunquam ne a senatu quidem postulassent; condemnati exsules Byzantium

Vt censoria notio) Hac de Clodii lege sic in oratione in Pisonem: *Ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris et modestiae, censoria severitas sublata est.* Quem locum Pedianus ibi exponit. MAN. Vid. etiam de Prov. consul. c. 19. Vulgo *notatio*. T.

Vt, remissis semissibus et trientibus) Clodius nimirum legem tulerat, ut frumentum, quod lege Sempronia semissibus ac trientibus populo vendebatur, eidem gratis daretur: vectigalia porro quinta fere parte diminuebantur.

De iure et de tempore) De iure, hoc est de auspiciis, erat Aelia: de tempore, Fufia. Clodius utramque sua lege delevit. Tulit enim, ut ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret: et ut omnibus diebus fastis legem ferri liceret. Vide supra. MAN.

Condemnati exsules Byzantium reducti) Vulgo *reducti exsules Byzantium condemnati.* Transpositionem

reducti tum, quum indemnati cives e civitate eiiciebantur. Rex Ptolemaeus, qui, si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui, quum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consequutus; erat eodem genere, iisdemque maioribus, eadem vetustate societatis; denique erat rex, si nondum socius, at non hostis; pacatus, quietus, fretus imperio populi romani, regno paterno atque avito, regali otio perfruebatur. De hoc nihil cogitante, nihil suspicante, eisdem operis suffragium ferentibus, est rogatum, ut sedens, cum purpura et sceptro et illis insignibus regiis, praeconi publico subiiceretur; et imperante populo romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere consuevit, rex amicus, nulla iniuria commemorata, nullis repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur.

XXVII. Multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi sceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud scio an recte hoc proximum esse dicam. Antiochum illum Magnum maiores nostri, magna belli contentione terra marique superatum, intra montem Taurum regnare iusserunt; Asiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, condonaverunt. Cum Armeniorum rege, Tigrane, grave bellum perdiuturnumque gessimus; quum ille, iniuriis in socios nostros inferendis, bello prope nos lacessisset. Hic et ipse per se vehemens fuit, et acerrimum hostem huius imperii Mithridatem, pulsum Ponto, opibus suis regnoque defendit; et a Lucullo, summo viro atque imperatore, pulsus, animo tamen hostili cum reliquis copiis suis in pristina mente

iam Lamb. suaserat. Idem *Byzantii* legi volebat. Sed *Byzantium* est etiam in or. pro domo.

Perdiuturnumque) *Diuturnumque* Lambin. e MS.

mansit. Hunc Cn. Pompeius, quum in suis castris supplicem abiectumque vidisset, erexit, atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit, et, imperatis certis rebus, regnare iussit: nec minus et sibi et huic imperio gloriosum putavit, constitutum a se regem, quam constrictum videri. Qui et ipse hostis fuit populi romani, et acerrimum hostem in regnum recepit; qui conflixit, qui signa contulit, qui de imperio paene certavit, regnat hodie, et amicitiae nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consequutus: ille Cyprius miser, qui semper socius, semper amicus fuit, de quo nulla unquam suspicio durior aut ad senatum, aut ad imperatores nostros allata est, vivus (ut aiunt) est et videns cum victu ac vestitu suo publicatus. En, cur ceteri reges stabilem esse suam fortunam arbitrentur, quum, hoc illius funesti anni prodito exemplo, videant, per tribunum aliquem, et sexcentas operas, se fortunis spoliari, et regno omni posse nudari.

XXVIII. At etiam eo negotio M. Catonis splendorem maculare voluerunt, ignari, quid gravitas, quid

Quam constrictum videri) Vulgo hic addebatur: *Tulit, gessit;* quod prorsus est hic alienum. Itaque recte Ernestius delevit. Idem tamen haec verba inseruit infra c. 28 post verba *potestates libera fuisset;* ubi tamen orationem moleste interrumpunt.

Ille Cyprius miser) Ptolemaeus. Socium semper fuisse dicit, tum quia maiores eius hanc appellationem obtinuerant a senatu, tum quia semper animo et voluntate fuerat socius, licet nondum hunc honorem fuisset consequutus. Adverte vero quam ad miserationem concinnata sit oratio. Non regnum ait, sed, quod gravius est, regem ipsum tanquam vile mancipium fuisse publicatum. Addit id vivo et videnti contigisse, quod est longe miserabilius. Cum suo, inquit, victu et vestitu, non cum suo regno et gazis, quasi nihil ei deinceps ad vitam tolerandam, nuditatemque tegendam superfuturum esset. Abram.

Et sexcentas) Ern. coni. *serviles*.

M. Catonis splendorem maculare voluerunt) Clodius legem tulit, ut Catoni provincia daretur regiae gazae vendendae et pecuniae deportandae, partim ut virum fortissimum et improbis civibus infensum a republica removeret, partim ut eum socium ac defensorem haberet, si quis legem de

integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret; quae in tempestate saeva quieta est, et lucet in tenebris, et pulsa loco manet tamen, atque haeret in patria, splendetque per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. Non illi ornandum M. Catonem, sed relegandum; nec illi committendum illud negotium, sed imponendum putaverunt; qui in concione palam dixerint, linguam se evellisse M. Catoni, quae semper contra extraordinarias potestates libera fuisset. Sentient, ut spero, brevi tempore, manere libertatem illam; atque hoc etiam, si fieri poterit, esse maiorem, quod cum consulibus illis M. Cato, etiam quum iam desperasset aliquid auctoritate sua profici posse, tamen voce ipsa ac dolore pugnavit, et post meum discessum, iis Pisonem verbis, flens meum et reipublicae casum, vexavit, ut illum hominem perditissimum atque impudentissimum paene iam provinciae poeniteret. Cur igitur rogationi paruit? Quasi vero ille non in alias quoque leges, quas iniuste rogatas putaret, iam ante iurarit. Non offert se ille istis temeritatibus, ut, quum reipublicae nihil prosit, se cive rempublicam privet. Consule me, quum esset designatus tribunus plebis, obtulit in discrimen vitam suam; dixit eam sententiam, cuius invidiam capitis periculo sibi praestandam videbat; dixit vehementer; egit acriter; ea quae

Cypro publicatam criminari vellet. H.

Libera fuisset) Hic Ernestius inculcavit verba *Tulit*, *gessit*. *Sed* —

Rogationi paruit) Si haec in contumeliam potius Catonis, quam honoris causa fiebant, cur huic Clodiae rogationi paruit, et mandatam sibi ad deportandas Ptolemaei pecunias admisit provinciam? Hot.

Quasi vero) Respondet quaestioni per ironiam. Vult dicere: Non mirum est Catonem Clodiae rogationi paruisse, quum in alias quoque leges, quas iniuste rogatas putabat, ut in legem agrariam Caesaris de agro Campano dividendo contra Bibuli collegae obnuntiationem et auspicia perlatam, iam ante iurarit. Id.

sensit, prae se tulit; dux, auctor, actor rerum illarum fuit; non quo periculum suum non viderit; sed in tanta reipublicae tempestate nihil sibi, nisi de patriae periculis, cogitandum putabat.

XXIX. Consequutus est ipsius tribunatus. Quid ego de singulari magnitudine animi eius, ac de incredibili virtute dicam? Meministis illum diem, quum, templo a collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri et civis timentibus, ipse animo fortissimo venit in templum, et clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute sedavit. Adiit tum periculum, sed adiit ob causam: quae quanta fuerit, iam mihi dicere non est necesse. At si isti Cypriae rogationi sceleratissimae non paruisset, haereret illa nihilominus in republica turpitudo. Regno enim iam publicato, de ipso Catone erat nominatim rogatum. Quod ille si repudiasset, dubitatis, quin ei vis esset allata, quum omnia acta illius anni per illum unum labefactari viderentur? Atque etiam hoc videbat: quoniam illa in republica macula regni publicati maneret, quam nemo iam posset eluere; quod ex malis boni posset in republica provenire, id utilius esse per se conservari, quam per alios. Atque ille etiam, si aliquapiam vi expelleretur illis temporibus

Templo a collega occupato) Saepe dictum est, *Rostra* passim appellari *templum*. Collega autem is est Q. Metellus Nepos, qui, ut iniquam legem ferret, templum occupavit: non tulit autem Catone cum vitae periculo resistente. Id.

At, si isti Cypriae rogationi) Duo hic ostendit. Alterum, nihil utilitatis sperari potuisse, si Cato Cypriae rogationi obstitisset, nec voluisset mandatam sibi potestatem admittere. Alterum, Catoni vim inferendam, et exsilium, perinde ac Tullio, irrogandum fuisse, si ei legi parere noluisset. Abram.

Per se conservari) Non permittere, ut alius eam procurationem suscipiens publicatas Ptolemaei pecuniis depecularetur, et in proprios usus deflecteret. Id.

Quam per alios) Gulielmius putabat excidisse *dilapidari*, vel simile quid.

ex hac urbe, facile pateretur. Etenim, qui superiore anno senatu caruisset, quo si tum veniret, me tamen socium suorum in republica consiliorum videre posset: is aequo animo tum, me expulso, et meo nomine quum universo senatu, tum sententia sua condemnata, in hac urbe esse posset? Ille vero eidem tempori, cui nos, eidem furori, eisdem consulibus, eisdem minis, insidiis, periculis cessit. Luctum nos hausimus maiorem, dolorem ille animi non minorem.

XXX. His de tot tantisque iniuriis in socios, in reges, in liberas civitates, consulum querela esse debuit. In eius magistratus tutela, reges, atque exterae nationes semper fuerunt. Ecquae vox unquam est audita consulum? Quamquam quis audiret, si maxime queri vellent? De Cyprio rege quererentur, qui me civem, nullo meo crimine, patriae nomine laborantem, non modo stantem non defenderant, sed ne iacentem quidem protexerant? Cesseram, si alienam a me plebem fuisse vultis, quae non fuit, invidiae; si commoveri omnia videbantur, tempori; si vis suberat, armis; si societas, magistratuum pactioni; si periculum civium, reipublicae. Cur, quum de capite civis (non disputo, cuiusmodi civis), et de bonis proscriptio ferretur, quum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari, nulla vox est audita consulum? constitutumque est

Superiore anno) Caesare consule. Quo anno, quum nihil more maiorum gereretur, Caesare leges et auspicia negligente, Cato desperatione quadam in senatum non venit. MAN.

Sententia sua) Quum enim pulsus est Cicero, tum damnari et senatus visus est, et sententia Catonis. Pulsus enim est ob coniuratorum necem. Illi autem e senatusconsulto, Catonis in sententiam facto, necati sunt. ID.

Quamquam quis audiret, si maxime queri vellent?) Ita correxit Ernest. auctore Pantagatho. Vulgo *quamquam quis auderet, si maxime queri vellet.*

Defenderant — protexerant) Sic Ern. Vulgo *defenderunt protexerunt.*

illo anno, quantum in illis duabus huius imperii pestibus fuit, iure posse, per operas concitatas, quemvis civem nominatim, tribuni plebis concilio, ex civitate exturbari? Quae vero promulgata illo anno fuerunt? quae promissa multis? quae conscripta? quae sperata? quae cogitata? quid dicam? qui locus orbis terrae iam non erat alicui destinatus? cuius negotii publici cogitari, optari, fingi curatio potuit, quae non esset attributa atque descripta? quod genus imperii, aut quae provincia, quae ratio auferendae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? quae regio, orave terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab senatu petebat? Damnatis de vi, restitutio; consulatus petitio ipsi illi populari sacerdoti comparabatur. Haec gemebant boni, sperabant improbi, agebat tribunus plebis, consules adiuvabant.

XXXI. Hic, aliquanto serius, quam ipse vellet, Cn. Pompeius, invitissimis iis, qui mentem optimi ac

Tribuni plebis concilio) *Consilio* est in edd. pr. omnibus, idque auctore Hotomanno restituit Ern. etsi nec id ei satisfaciebat, putabatque gravius aliquid latere. Aldus invexit *consilia.*

Fingi curatio potuit) Vulgo ante Lambin. *procuratio.* At in eius codd. it. in Pal. nono et S. Vict. est *curatio.*

Quae ratio auferendae) *Quae ratio aut flandae* Pal. 2, 9, S. Vict. Erfurt. Gembl. Dresd. Mediol. Ed. Grut. Verum tamen ast *auferendae*, quod receperunt Vict. Lamb. Man. Graev. Ern.

Quis pecuniam?) Penes senatum erat cura aerarii, neque tribuni plebis quicquam ex eo, suis legibus, poterant arogare. Abram.

Ab senatu petebat?) Quum P. Clodius et consules omnem Senatus auctoritatem a republica sustulissent, eaque per populum facerent, quae prius per senatum fieri consuerant. Id.

Ipsi illi populari sacerdoti) Scil. Clodio, quem etiam in Pison. c. 36 hoc nomine appellat, supra c. 17 stuprorum sacerdotem vocat ob sacra Bonae deae violata.

fortissimi viri, suis consiliis, fictisque terroribus a defensione meae salutis averterant, excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem reipublicae bene gerendae. Non est passus ille vir, qui sceleratissimos cives, qui acerrimos hostes, qui maximas nationes, qui reges, qui gentes feras atque inauditas, qui praedonum infinitam manum, qui etiam servitia virtute victoriaque domuisset; qui omnibus bellis terra marique compressis, imperium populi romani orbis terrarum terminis definisset, rempublicam everti scelere paucorum, quam ipse non solum consiliis, sed etiam sanguine suo saepe servasset: accessit ad causam publicam; restitit auctoritate sua reliquis rebus; de praeteritis questus est. Fieri quaedam ad meliorem spem inclinatio visa est. Decrevit senatus frequens de meo reditu Kalendis Iun. dissentiente nullo, referente L. Ninnio, cuius in mea causa nunquam fides virtusque contremuit. Intercessit Ligus iste, nescio qui, additamentum inimicorum meorum. Res erat et causa nostra eo iam loci, ut erigere oculos, et vivere videretur. Quisquis erat, qui aliquam partem in meo luctu sceleris Clodiani attigisset, quocumque venerat, quod iudicium cumque subierat, damnabatur. Inveniebatur nemo, qui se suffragium de me tulisse confiteretur. Decesserat ex Asia frater meus magno squalore, sed multo etiam maiore moerore. Huic ad urbem venienti tota obviam civitas cum lacrymis gemituque processerat; loque-

Intercessit Ligus iste) Aelius Ligus s. Ligur, qui sibi hoc cognomen arrogaverat ut quasi Aeliorum Ligurum gentis esse videretur. — In ambigua nominis significatione ludit... Notat igitur ignobilitatem, quum ait, *Ligus iste nescio qui*: et *Ligus*, non ut familiae Romanae cognomen, sed ut nationis nomen posuit. MAN.

Damnabatur) Manutius coniecit legendum *repellebatur*, *damnabatur*, quod Hotom. probavit; Graevius tamen vulg. defendit.

batur liberius senatus; concurrebant equites romani; Piso ille, gener meus, cui fructum pietatis suae neque ex me, neque a populo romano ferre licuit, a propinquo suo socerum suum flagitabat; omnia senatus reiiciebat, nisi de me primum consules retulissent.

XXXII. Quae quum res iam manibus teneretur, et quum consules provinciarum pactione libertatem omnem perdidissent, qui quum in senatu, privatim, ut de me sententias rogarent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant; quum haec non possent iam diutius sustinere, initur consilium de interitu Cn. Pompeii; quo patefacto, ferroque deprehenso, ille inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. De meo reditu octo tribuni promulgarunt. Ex quo intellectum est, non mihi absenti crevisse amicos, in ea praesertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos esse putaveram, non erant; sed eos voluntatem semper eandem, libertatem non eandem semper habuisse. Nam ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus, me absente, defluxit, qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis generis eius esse, quam nationis videretur. Hoc

Fructum pietatis suae) Nam hic ante reditum Ciceronis est mortuus. HOT.

Quum in senatu privatim — legem illi se Clodiam dicebant) Vulgo *quum in senatu privatim, u. d. m. s. dicerent.* «H. l. primum interpunxi *in senatu, privatim* i. e. in curia et domi; *dicerent* accipio de flagitantibus, ut sibi sententias dicere liceret, atque ipsi adeo consules referrent de Cicerone ad senatum; denique post *dicebant* colon scripsi, ut fecit Camerarius. Nam in *quum haec non possent* est novum antecedens.» ERN. Ego vero pro *dicerent*, correxi *rogarent.*

Legem illi se Clodiam) In qua caput hoc erat, ne quis de Ciceronis reditu referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret in sententiam, ne scribendo adesset. Post reditum in Senatu, et ad Attic. MAN.

Quo magis generis eius esse, quam nationis videretur) Vulgo *quo magis nationis eius esse quam generis videretur.* Vere autem Ursinus indicavit sensum postulare, ut vocabula *nationis et generis* sedes iis a librariis assignatas permutent. Vt igitur hic Aelius Liguris cognomen sibi assumpserat, sic Staienus ille *Paeti* cogno-

igitur anno, magistratibus novis designatis, quum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem convertissent: princeps P. Lentulus, auctoritate ac sententia sua, Pisone et Gabinio repugnantibus, causam suscepit, tribunisque plebis octo referentibus, praestantissimam de me sententiam dixit. Qui quum ad gloriam suam, atque ad amplissimi beneficii gratiam magis pertinere videret, causam illam integram ad suum consulatum reservari, tamen rem talem per alios citius, quam per se tardius confici malebat.

XXXIII. Hoc interim tempore P. Sextius, iudices, designatus, iter ad C. Caesarem pro mea salute suscepit. Quid egerit, quantum profecerit, nihil ad causam; equidem existimo, si ille (ut arbitror) aequus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum; sin iratior, non multum; sed tamen sedulitatem atque integritatem hominis videtis. [Ingredior iam in Sextii tribunatum. Nam hoc primum iter designatus reipublicae causa suscepit.] [1] Pertinere et ad concordiam civium putavit, et ad perficiundi facultatem, animum Caesaris a causa non abhorrere.

Abiit ille annus, respirasse homines videbantur, nondum re, sed spe reipublicae recuperandae. Exierunt malis omnibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati; quibus utinam ipsis evenissent ea, quae tum homines precabantur! neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria, et cohortes optimas, perdidissemus. Ineunt magistratum tribuni plebis, qui omnes se de me promulgaturos confirmarant. Ex his princeps emitur ab inimicis

men delegerat (Cluent. c. 26) ne si se Ligurem fecisset nationis magis suae quam generis uti cognomine videretur.

Fuerit) *Fuerat* cod. Vrsin.

(1) Verba *ingredior* — *suscepit* interpolata esse videntur. Nam postea demum accedit ad initium novi tribunatus.

meis is, quem homines in luctu irridentes, Gracchum vocabant; quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur arrodere. Alter vero, non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli horreo calatis granis, in Calatinos Atilios insitus, subito nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit.

XXXIV. Veniunt Kalendae Ianuarii; vos haec me-

Gracchum vocabant) Per ironiam, quasi tribunum plebis valde popularem, vel potius quod filius esset illius Quintii, qui se olim Tiberii Gracchi filium esse simularat. Nam hic noster Quintius videtur filius fuisse illius insitivi Quintii, qui ex ergastulo productus se in Gracchorum familiam inserebat: unde et infra *Gracchus insitivus* vocatur. Urs.

Gracchum) Intelligitur Numerius Quintius.

Nitedula) Allegoria festiva a muribus, sive nitedulis a rubis aut vepretis ad rodendam segetem prodeuntibus: qua Numerii obscuritas et indignitas denotatur. Urs.

Alter vero) Sex. Atilius Serranus (vel Calatinus) Gavianus.

Non ille Serranus ab aratro) C. Atilius Serranus cos. A. V. 496. Valer. Max. IV, 4.

Ex deserto) Quum Gavii cuiusdam Olei filius esset, ab inopi ac vacuo patris horreo in Atiliam familiam per adoptionem transiit. Quod quasi iure quodam factum est. Nam quum in deserto illo Gavii horreo ita pauca grana essent, ut calarentur, hoc est, voce numerarentur, (paucitas enim mensuram non requirebat) merito hic eius filius a calatis granis in eam familiam, quae Calatini cognomen habet, insitus est. Man. Alii legunt *calathis gravis*, ut Orator insinuet S. Atilium Serranum illum tribunum plebis, qui cum Numerio descivit, non ab Atilio illo Serrano', qui Serrani nomen accepit, quia quum agrum suum sereret, ad Dictaturam ab aratro fuerat evocatus, tum Serrani, tum Calatini nomen habuisse, sed a calathis, quibus gravis, id est, onustus olim ad urbem accesserat. Abram.

Oleli) Nomen *Oleli* corruptum est. Perizonius Animadv. hist. c. 1 emendabat *Gavii Caepionis*.

Calatis granis) Ridiculum παρὰ προσδοκίαν. Alluditur enim ad *comitia calata* quibus arrogatio fiebat ap. pontifices. Simul paupertas notatur patris Gavii, qui grana in horreo deserto paene numerare s. calare poterat.

In tabulas relatis) Graevius *de tabulis censoriis* intelligit, in quas nomina Sexti Atilii Serrani vel Calatini post adoptionem *relata essent*. Ego vero, quia hic erat emptus s. corruptus a Clodianis, ne consentiret cum ceteris tribunis de revocando Cicerone promulgaturis, accipio de nominibus in tabulas argentariorum relatis.

Tabula sustulit) Scil. de tabula, ubi cum ceteris tribunis plebis subscripserat se de Ciceronis reditu promulgaturum.

lius scire potestis; equidem audita dico: quae tum frequentia senatus, quae exspectatio populi, qui concursus legatorum ex Italia cuncta, quae virtus, actio, gravitas P. Lentuli consulis fuerit, quae etiam collegae eius moderatio de me: qui quum inimicitias sibi mecum ex reipublicae dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit et temporibus reipublicae permissurum. Tum princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id, quod dignissimum republica fuit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus; non posse quemquam de civitate tolli sine iudicio; de capite non modo iudicari, sed ne ferri quidem posse, nisi comitiis centuriatis; vim fuisse illam, flammam quassatae reipublicae perturbatorumque temporum, iure iudiciisque sublatis; magna rerum perturbatione impendente, declinasse me paululum, et, spe reliquae tranquillitatis, praesentes fluctus tempestatemque fugisse. Quare, quum absens rempublicam non minus magnis periculis, quam quodam tempore praesens liberassem, non restitui me solum, sed etiam ornari a senatu decere. Disputavit etiam multa prudenter, ita de me illum amentissimum et profligatissimum hostem pudoris et pudicitiae scripsisse quae scripserat, iis verbis, rebus, sententiis, ut, etiamsi iure esset rogatum, tamen vim habere non posset. Quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed revocari senatus auctoritate oportere. Hunc, nemo erat, quin verissime sentire diceret. Sed

De capite non modo iudicari sed ne ferri quidem posse) Sic rescripsi sensu postulante. Vulgo *de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse.* At quae ista est gradatio? plus sane est, quum *iudicatur* a populo, quam quum tantummodo *fertur* ad populum, ut velit iudicare.

Perturbatione) Graevius quia praecessit *perturbatorum* coniecit *permutatione.* Ego malim *certamine.*

Hunc nemo erat) Cod. Franc. Dresd. ed. pr. *homo nemo erat.*

post eum rogatus Cn. Pompeius, approbata laudataque Cottae sententia, dixit, sese otii mei causa, ut omni populari concitatione defungerer, censere, ut ad senatus auctoritatem, populi quoque romani beneficium erga me adiungeretur. Quum omnes certatim, aliusque alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset, fieretque sine ulla varietate discessio: surrexit, ut scitis, Atilius hic Gavianus, nec ausus est, quum esset emptus, intercedere; noctem sibi ad deliberandum postulavit. Clamor senatus, querelae, preces, socer ad pedes abiectus. Ille se affirmare postero die moram nullam esse facturum. Creditum est; discessum est. Illi interea deliberatori merces, longa interposita nocte, duplicata est. Consequuti dies pauci omnino Ianuario mense, per quos senatum haberi liceret: sed tamen actum nihil, nisi de me.

XXXV. Quum omni mora, ludificatione, calumnia, senatus auctoritas impediretur, venit tandem concilii de me agendi dies, VIII Kalendas Febr. Princeps rogationis, vir mihi amicissimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. Quietus eo die Sextius, is, qui est de vi reus. Actor hic defensorque causae meae, nihil progreditur; consilia exspectat inimicorum meorum. Quid? illi, quorum consilio P. Sextius in iudicium vocatur, quo se pacto gerunt? Quum forum, comitium, curiam, multa de nocte, armatis hominibus ac servis plerisque occupavissent,

Quum esset emptus) H. e. etsi erat emptus s. pecunia corruptus, ut intercederet.

Socer) Cn. Oppius. Vid. orat. post red. ad Quir.

Concilii de me agendi dies) In cdd. primis est *consilii*, quod recte in *concilii* mutatum est. Sermo est enim de concione populi, sed verbum totum suspectum est, meliusque absit. Nam accipiendum est sic, ut concilii dies fuerit, in quo ageretur de Ciceronis revocatione. Sed id est durum, et *concilium habere* dicitur, non *agere*. Ern.

Armatis hominibus ac servis plerisque) I. e. ut recte Ernestius exponit, quorum maxima pars erant servi. Ita

impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos; venientem in forum, virum optimum et constantissimum, M. Cispium, tribunum plebis, vi depellunt; caedem in foro maximam faciunt; universique, destrictis gladiis et cruentis, in omnibus fori partibus, fratrem meum, virum optimum, fortissimum, meique amantissimum, oculis quaerebant, voce poscebant. Quorum ille telis libenter, in tanto luctu ac desiderio mei, non depugnandi, sed moriendi causa corpus obtulisset suum, nisi suam vitam ad spem mei reditus reservasset. Subiit tamen vim illam nefariam consceleratorum latronum: et, quum ad fratris salutem a populo romano deprecandam venisset, pulsus e Rostris, in comitio iacuit, seque servorum et libertorum corporibus obtexit, vitamque tum suam noctis et fugae praesidio, non iuris iudiciorumque defendit. Meministis tum, iudices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri, e foro spongiis effingi sanguinem, ut omnes tantam illam copiam, et tam magnificum apparatum, non privatum, aut plebeium, sed patricium et praetorium esse arbitrarentur.

XXXVI. Nihil, neque ante hoc tempus, neque hoc ipso turbulentissimo die, criminationis esse in Sextium. Atqui vis in foro versata est. Certe. Quando enim

opus non est, quod Gulielmio in mentem venerat corrigere *operisque*.

Depugnandi) Hoc Hotom. e cod. MS. invenit, sane melius volgato *repugnandi*. Sine causa Ern. totam hanc sententiam *in tanto luctu — moriendi causa* alienam esse censuit, et interpolatori tribuendam.

Illam copiam — esse arbitrarentur) Recte significat illam armatorum hominum turbam non a Clodio, plebeio, qui tum deposito tribunatu privatus erat collectam, sed ab Appio Claudio eius fratre, patricio et praetore, ei commodatam fuisse.

Criminationis esse in Sextium) Sic edd. pr. Lambinus *criminamini in Sextium*, quod retinuit Grul. At Graevius veterem lectionem restituit, eumque sequutus est Ern. qui tamen maluit *criminis*.

maior? Lapidationes persaepe vidimus; non ita saepe, sed nimium tamen saepe gladios; caedem vero tantam, tantos acervos corporum exstructos, nisi forte illo Cinnano atque Octaviano die, quis unquam in foro vidit? qua ex concertatione animorum? Nam ex pertinacia, aut constantia intercessoris oritur saepe seditio, culpa atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis, aut largitione proposita; oritur ex concertatione magistratuum; oritur sensim ex clamore primum, deinde aliqua discessione concionis; vix. sero et raro ad manus pervenitur: nullo vero verbo facto, nulla concione advocata, nulla lege recitata concitatam nocturnam seditionem, quis audivit? An verisimile est, ut civis romanus, aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui ab illo pestifero ac perdito cive iampridem reipublicae sanguine saginantur? Hic iam de ipso accusatore quaero, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu, et cum praesidio magno fuisse: num illo die fuerit. Certe, certe non fuit. Victa igitur est causa reipublicae, et victa, non auspiciis, non intercessione, non suffragiis; sed vi, manu, ferro. Nam, si obnuntiasset Fabricio is praetor, qui se servaturum esse de caelo dixerat, accepisset respublica plagam, sed eam, quam acceptam gemere, non queri posset; si intercessisset collega Fa-

Ex pertinacia, aut constantia) Pertinacia, quum intercreditur salutari legi: constantia, quum perniciosae. Man.

Nulla lege recitata) Sic Grut. e cod. Pal. nono. Lambin. ediderat *promulgata*.

An verisimile est) Haec Lambinus delenda esse putabat.

Servaturum esse de caelo) Ita legendum esse Ernestius vidit, non ut vulgo *servasse de caelo*. Etenim si dixisset *se servasse de caelo*, tum haec ipsa iam fuisset obnuntiatio. Praetor autem qui *se servaturum* de caelo dixerat est Ap. Claudius frater P. Clodii.

Non quaeri) Haec inseroi, adscripta, teste Vrsino, ad oram codicis viri docti; sunt enim ad sensum

bricio, laesisset rempublicam, sed rempublicam iure laesisset. Gladiatores tu novitios, pro exspectata aedilitate suppositos, cum sicariis e carcere emissis ante lucem immittas? magistratus templo deiicias? caedem maximam facias? [forum purges?] et, quum omnia vi et armis egeris, accuses eum, qui se praesidio munierit, non ut te oppugnaret, sed ut vitam suam posset defendere?

XXXVII. Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, ut a suis munitus, tuto in foro magistratum gereret, rempublicam administraret. Itaque fretus sanctitate tribunatus, quum se non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba atque interfationem legibus sacratis esse armatum putaret, venit in templum Castoris; obnuntiavit consuli; quum subito manus illa Clodiana, in caede civium saepe iam victrix, exclamat, incitatur, invadit; inermem atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum et fustibus; a quibus hic, multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore et contrucidato,

prorsus necessaria. Cicero enim hoc dicit: si praetor obnuntiasset Fabricio, scil. ut comitia illa dirimerentur, viri boni, qui Ciceroni favebant, gemere potuissent plagam rei publicae hac obnuntiatione acceptam, non tamen queri potuissent, quia praetor iure suo usus esset.

Pro exspectata aedilitate) Quam eodem tempore petebas, quo has seditiones in Republ. concitasti. Aedilium vero fuit ludos exhibere: et eam ob rem aedilitatis candidati longe ante gladiatorum familias, belluas, et cetera ad ludos necessaria sibi comparabant. Abr.

Immittas?) *Immittere*, subornare aliquem sive ad interficiendos alios, sive ad impediendos, ut quod volunt efficiant. Graev.

Forum purges?) Haec Ernestius interpolatori tribuit, qui hoc superioribus similius facere vellet. Cui prorsus assentior. Manutius coniiciebat *forum spurces*; alii *forum purges* interpretantur *populum dissipes* (Turn. forum reddere infrequens. T.)

Interfationem) Nam non licebat tribuno plebis loquenti interfari, seu interloqui. Lamb.

Consuli) Q. Metello habituro, ut puto, comitia aedilium. Ep. 3, lib. IV ad Attic. Ferr.

Fragmentis septorum) I. e. lapidibus, quos a septis comitiorum refregerant.

se abiecit exanimatus: neque ulla alia re ab se mortem, nisi opinione mortis depulit. Quem quum iacentem et concisum plurimis vulneribus extremo spiritu exsanguem et confectum viderent, defatigatione magis et errore, quam misericordia et modo, aliquando caedere destiterunt. Et causam dicit Sextius de vi? Quid ita? quia vivit. At id non sua culpa. Plaga una illa extrema defuit: quae si accessisset, reliquum spiritum exhausisset. Accusa Lentidium; non percussit locum; maledicito Sabinio, homini Reatino, cur tam tempori exclamarit occisum. Ipsum vero quid accusas? num defuit gladiis? num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit? An haec ipsa vis est, non posse emori? an illa, quod tribunus plebis templum cruentavit? an, quod, quum esset ablatus, primumque resipuisset, non se referri iussit? Vbi est crimen, quod reprehenditis? Hic quaero, iudices, si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset; si P. Sextius, qui pro occiso relictus est, occisus esset: fuistisne ad arma ituri? fuistisne vos ad patrium illum animum, maiorumque virtutem excitaturi? fuistisne aliquando rempublicam a funesto latrone repetituri? an etiam tunc quiesceretis, cunctaremini, timeretis, quum rempublicam a facinorosissimis sicariis, et a servis esse oppressam atque occupatam videretis? Cuius igitur mortem ulcisceremini, siquidem liberi esse, et habere rempublicam cogitaretis; de eius virtute viri quid vos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid iudicare oporteat, dubitandum putatis?

XXXVIII. At vero illi ipsi parricidae, quorum effrenatus furor alitur impunitate diuturna, adeo vim

Et modo) I. e. animi moderatione. *Reliquum spiritum exhausisset*) I. e. plane letalis fuisset.

facinoris sui perhorruerant, ut, si paulo longior opinio mortis Sextii fuisset, Gracchum illum suum, transferendi in nos criminis causa, occidere cogitarint. Sensit rusticulus non incautus (neque enim homines nequam tacere potuerunt), suum sanguinem quaeri ad restinguendam invidiam facinoris Clodiani; mulionicam penulam arripuit, cum qua primum Romam ad comitia venerat; messoria se corbe contexit. Quum quaererent alii Numerium, alii Quintium, gemini nominis errore servatus est. Atque hoc scitis omnes, usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sextium vivere. Quod nisi esset patefactum paulo citius, quam vellem, non illi quidem morte mercenarii sui transferre potuissent invidiam in quos putabant, sed acerbissimi sceleris infamiam grato quodam scelere minuissent. Ac si tunc P. Sextius, iudices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito, quin, si modo esset in republica senatus, si maiestas populi romani revixisset, aliquando statua huic, ob rempublicam interfecto, in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam, quos a maioribus nostris, morte obita, positos in illo loco, atque in Rostris collocatos videtis, esset P. Sextio aut acerbitate mortis, aut animo in rempublicam praeponendus: qui quum causam civis calamitosi, causam amici, causam bene de republica meriti, causam senatus, causam Italiae, causam reipublicae suscepisset; quumque auspiciis religionique parens

Gracchum illum suum) Numerium Quintum Gracchum, quem Clodiani occidere cogitarunt, ut a Sextianis interfectus putaretur. MAN.

Potuerunt) Ernestius coni. *potuerant.*

Mulionicam penulam) Vestem rusticanam arcendis pluviis idoneam, qua utuntur muliones et agasones. Lepide vero fingit Quintium eadem penula fuisse indutum, quum primum Romam ad comitia venit quaesturam petiturus. Ex his enim fictis narrationibus, ut dicitur I de Oratore, orationi lepos adspergitur. ABRAM.

obnuntiaret, quod senserat: luce, palam, a nefariis pestibus in deorum hominumque conspectu esset occisus, sanctissimo in templo, sanctissima in causa, sanctissimo in magistratu. Eius igitur vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?

XXXIX. Homines, inquit, emisti, coëgisti, parasti. Quid uti faceret? senatum obsideret? cives indemnatos expelleret? bona diriperet? aedes incenderet? tecta disturbaret? templa deorum immortalium inflammaret, tribunos plebis ferro e Rostris expelleret? provincias, quas vellet, quibus vellet, venderet, reges appellaret? rerum capitalium condemnatos, in liberas civitates per legatos nostros reduceret, principem civitatis ferro obsessum teneret? haec ut efficere posset, quae fieri, nisi armis oppressa republica, nullo modo poterant, idcirco, credo, manum sibi P. Sextius et copias comparavit. At nondum erat maturum; nondum res ipsa ad eiusmodi praesidia viros bonos compellebat; pulsi nos eramus, non omnino ista manu sola, sed tamen non sine ista: vos taciti moerebatis. Captum erat forum anno superiore, aede Castoris, tanquam arce aliqua, a fugitivis occupata; silebatur. Omnia hominum, tum egestate, tum audacia perditorum, clamore, concursu, vi, manu gerebantur; perferebatis. Magistratus templis pellebantur; alii omnino aditu ac foro prohibebantur; nemo resistebat. Gladiatores ex praetoris comitatu comprehensi,

Obnuntiaret, quod senserat) Pantagatbus *renuntiaret quod servarat*.

At nondum erat maturum) Vt armis contra cives improbos viri boni uterentur. Cur autem maturum nondum esset, causam subiungit. MAN.

Non omnino ista manu sola) Non a Clodianis tantum operis, sed et a consulibus ipsis. ID.

Vos taciti moerebatis) Ita codd. Pal. nonus, Gembl. Erfurt; *mirabamini* Lamb. Gothofr. al. *moerebamini* alii.

Ex praetoris) Ap. Claudii Pulcri, P. Clodii fratris, MAN.

in senatum introducti, confessi, in vincula coniecti a Milone, emissi a Serrano; mentio nulla. Forum corporibus civium romanorum constratum caede nocturna. Non modo nulla nova quaestio, sed etiam vetera iudicia sublata. Tribunum plebis plus viginti vulneribus acceptis iacentem moribundumque vidistis; alterius tribuni plebis, divini hominis (dicam enim quod sentio, et quod mecum sentiunt omnes), divini, insigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide praediti, domus est oppugnata ferro, facibus, exercitu Clodiano.

XL. Et tu hoc loco laudas Milonem, et iure laudas. Quem enim unquam virum tam immortali virtute vidimus? qui, nullo praemio proposito, praeter hoc, quod iam contritum et contemptum putatur, iudicium bonorum, omnia pericula, summos labores, gravissimas contentiones inimicitiasque suscepit; qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuisse, non verbis, quid oporteret a praestantissimis viris in republica fieri, et quid necesse esset: oportere hominum audacium, eversorum reipublicae sceleri, legibus et iudiciis resistere; si leges non valerent, iudicia non essent, si respublica vi, consensuque audacium, armis oppressa teneretur, praesidio et copiis defendi vitam et libertatem necesse esse. Hoc sentire, pru-

A Serrano) Tribunus enim plebis, alterius tribuni acta poterat rescindere. Id.

Nova quaestio) Nova quaestio est, quum ob criminis atrocitatem, nova lege lata, de aliquo quaeritur. Quod in causa Milonis ob necem P. Clodii factum est. Id.

Alterius tribuni) Milonis.

Hoc loco laudas Milonem) Laudaverat, opinor, Milonem Sextii accusator, quod oppugnatam a Clodio domum defendisset. *Hoc loco*, inquit, id est quum de oppugnata domo mentio fit. Et est imperfecta oratio: deest enim, quum Sextium accuses. Quod absolute dixit infra. Man.

Praestantissimis viris) Graev. e cod. Franc. *praestantibus*.

Sceleri) *Sceleribus* cod. Franc. Dresd. ed. pr. Mediol. Ascens. Cratandr. Graev. At *sceleri* dedit Victor, praetulitque Ern. ut elegantius ad vitandam homoeoteleuton.

dentiae est; facere, fortitudinis; et sentire vero, et facere, perfectae cumulataeque virtutis. Adiit ad rempublicam tribunus plebis, Milo: de cuius laude plura dicam, non quo aut ipse haec dici, quam existimari malit, aut ego hunc laudis fructum praesenti libenter impertiam, praesertim quum verbis consequi non possim: sed quod existimo, si Milonis causam accusatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextii causam existimaturos. Adiit igitur T. Annius ad causam reipublicae, sic ut civem patriae recuperare vellet ereptum. Simplex causa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae. Collegas adiutores habebat; consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus. De praetoribus unus alienus; senatus incredibilis voluntas; equitum romanorum animi ad causam excitati; erecta Italia. Duo soli erant empti ad impediendum: qui si homines despecti, et contempti, tantam rem sustinere non potuissent, se causam, quam susceperat, nullo labore peracturum videbat. Agebat auctoritate, agebat consilio, agebat per summum ordinem, agebat exemplo bonorum et fortium civium: quid republica, quid se dignum esset, quis ipse esset, quid sperare, quid maioribus suis reddere deberet, diligentissime cogitarat.

XLI. Huic gravitati hominis, videbat ille gladiator, se, si moribus ageret, parem esse non posse; ad ferrum, ad faces, ad quotidianam caedem, incendia, rapinas, se cum exercitu suo contulit; domum op-

Sic ut civem patriae recuperare vellet ereptum) Lambin. dedit *sicut qui civem patriae recuperare vellet ereptum.* Amicus Vrsiui sic emendandum putavit: *sicut civem par erat, qui rempubl. recuperare vellet.*

Sustinere) Si consilium intercedendi omitterent. MAN.

Si moribus ageret) Vsitatum est, pro *si legibus ageret*: hoc est, si more institutoque civitatis ei resisteret. HOT.

pugnare, itineribus occurrere, vi lacessere, et terrere coepit. Non movit hominem summa gravitate, summaque constantia: sed quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellensque virtus, fortissimum virum hortabantur, vi vim oblatam, praesertim saepius, ut frangeret et refutaret: tanta moderatio fuit hominis, tantum consilium, ut contineret dolorem, neque eadem se re ulcisceretur, qua esset lacessitus; sed illum tot iam funeribus reipublicae exsultantem ac tripudiantem, legum, si posset, laqueis constringeret. Descendit ad accusandum. Quis unquam tam proprie reipublicae causa, nullis inimicitiis, nullis praemiis, nulla hominum postulatione, aut etiam opinione, id unquam esse facturum? Fracti erant animi hominis. Hoc enim accusante, pristini illius sui iudicii turpitudinem desperabat. Ecce tibi consul, praetor, tribunus plebis, [1] nova novi generis edicta proponunt: Ne reus adsit, ne citetur, ne quaeratur, ne mentionem omnino cuiquam iudicum aut iudiciorum facere liceat. Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi sceleratorum hominum corroborata, legibus iudiciisque sublatis? Cervices tribunus plebis privato, praestantissimus vir profli-

Tanta moderatio fuit hominis) *Tamen* addidit Lamb.

Quis umquam tam proprie) Sic Victor. Lamb. Manut. Ern. *propriae* Grut. At Graev. malebat *prompte*.

Id umquam esse facturum) Haec verba pendent *ab opinione*. Nulla scil. erat hominum opinio Milonem id umquam esse facturum ut Clodium accusaret. Frustra hic viri docti haeserunt. Sic pro leg. Manil. c. 9, *erat — opinio — exercitum esse adductum*.

Sui iudicii turpitudinem desperabat) De turpitudine iudicii quo Clodius de incestu absolutus est cf. Ep. ad Att. I, 16.

(1) Metellus, Appius, Serranus. Man.

Ne reus adsit) Ne Clodius accusatus a Milone iudicii diem obeat, ut scilicet Clodius factus aedilis e iudicii tendiculis evolaret. Abram.

Ne quaeratur) Ne res in iudicio cognoscatur. Huc illa pertinent ex oratione post red. in Sen. *Primo de vi postulavit: postea quam ab eodem iudicia sublata esse vidit, ne ille omnia vi posset efficere, curavit*. Man.

gatissimo homini daret? an causam susceptam affligeret? an se domi contineret? Et vinci turpe putavit, et deterreri. Etiam e republica credidit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in reipublicae periculo pertimesceret.

XLII. Quomodo igitur hoc in genere praesidii comparati accusas Sextium, quum idem laudes Milonem? An, qui sua tecta defendit; qui ab aris, focis, ferrum flammamque depellit; .... qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia; qui vitae praesidium comparat; qui vulneribus, quae cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo praesidio caput et cervices et iugulum ac latera tutetur: hunc de vi accusandum putas? Quis enim vestrum, iudices, ignorat, ita naturam rerum tulisse, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali, neque civili iure descripto, fusi per agros ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera aut eripere aut retinere potuissent? Qui igitur primi virtute et consilio praestanti exstiterunt, ii perspecto genere humanae docilitatis atque ingenii, dissipatos unum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad iustitiam atque mansuetudinem transduxerunt. Tum res ad communem utilitatem, quas publicas appellamus; tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt; tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento et divino et humano iure,

Affligeret?) Ern. coni. *amitteret.*

Etiam e republica credidit) Pulcre h. l. correxit Lambinus: antea corrupte sic editum *et deterreri etiam e rep. reiecit.*

Qui sua tecta — depellit) Manutius putabat haec ad Milonem referri, ideoque addendum esse *eum laudas* post verbum *depellit*, quod sane est probabile.

Movetur) Cod. Memmii *monetur.*

Tum res ad communem utilitatem) Sic ed pr. Graev. Ern. al. *res communem utilitatem continentes* ed. Manut. Mediol. *res ad communem utilitatem pertinentes.* Lamb.

moenibus sepserunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, et illam immanem, nihil tam interest, quam ius atque vis. Horum utro uti nolimus, altero est utendum. Vim volumus exstingui? ius valeat necesse est, id est, iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia displicent, aut nulla sunt? vis dominetur necesse est. Haec vident omnes; Milo et vidit, et fecit, ut ius experiretur, vim depelleret. Altero uti voluit, ut virtus audaciam vinceret; altero usus necessario est, ne virtus ab audacia vinceretur. Eademque ratio fuit P. Sextii, si minus in accusando (neque enim per omnes fuit idem necesse fieri), at certe in necessitate defendendae salutis suae, praesidioque contra vim et manum comparando.

XLIII. O dii immortales! quemnam ostenditis exitum nobis? quam spem reipublicae datis? quotus quisque invenietur tanta virtute vir, qui optimam quamque causam reipublicae amplectatur? qui bonis viris deserviat? qui solidam laudem veramque quaerat? quum sciat, duo illa reipublicae paene fata, Gabinium et Pisonem, alterum haurire quotidie ex pacatissimis atque opulentissimis Syriae gazis innumerabile pondus auri; bellum inferre quiescentibus, ut eorum veteres illibatasque divitias, in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat; villam aedificare in oculis omnium tantam, tugurium ut iam videatur esse illa villa, quam ipse tribunus plebis pictam olim in con-

Tugurium ut iam videatur esse illa villa) Luculli scilicet, quem Gabinius quum A. V. C. 686 tribunus plebis esset, hac ratione in invidiam vocabat. — Manutius intelligit P. Clodium. Hic *accusavit*, infra vero, *accusat* dicit: quia, ait idem Manutius, et iam acta res erat, et in Quirinalia dilata fuerat, indeque in nonas Maias. Est enim accusatus Milo, antequam Sextius postularetur: et tamen, absoluto iam Sextio, reus adhuc fuit, re dilata: ut in libro II ad Quintum fratrem epist. 3 et 6 scriptum est. MAN.

cionibus explicabat, quo fortissimum ac summum civem in invidiam homo castus, ac non cupidus vocaret: alterum Thracibus ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vendidisse; deinde, ut illi pecuniam conficere possent, vexandam his Macedoniam et spoliandam tradidisse; eundemque bona creditorum, civium romanorum, cum debitoribus graecis divisisse; cogere pecunias maximas a Dyrrhachinis, spoliare Thessalos, certam Achaeis in annos singulos pecuniam imperavisse: neque tamen ullo in publico aut religioso loco signum, aut tabulam, aut ornamentum reliquisse? hos sic illudere, quibus omne supplicium atque omnis iure optimo poena debetur; reos esse hos duos, quos videtis? Omitto iam Numerium, Serranum, Aelium, quisquilias seditionis Clodianae: sed tamen hi quoque etiam nunc volitant, ut videtis; nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi unquam de se pertimescent.

XLIV. Nam quid ego de aedile ipso loquar, qui etiam diem dixit, et accusavit de vi Milonem? Neque hic tamen ulla unquam iniuria adducetur, ut eum tali virtute, tantaque firmitate animi se in rempublicam fuisse poeniteat: sed, qui haec vident, adolescentes, quonam suas mentes conferent? Ille, qui monumenta publica, qui aedes sacras, qui domos inimicorum suorum oppugnavit, excidit, incendit, qui stipatus semper sicariis, septus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui et peregrinam manum facinorosorum concitavit, et servos ad caedem idoneos emit, et in tribunatu carcerem totum in forum effudit, volitat aedilis; accusat eum, qui ali-

Hos duos) Sextium et Milonem.

De aedile ipso) P. Clodio.

Munitus indicibus fuit) Lamb. sine libris edidit *audacibus*. In MS. Franc. est *septus armatis municipibus fuit*

qua ex parte eius furorem exsultantem repressit. Hic, qui se est tutatus sic, ut in privata re deos penates suos, in republica iura tribunatus auspiciaque defenderet, accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.

XLV. Nimirum hoc illud est, quod de me potissimum tu in accusatione quaesisti, quae esset nostra natio optimatium : sic enim dixisti. Rem quaeris praeclaram iuventuti ad discendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. De qua pauca, iudices, dicam; et, ut arbitror, nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio nostro, nec ab ipsa causa P. Sextii abhorrebit oratio mea. Duo genera semper in hac civitate fuerunt eorum, qui versari in republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt: quibus ex generibus alteri se populares, alteri optimates et haberi et esse voluerunt. Qui ea, quae faciebant, quaeque dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares: qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. Qui ergo isti optimates? qui? De numero si quaeris, innumerabiles: neque enim aliter stare possemus. Sunt principes consilii publici; sunt, qui eorum sectam sequuntur; sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia; sunt municipales, rusticique romani; sunt negotia gerentes; sunt etiam libertini optimates. Numerus, ut dixi, huius generis, late et varie diffusus est: sed genus universum (ut tollatur error) brevi circumscribi et definiri potest. Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec

Qui ergo isti optimates? qui) Sic recte Lambin. Id enim tota huius loci perpetuitas postulat. Gruterus restituit lectionem antiquam, quam habet etiam cod. Pal. nonus et S. Vict. *quis ergo iste optimus quisque?* Ed. Gothofr. *quis ergo optimus ille? quis?*

malis domesticis impediti. Esto igitur, ut hi sint, quam tu nationem appellasti, quiqui integri sunt, et sani, et bene de rebus domesticis constituti. Horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica serviunt, defensores optimatium, ipsique optimates gravissimi, et clarissimi cives numerantur, et principes civitatis. Quid est igitur propositum his reipublicae gubernatoribus, quod intueri, et quo cursum suum dirigere debeant? Id quod est praestantissimum maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, cum dignitate otium. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, summi viri, et conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non prospiciant: neque ullum amplexari otium, quod abhorreat a dignitate.

XLVI. Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus, et vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestates magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iurisdictio, fides, provinciae, socii, imperii laus, res militaris, aerarium. Harum rerum tot atque tantarum esse defensorem et patronum, magni animi est, magni ingenii, magnaeque constantiae. Etenim in tanto civium numero magna multitudo est eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesque reipublicae quaerant; aut qui propter insitum quendam animi furorem, discordiis civium ac seditione

Quiqui integri sunt — constituti) Haec a nonnullis MSS. et edd. abesse testatur Lambinus, nec ea in cod. antiquo reperit Manutius. Vterque ea delenda censebat. Sane nihil desideraretur, si sola sententia *esto igitur — constituti* abesset. Verba *quam tu nationem appellasti* aptius post illa *sed genus universum* ponerentur.

Numerantur) Edd. nonnullae ut Gothofr. *nominantur*.

Qui aut) *Aut qui* Lamb.

pascantur; aut qui, propter implicationem rei familiaris communi incendio malint, quam suo, deflagrare. Qui quum auctores sunt et duces suorum studiorum vitiorumque nacti, in republica fluctus excitantur; ut vigilandum sit iis, qui sibi gubernacula patriae depoposcerunt, enitendumque omni scientia ac diligentia, ut, conservatis his, quae ego paulo ante fundamenta ac membra esse dixi, tenere cursum possint, et capere otii illum portum et dignitatis. Hanc ego viam, iudices, si aut asperam, aut arduam, aut plenam esse periculorum aut insidiarum negem, mentiar: praesertim quum id non modo intellexerim semper, sed etiam praeter ceteros senserim.

XLVII. Maioribus praesidiis et copiis oppugnatur respublica, quam defenditur, propterea quod audaces homines et perditi nutu impelluntur, et ipsi etiam sponte sua contra rempublicam incitantur: boni, nescio quomodo tardiores sunt, et, principiis rerum neglectis, ad extremum ipsa denique necessitate excitantur; ita ut nonnunquam cunctatione, ac tarditate, dum otium volunt etiam sine dignitate retinere, ipsi utrumque amittant. Propugnatores autem reipublicae qui esse voluerunt, si leviores sunt, desciscunt; si timidiores, desunt; permanent illi soli,

Omni scientia) Holomannus malebat *omni studio*, quod probat Ern. quum haec duo iungi soleant ubi de rebus agendis sermo est. Hic tamen ubi metaphora ducta est a gubernatore navis, in quo non solum diligentia, sed etiam scientia laudatur, ut Inv. I, 34, vulgata retinenda.

Nutu impelluntur) Vel minima significatione voluntatis eorum, quos auctores, et suorum studiorum vitiorumque duces nacti fuerint, incitantur ad perturbandam remp. ABRAM.

Desciscunt) Scil. optimatibus ad populares aut seditiosos.

Si timidiores, desunt) Nota singulorum verborum vim et proprietates. Leviores desciscunt, idest, mutata voluntate ab optimatibus transvolant ad populares: timidiores desunt, id est, non adsunt reip. sive quum maxime opus est non audent tueri remp. GRAEV. —*Desunt*) Idem Graevius corrigebat *deserunt*.

atque omnia reipublicae causa perferunt, qui sunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui a Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit; quem nulla unquam vis, nullae minae, nulla invidia labefecit: aut qualis Q. Metellus, patruus matris tuae, qui, quum florentem hominem in populari ratione, L. Saturninum, censor notasset, quumque insitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatae censu prohibuisset, quumque in eam legem, quam non iure rogatam iudicarat, iurare unus noluisset; de civitate maluit, quam de sententia demoveri: aut (ut vetera exempla, quorum est copia digna huius imperii gloria, relinquam, neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem), qualis nuper Q. Catulus fuit, quem neque periculi tempestas, neque honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu demovere.

XLVIII. Haec imitamini, per deos immortales! qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quaeritis. Haec ampla sunt, haec divina, haec immortalia; haec fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Est labor; non nego. Pericula magna; fateor.

Multae insidiae sunt bonis: [1]

verissime dictum est.

Insitivum Gracchum) C. Quintium Gracchum, qui se Ti. Gracchi filiom simulabal esse. Quo mendacio plebem usque eo decepil, atqoe induxit, ul tribunus plebis desigoalus sit: quum tamen e Firmo Piceno, obscurissima stirpe, alque adeo servili sanguioe genilus esset. Vide Or. pro C. Rabirio c. 7. MAN.

Multae insidiae) Iovis filium, Aeacam fortasse, Accius poëta induxit suis liberis haec praecipienlem, qoae Cicero et hic, et in oratione pro Plancio ad soam sententiam accommodal. Accii vero, ul haec esse exislimem, facit illud, quod sequilur, *Oderint, dum metuant:* quod Cicero eiosdem poëtae dicil esse. Porro id ex Accii lragoedia, Alreo, ul opinor, sumplum esse, osleodil Annaeos Seneca libro de Clementia II, quod Officiorum lib. I, 28 plane cogooscilur. Vsurpaulur el Philippica I. ID.

(1) De his Attii poëtae versiculis vid. not. ad Orat. pro Plancio

Sed te id, quod multi invideant, multique expetant,
Inscitia sit, inquit. *postulare*,
Si tu laborem summa cum cura afferas
Nullum. —

Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives,

Oderint, dum metuant.

praeclara enim illa praecepta dederat iuventuti. Sed tamen haec via, haec ratio reipublicae capessendae, olim erat magis pertimescenda, quum multis in rebus multitudinis studium ac populi commodum ab utilitate reipublicae discrepabat. Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur. Populus libertatem agi putabat suam. Dissentiebant principes, et in salute optimatium, temeritatem multitudinis, et tabellae licentiam pertimescebant. Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat. Grata erat populo. Fortunae constitui tenuiorum videbantur. Nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant; et, quum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Iucunda res plebi romanae.

c. 24. — At ibi in editionibus legitur *Ne te id* pro *Sed te id*. T.

Afferas) Correxi *afferas*, sensu postulante. Id iam Abramius senserat.

Ac populi commodum) Sic recte correxit Lambin. Vulgo *ad populi commodum*. Ernestius suspicabatur totum esse insititium, quia toto in loco tantum studia populi commemorentur. Attamen in sequentibus notantur commoda quae sibi populus ab istis legibus speraverit.

Tabellaria lex) L. Cassius legem tulit, ut quum de capite civis comitiis centuriatis ageretur, non voce, sed tabella ferretur suffragium. Populus hanc legem ferri expetebat, ratus se liberius tabella quam voce laturum esse suffragium, et evitaturos esse singulos invidiam apud eos, eorumque amicos et consanguineos, quos singuli quique damnassent. Dissentiebant principes civitatis, periculosum esse rati optimatium salutem occulto plebis suffragio committere, quae licentiam et impunitatem nacta facile damnaret innocentes. Abram.

Victus enim suppeditabatur large sine labore. Repugnabant boni, quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabant, et aerarium exauriri videbatur.

XLIX. Multa etiam nostra memoria, quae consulto praetereo, fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas a consilio principum dissideret. Nunc iam nihil est, quod populus a delectis principibusque dissentiat; nec flagitat rem ullam, neque novarum rerum est cupidus, et otio suo, et dignitate optimi cuiusque, et universae reipublicae gloria delectatur. Itaque homines seditiosi ac turbulenti, quia nulla iam largitione populum romanum concitare possunt, quod plebs perfuncta gravissimis seditionibus ac discordiis otium malle videatur, conductas habent conciones; neque id agunt, ut ea dicant, aut ferant, quae illi velint audire, qui in concione sunt; sed pretio ac mercede perficiunt, ut, quidquid dicant, id illi velle audire videantur. Num vos existimatis, Gracchos, aut Saturninum, aut quemquam illorum veterum, qui populares habebantur, ullum unquam in concione habuisse conductum? Nemo habuit. Ipsa enim largitio, et spes commodi propositi, sine mercede ulla multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graves et honestos homines, sed populi iudiciis atque omni significatione florebant. His in theatro plaudebatur: hi suffragiis, quod contenderant, consequebantur. Horum homines nomen, orationem, vultum, incessum amabant. Qui autem adversabantur ei generi, graves et magni homines habebantur; sed valebant in senatu multum, apud bonos viros plurimum; multitudini iucundi non erant; suffragiis offendebatur saepe eorum voluntas; plausum vero

etiam si quis eorum aliquando acceperat, ne quid peccasset, pertimescebat. Attamen, si qua res erat maior, idem ille populus, horum auctoritate maxime commovebatur.

L. Nunc, nisi me fallit, in eo statu civitas est, ut, si operas conductorum removeris, omnes idem de republica sensuri esse videantur. Etenim tribus locis significari maxime populi romani iudicium ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. Quae concio fuit per hos annos, quae quidem esset non conducta, sed vera, in qua populi romani consensus perspici non posset? Habitae sunt multae de me a gladiatore sceleratissimo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer; nemo illum foedum vultum aspicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant, erant illae conciones perditorum hominum necessario turbulentae. Habuit de eodem me P. Lentulus consul concionem. Concursus est populi romani factus; omnes ordines, tota in illa concione Italia constitit. Egit causam summa cum gravitate copiaque dicendi, tanto silentio, tanta approbatione omnium, nihil ut unquam videretur tam populare ad populi romani aures accidisse. Productus est ab eo Cn. Pompeius, qui se non solum auctorem meae salutis, sed etiam supplicem populo romano exhibuit. Huius oratio et pergravis, et grata concioni fuit. Sic contendo, nunquam neque sententiam eius, auctoritate, neque eloquentiam, iucunditate fuisse maiore. Quo silentio sunt auditi de me ceteri principes civitatis? quos idcirco non appello hoc loco, ne

Nunc, nisi me fallit) Hotomannus et Ernestius negant alibi hoc sic nude positum reperiri. Sane frequentius est *nisi quid me fallit*, aut *nisi me fallit animus*. Attamen eadem illa forma occurrit ad Att. XIV, 12.

Iucunditate fuisse maiore) Ita correxerunt Ant. Augustinus et Ursinus qui id in MS. invenit. Vulgo *maiorem*. Probaverunt Hotom. Ern.

mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur. Cedo nunc eiusdem illius inimici mei de me eodem ad verum populum in campo Martio concionem. Quis non modo approbavit, sed non indignissimum facinus putavit, illum non dicam loqui, sed vivere ac spirare? quis fuit, qui non eius voce maculari rempublicam, seque, si eum audiret, scelere adstringi arbitraretur?

LI. Venio ad comitia, sive magistratuum placet, sive legum. Leges videmus saepe ferri multas. Omitto eas, quae feruntur ita, vix ut quini, et hi ex alia tribu, qui suffragium ferant, reperiantur. De me, quem tyrannum atque ereptorem libertatis esse dicebat, in illa ruina reipublicae dicit se legem tulisse. Quis est, qui se, quum contra me ferebatur, inisse suffragium confiteatur? quum autem de me eodem ex senatusconsulto, comitiis centuriatis, ferebatur, quis est, qui non profiteatur se affuisse, et suffragium de salute mea tulisse? Vtra igitur causa popularis debet videri: in qua omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt; an in qua furiae concitatae, tanquam ad funus reipublicae convolant? An, sicubi aderit Gellius, homo et fratre indignus, viro clarissimo, et ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit, id

Viro clarissimo) Vulgo addebatur *atque optimo consule*. Gellius ille non hoc anno, sed A. V. 681 cum Cn. Cornelio Lentulo cos. fuit.

Ornamenta confecit) Quadriogenta millia nummum. Haec enim ad equestrem dignitatem ornandam necessaria erant. Quod si cui minus esset, eques esse non poterat. Itaque Horatius: *Si quadringentis sex septem millia desunt, Plebs erit.* Vide et Fam. X ep. ad Brutum. . . . . Equites equestri loco a censore movebantur, vel ob tenuitatem, vel ob culpam. Gellius ob tenuitatem movendus erat: ideo tamen moveri non potuerat, quia detrimentum illud rei familiaris post conditum lustrum fecerat. Vt, etiam si quadringenta millia possidere desiisset, in equestri tamen ordine eo usque permanere posset, donec censores creati cuiusque rem aestimarent: equestri censu senatores, equites, iudices vel in ordine quem-

erit populare? Est enim homo iste populo romano deditus. Nihil vidi magis: qui quum eius adolescentia in amplissimis honoribus summi viri, L. Philippi, vitrici, florere potuisset, usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset. Deinde ex impuro adolescente et petulante, posteaquam rem paternam ab idiotarum divitiis ad philosophorum regulam perduxit, Graeculum se atque otiosum putari voluit, studio literarum se subito dedidit. Nihil sane Attae iuvabant; anagnostae, libelli etiam pro vino saepe oppignerabantur; manebat insaturabile abdomen, copiae deficiebant. Itaque semper versabatur in spe rerum novarum: otio et tranquillitate reipublicae consenescebat.

LII. Ecquae seditio unquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui seditiosus, cui ille non familiaris?

que suo ac loco retinerent, vel eiicerent. MAN.

Populo Romano deditus) Iocari videtur in Gellii cognomen: nam Poplicola vocabatur. Dio lib. XLVII. ID.

Nihil sane Attae iuvabant) Ita est in MS. S. Victor. et Gembl. eamque lectionem defendunt Victorius, Abramius et Graevius. Et hi quidem putant Attas ipsos philosophos vocari; nihil Gellio scil. profuisse illos philosophos senes, quorum disciplinae se commiserat. Festus enim Pompeius ait: *Atta pro reverentia seni cuilibet alicuius, quasi eum avi nomine appellemus.* Attamen hoc vocabulo Ciceronem hic usum esse, quod totum huius narrationis colorem minime deceat, nemo mihi persuadebit. Fuerunt qui de poëta Atta togatarum scriptore cogitarent. Alii legi volebant *arte iuvabatur*, alii *chartae adiuvabant*, alii *nihil sane iuvabant*. Io. Frid. Gronovius: *nihil sane ea re iuvabatur*. Contarenus V. L. c. 28, p. 144, *nihil sane attenuabat* scil. *sumptus*. Equidem ex iis quae sequuntur colligo Ciceronem scripsisse: *nihil ganeonem iuvabant anagnostae*. Nam particula *sane* hic non satis apta est. Vel si malis: *nihil ganeonem istae* (*scil. literae*) *iuvabant. Anagnostae, libelli etiam pro vino saepe oppignerabantur.*

Nihil sane Attae iuvabant) Locus corruptus, hoc fere sensu: quum divitiis, quas idiotae amare solent, inopiam philosophicam praetulisset, non tamen eius famem lectores legendo exsaturabant; deinde explicat ironiam. Sic forte: *nihil sane eum iuvabant anagnostae*. FERR.

Anagnostae) Lectores. Eos enim servos graeco nomine dicebant Ana-

ecquae turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui bene dixit unquam bono? bene dixit? immo, quem fortem et bonum civem non petulantissime est insectatus? qui, ut credo, non libidinis causa, sed ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. Is de me suffragium tulit, is affuit, is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum, in quo tamen est me ultus, quum illo ore inimicos est meos suaviatus. Qui, quasi mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipsam causam est mihi inimicus, quia nihil habet. Vtrum ego tibi patrimonium eripui, Gelli, an tu comedisti? quid? tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, helluabare: ut, si ego consul rempublicam contra te et gregales tuos defendissem, in civitate esse me nolles? Te nemo tuorum videre vult; omnes aditum, sermonem, congressum tuum fugiunt; te sororis filius Postumus, adolescens gravis, senili iudicio, notavit, quum in magno numero tutorem liberis non instituit. Sed elatus odio, et meo et reipublicae nomine, quorum ille utri sit inimicior, nescio, plura dixi, quam dicendum fuit, in furiosissimum atque egentissimum ganeonem. Illuc revertor: contra me quum sit actum, capta urbe atque oppressa, Gellium, Firmidium, Titium, eiusdem modi furias, illis mercenariis gregibus duces et auctores fuisse, quum ipse lator nihil ab horum turpitudine, audacia, sordibus abhorreret. At, quum de dignitate mea fe-

guostae, quorum opera in legendis libris uterentur. Id.

Plebicola) Sic est in plerisque edd. Nonnulli *poplicola*.

In quo tamen — suaviatus) Ita h. l. optime restituit Pantagathus qui olim corrupte sic scriptus erat: *in quo tamen est ne ullus quum illo reo inimicus est meus saviatus.* Fulvius Vrsinus memorat lectionem: *in quo tamen quid esset quamobrem inimicus ille esset meus, qui quasi.* Sed verissima est Pantagathi lectio. *Illo ore* scil. impuro ex foeda libidine, quam tangit Catullus carm.

Furiosissimum) Cod. Franc. *furiosum.*

rebatur, nemo sibi nec valitudinis excusationem, nec senectutis, satis iustam putavit: nemo fuit, qui se non rempublicam mecum simul revocare in suas sedes arbitraretur.

LIII. Videamus nunc comitia magistratuum. Fuit collegium nuper tribunicium, in quo tres minime, vehementer duo populares existimabantur. Ex his, qui populares non habebantur, quibus in illo genere conductarum concionum consistendi potestas non erat, duo a populo romano praetores video esse factos: et, quantum sermonibus vulgi et suffragiis intelligere potui, prae se populus romanus ferebat, sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem et egregium, et Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiamsi nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse. Iam de C. Fannio quae sit existimatio, videmus: quod iudicium populi romani in honoribus eius futurum sit, nemini dubium esse debet. Quid? populares illi duo quid egerunt? Alter, qui tamen se continuerat, tulerat nihil; senserat tantum de republica aliud, atque homines exspectabant; vir et bonus, et innocens, et bonis viris semper probatus: quod parum videlicet intellexit in tribunatu, quid vero populo probaretur, et quod illum esse populum romanum, qui in concione erat, arbitrabatur, non tenuit eum locum, in quem, nisi popularis esse voluisset, facillime pervenisset. Alter, qui ita se in populari ratione iactarat, ut auspicia, legem Aeliam, senatus auctoritatem, consulem, collegas, bonorum

Nuper) Biennio ante, Caesare et Bibulo Coss. ANON.

Nihil agere potuissent) Quia, licet quotidie de caelo servarent, ut Vatinio leges ferenti impedimento essent, ille tamen auspiciis neglectis, et multas, et reipublicae exitiosas, pro Caesaris potentia, pertulit. ID.

Tulerat nihil) Legem quidem promulgavit, sed non tulit. ABRAM.

iudicium, nihil putaret, aedilitatem petivit cum bonis viris, et hominibus primis, sed non praestantissimis opibus et gratia; tribum suam non tulit; Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare populum romanum dicebantur, perdidit: nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam, tulit. Videtis igitur, populum ipsum, ut ita dicam, iam non esse popularem: qui ita vehementer eos, qui populares habentur, respuat; eos autem, qui ei generi adversantur, honore dignissimos iudicet.

LIV. Veniamus ad ludos. Facit enim, iudices, vester in me animorum oculorumque coniectus, ut mihi iam licere putem remissiore uti genere dicendi. Comitiorum et concionum significationes interdum verae sunt, nonnunquam vitiatae atque corruptae: theatrales gladiatoriique consessus, dicuntur omnino solere, levitate nonnullorum emptos, plausus exiles et raros excitare. Attamen facile est, quum id fit, quemadmodum, et a quibus fiat, et quid integra multitudo faciat, videre. Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium maxime applaudatur? Neminem vestrum fallit. Sit hoc sane leve; quod non ita est, quoniam optimo cuique impertitur: sed, si est leve, homini gravi leve est; ei vero, qui pendet a rebus levissimis, qui rumore, et (ut ipsi loquuntur) favore populi tenetur et ducitur, plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est. Ex te

Nihil putaret) *Nihili* coni. Hotom.

Tribum suam non tulit) *Ferre tribum suam*, id est, obtinere suffragia tribus: non tulit ergo, id est, adversariam illam sibi habuit. Hot.

Oculorumque coniectus) Sic Lambin. e codd. suis. Vulgo olim *contuitus*.

Levitate nonnullorum excitare) «Haec coniuncta legenda sunt. *Levitas ementium* est vanitas appetentium plausum; deinde *et* ante *exiles* delevi, quod non est in ed. Hervag.» Ern. Emere plausum tamen plus est quam *appetere*. Significat enim pecuniam ab istis datam, ut sibi plauderetur.

igitur, Scaure, potissimum quaero, qui ludos apparatissimos magnificentissimosque fecisti, ecquis istorum popularium tuos ludos adspexerit; ecquis se theatro populoque romano commiserit. Ipse ille maxime ludius, non solum spectator, sed actor et acroama, qui omnia sororis embolia novit, qui in coetum mulierum pro psaltria adducitur, nec tuos ludos adspexit in illo ardenti tribunatu suo, nec ullos alios, nisi eos, a quibus vix vivus effugit. Semel, inquam, se ludis homo popularis commisit omnino, quum in templo Honoris-Virtutis honos habitus esset virtuti, Caiique Marii, conservatoris huius imperii, monumentum municipi eius et reipublicae defensori sedem ad salutem praebuisset.

LV. Quo quidem tempore, quid populus romanus

Maxime ludius) Ern. coni. *maximus.*

Ludius) Ludios fuisse credo, ut ex oratione de Haruspicum responsis coniicio, qui, dum agerentur ludi, in scena psallerent. Ludium hic appellat credo P. Clodium, quod ludis magnopere delectari solitus esset: qui tamen Scauri ludos noluit aspicere, quum populi clamores et sibila metueret. Man.

Acroama) Recitator. IV, 22 in Verrem, *Ne tanquam*, inquit, *festivum acroama e convivio sine corollario discederet.* Accedit Macrob. cuius haec sunt lib. II Satorn. *Delectatus inter coenam erat Augustus pueris symphoniacis Turonii Flacci mangonis, atque eos frumento donaverat, quum in alia acroamata fuisset liberalis nummis.* Alibi, *acroama* etiam pro ipsa re, quae recitatur, usurpari videmus: ut in orat. pro Archia: quae est iucunda narratio, et cantilena, et quidquid eos, qui audiunt, oblectat. Id.

Sororis embolia) Quia de scena sermo, manifestum est alludi ad embolia fabularum, quae et *ἐπεισόδια* dicuntur, hoc est, digressiones a fabula. Ludit autem in ambiguitate verbi. Nam quia *ἔμβολον* est, quod extrinsecus inseritur et immittitur, traductum est hoc verbum ad pudenda masculina, ut ex Hesychio docuit Graevius. Itaque omnia *embolia sororis* novit, est acute dictum, pro *amores sororis*, in quibus et ipse erat. Ern.

In templo Honoris-Virtutis) Sic Gruter. e cod. Erf. et Gemblac. Vulgo *in templo Virtutis* cod. Pal. nonus *in templo Honoris.* — Garatonus aedem Honoris atque Virtutis Marianam, scripta peculiari Diatriba, distinxit denique a Marcelliana eiusdem appellationis. Vid. ad Planc. pag. 519.

senserit, utroque in genere declaratum est: primo, quum, audito senatusconsulto, ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, quum senatoribus singulis spectatum e senatu redeuntibus. Quum vero ipse, qui ludos faciebat, consul assedit, stantes, et manibus passis gratias agentes, et lacrymantes gaudio, suam erga me benivolentiam ac misericordiam declararunt. At, quum ille furibundus, incitata illa sua vecordi mente, venisset, vix se populus romanus tenuit; vix homines odium suum a corpore eius impuro atque infando represserunt. Voces quidem, et palmarum intentus, et maledictorum clamorem omnes profuderunt. Sed quid ego populi romani animum virtutemque commemoro, libertatem iam ex diuturna servitute respicientis in eo homine, cui tum petenti iam aedilitatem ne histriones quidem coram sedenti pepercerunt? Nam quum ageretur Togata, *Simulans*, ut opinor [1], caterva tota clarissima concentione, in ore impuri hominis imminens, concionata est: *Huic vitae tuae* — et, *Postprincipia, atque*

Quid populus Romanus senserit) Sic emendandum censuit Ernestius. Vulgo *quia populus Romanus sentire se ostenderit.*

Ipsi atque absenti) Vulgo *ore ipsi*, in quo vitiosum esse *ore* Ernestius aliique viderunt; *ipsi* refertur ad SCtum quod plausu honorabant. Memmius coniecit *auctori ipsi* Ern. *coram ipsi.* — Tò *ore* assumptum ab amanuensibus a superiore *tempore* mihi haud improbabile videtur. Typ.

Palmarum intentus) Significat, opinor, eam consuetudinem, qua vulgus in sibilis faciendis, utitur, ut manum simul porrigant. Hot.

Togata) Togatam, nomine Simulantem, agebant histriones: omnis grex sive chorus, quoties aliquid cantandum erat quod in probrum Clodii verti posset, ei imminens et defixis in eum oculis clarissimo concentu resonabat. Haec praesertim hemistichia, quae Clodii moribus apprime convenirent: *Huic vitae tuae.* Item: *Post-principia* etc. Abram.

(1) Comoedia Afranii.

Concentione) Histriones olim, quum fabulas agerent, numeroso cantu recitasse, vel hic locus argumento esse potest. Man.

In ore impuri hominis) Legendum videtur vel *in os*, vel *ori*,

exitus vitiosae vitae! Sedebat exanimatus: et is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare suas solebat, cantorum ipsorum vocibus eiiciebatur. Et, quoniam facta mentio est ludorum, ne illud quidem praetermittam, in magna varietate sententiarum, nunquam ullum fuisse locum, in quo aliquid a poëta dictum cadere in tempus nostrum videretur, quod aut populum universum fugeret, aut non exprimeret ipse actor. Et, quaeso, hoc loco, iudices, ne qua me levitate ductum ad insolitum genus dicendi labi putetis, si de poëtis, de histrionibus, de ludis in iudicio loquar.

LVI. Non sum tam ignarus, iudices, causarum, non tam insolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, et omnes undique flosculos carpam atque delibem. Scio, quid gravitas vestra, quid haec advocatio, quid ille conventus, quid dignitas P. Sextii, quid periculi magnitudo, quid aetas, quid honos meus postulet. Sed mihi sumpsi hoc loco doctrinam quandam iuventuti, qui essent optimates. In ea explicanda demonstrandum est, non esse populares omnes eos, qui putentur. Id facillime consequar, si universi populi iudicium verum et incorruptum, et, si intimos sensus civitatis expressero. Quid fuit illud, quod, recenti nuntio de illo senatusconsulto, quod factum est in templo Virtutis, ad ludos scenamque perlato, consessu maximo, summus artifex, et mehercule semper partium in republica, tanquam in scena,

Convicio) *Convicium* quasi *convocium* dictum esse Vlpianus quoque testatur. Cicero pro Archia: *Suppeditat nobis ubi et animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, et aures convicio defessae conquiescant.* Modo dixit *concentione*. Hot.

Quid ille conventus) Ita recte codd. et edd. pr. Est enim corona populi. Male edd. nonnullae *illi conventus* Verius *ille* viderunt Manut. Graev. Restituit Ern.

Artifex) Aesopus tragoedus.

optimarum, flens, et recenti laetitia, et misto dolore ac desiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam causam, quam egomet de me agere potuissem? Summi enim poëtae ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat. [1] *Quid enim? qui rempublicam certo animo adiuverit, statuerit, steterit cum Achivis.* — Vobiscum me stetisse dicebat, vestros ordines demonstrabat. Revocabatur ab universis. *re dubia, nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.* Haec quantis ab illo clamoribus agebantur? Quum iam, omisso gestu, verbis poëtae, et studio actoris, et exspectationi nostrae plauderetur? *Summum amicum, summo in bello* (nam illud ipse actor adiungebat amico animo, et fortassis homines propter aliquod desiderium approbabant) *summo ingenio praeditum.* Tum illa, quanto cum gemitu populi romani ab eodem paulo post in eadem fabula sunt acta? *O pater!* — Me, me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. Quanto cum fletu de illis nostris incendiis ac ruinis, quum patrem pulsum, patriam afflictam deploraret, domum incensam eversamque? Sic egit, ut demonstrata pristina fortuna, quum se convertisset: *Haec omnia vidi inflammari:* fletum etiam inimicis atque invidis excitaret.

LVII. Proh, dii immortales! quid? illa quemad-

Optimarum) Ita corrigendum censuerunt Manut. et Vrsin. Vulgo *optimatium*.

(1) Versiculi qui sequuntur sunt ex Ennii Andromacha deprompti.

Revocabatur) Cogebat populus histriones, quae semel dicta placuerant, saepius iterare. MAN.

Omisso gestu) Omisso actore, omissa consideratione actoris, quum animus in cogitando occupatus esset. HOT.

Adiungebat) De suo, non a poëta scriptum. MAN.

Summo ingenio praeditum) Nempe haec verba, quae non exstabant in tragoedia, ipse actor Aesopus Ciceronis causa addiderat.

modum dixit idem? quae mihi quidem ita et acta et scripta videntur esse, ut vel a Catulo, si revixisset, praeclare posse dici viderentur; is enim libere reprehendere, et accusare populi nonnunquam temeritatem solebat, aut errorem senatus: *O ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneficii!* [1] Non erat illud quidem verum, non enim ingrati, sed miseri, quibus reddere salutem, a quo acceperant, non liceret; nec unus in quemquam unquam gratior, quam' in me universi. Sed tamen illud scripsit disertissimus poëta pro me; egit fortissimus actor, non solum optimus, de me, quum omnes ordines demonstraret, senatum, equites romanos, universum populum romanum accusaret: *Exsulare sinitis, sivistis pelli, pulsum patimini.* Quae tum significatio fuerit omnium, quae declaratio voluntatis ab universo populo romano in causa hominis non popularis, existimare facilius possunt, qui adfuerunt.

LVIII. Et, quoniam me huc provexit oratio, histrio casum meum toties collacrymavit, quum ita dolenter ageret causam meam, ut vox eius illa praeclara lacrymis impediretur. Neque poëtae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaque populus romanus non solum plausu, sed etiam gemitu suo comprobavit. Vtrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Attium dicere oportuit, si populus romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum

(1) Hic versus cum eo qui proxime sequitur est ex Altii Telamone.

Hominis non popularis) Vulgo additur *equidem audiebamus* quae Goërenzius delenda censuit ad Cic. de Fin. p. 307.

Nominatim sum appellatus in Bruto) Nominatim appellatus est, a poëta, an ab actore Aesopo? P. Manutius hoc statuit, et *Tullium* hunc appellasse pro *Bruto*. Sed Tullius est a poëta, intelligendusque *Servius Tullius*, qui profecto libertatem populi Romani stabiliverat, quam oppresserat deinde *Tarquinius*; nam et in regio imperio libertas esse potest. ERN. Mox pro *universo* dedi *universi*.

appellatus in Bruto [1] *Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat.* Millies revocatum est. Parumne videbatur populum romanum iudicare, id a me, et a senatu esse constitutum, quod perditi cives sublatum per nos criminabantur? Maximum vero populi romani iudicium universo consessu gladiatorio declaratum est. Erat enim munus Scipionis, dignum et eo ipso, et illo Q. Metello, cui dabatur. Id autem spectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebrabatur, quo multitudo maxime delectatur. In hunc consessum P. Sextius, tribunus plebis, quum ageret nihil aliud in eo magistratu, nisi meam causam, venit, et se populo dedit, non plausus cupiditate, sed ut ipsi inimici nostri voluntatem universi populi viderent. Venit, ut scitis, ad columnam Maeniam. Tantus est ex omnibus spectaculis usque a Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, ut nunquam maior consensio, aut apertior populi romani universi fuisse ulla in causa diceretur. Vbi erant tum illi concionum moderatores, legum domini, civium expulsores? aliusne est aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui non offensi invisique fuerimus?

LIX. Equidem existimo, nullum tempus esse frequentioris populi, quam illud gladiatorium; neque concionis ullius, neque vero ullorum comitiorum. Haec

(1) Attii tragoedia.

Revocatum est) Bene Abramius monuit errasse, qui pro *revocatum* scribi vellent *recitatum*, aut *repetitum*. Revocatur enim actor quum eadem iubetur iterum dicere. Valer. Max. lib. II, c. lib. VI, c. 2.

Q. Metello) Pio, Numidici filio: cuius memoriae P. Scipio is, qui postea Pompeii Magni socer fuit, gladiatores dedit. Erat enim, ut scripsit Dio, ab eo adoptatus: idroque et Metellum et Scipionem appellari in epistolis Ciceronis, atque etiam in antiquis nummis, licet animadvertere. MAN.

Ad columnam Maeniam) Nempe ut inde ludos gladiatorios spectaret. Cf. Asconii notam ad Cic. divin. in Caecil. c. 15 (tom. IV, p. 211 huius edit.)

Offensi) *Infensi* MS. Vrsin.

igitur innumerabilis hominum multitudo, haec populi romani tanta significatio, sine ulla varietate, universi. quum illis ipsis diebus de me actum iri putaretur, quid declaravit, nisi optimorum civium salutem et dignitatem populo romano caram esse universo? At vero et ille tribunus plebis, qui de me, non patris, avi, proavi, maiorum denique suorum omnium, sed Graeculorum instituto, concionem interrogare solebat, Velletne me redire, et, quum erat reclamatum semivivis mercenariorum vocibus, populum romanum negare ducebat: is, quum gladiatores spectaret, nunquam est conspectus quum veniret. Emergebat subito, quum sub tabulas subrepserat, ut *Mater te appello* — dicturus videretur. Itaque illa via latebrosa, qua spectatum ille veniebat, Attilia iam vocabatur. Qui tamen, quoquo tempore conspectus erat, non

Ille tribunus plebis) Sine dubio intelligitur Sex. Attilius ille Gavianus ex obscura Gaviorum familia in nobilem Attiliorum gentem adoptatus, qui propter hanc adoptionem eius maiores vocantur.

Nunquam est conspectus quum veniret) Hic locus prava distinctione in edd. recentioribus prorsus obscuratus est. Sic enim editur: *nunquam est conspectus. Quum veniret, emergebat subito, quum sub tabulas subrepserat*, qua interpunctione deceptus Ernestius pro *veniret*, corrigendum putabat *venerat*. Restitui autem veram membrorum distinctionem, quae iam est in Aldina. Sensum optime exposuit P. Manutius: « Nunquam conspectus est, quum ad forum ad spectandos gladiatores veniret, sub eas enim tabulas, quae spectaculi causa temporariae compinguntur, occulte subrepebat. Inde subito emergebat. »

Dicturus videretur) Vt Memnoni, Aurorae filio, similis videretur, cuius imago interfecti et insepulti per quietem matri apparens ita fatur: *Mater te appello, quae curam somno suspensam levas Neque mei te miseret, surge et sepeli natum*. Tuscul. I, 44. Quemadmodum igitur Memnonis umbra de terra subito exsistit, et ad matrem illa pronuntiat, sic Attilius quum sub tabulas subrepserat, *emergebat subito*, ut quasi Memnon, *Mater te appello* dicturus videretur. MAN.

Attilia) Vulgo *Appia*. Sed hoc prorsus ineptum est. *Attilia* legendum esse, vidit Manutius.

Qui tamen) Aliud agebat Ernestius, quum legendum opinabatur *quem tamen*, quasi Attilium gladiatores exsibilassent. Verissima est vulgata, quam recte sic exposuit Manutius: qui tamen quoquo tempore conspectus erat, postquam erepserat

modo gladiatores, sed equi ipsi gladiatorum repentinis sibilis extimescebant. Videtisne igitur, quantum inter populum romanum et concionem intersit? dominos concionum omni odio populi notari? quibus autem consistere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi romani significatione decorari?

LX. Tu mihi etiam M. Attilium Regulum commemoras, qui redire ipse Carthaginem sua voluntate ad supplicium, quam sine iis captivis, a quibus ad senatum missus erat, Romae manere maluerit, et mihi negas optandum reditum fuisse per familias comparatas et homines armatos? Vim scilicet ego desideravi, qui, dum vis fuit, nihil egi, et quem, si vis non fuisset, nulla res labefactare potuisset. Hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut verear, ne quis me studio gloriae putet idcirco exisse, ut ita redirem? Quem enim unquam senatus civem, nisi me, nationibus exteris commendavit? cuius unquam propter salutem, nisi meam, senatus publice sociis populi romani gratias egit? De me uno patres conscripti decreverunt, ut, qui provincias cum imperio obtinerent, qui quaestores, legatique essent, salutem et vitam meam custodirent. In una mea causa post Ro-

ex istis tabulis, ita exsibilabatur, ut his repentinis sibilis, non modo gladiatores, sed ipsi gladiatorum equi perturbarentur.

Gladiatorum) Nempe *essedariorum, qui ex essedis*, quod erat curriculorum genus, pugnabant.

Tu mihi) Exprobraverat Ciceroni adversarius, voluisse illum per vim redire turpiter in urbem, neque imitatum fuisse M. Regulum. Ferr.

Et homines armatos) Vel accusator Albiuovanus, vel ipse ille Attilius Ciceronem notaverat, quod non detrectaverit officia amicorum, reditum eius per vim, per servos comparatos, et homines armatos adiuvare cupientium. Itaque ei opposuerat exemplum Attilii Reguli. Etsi enim Cicero a vi abhorruerat, vitio tamen ei vertebat accusator pugnam illam VIII Kal. febr. inter eius fautores et Clodianos commissam. Mirum igitur Ernestium in hoc loco haesisse.

Vim scilicet ego desideravi) Ironice; i. q. quasi ego unquam vim desiderassem, aut reditum optassem per vim mihi conciliatum.

mam conditam factum est, ut literis consularibus ex senatusconsulto, cuncta ex Italia, omnes, qui rempublicam salvam vellent, convocarentur. Quod nunquam senatus in universae reipublicae periculo decrevit, id in unius mea salute conservanda decernendum putavit. Quem curia magis requisivit? quem forum luxit? quem aeque ipsa tribunalia desideraverunt? Omnia discessu meo deserta, horrida, muta, plena luctus et moeroris fuerunt. Quis est Italiae locus, in quo non fixum sit in publicis monumentis studium salutis meae, testimonium dignitatis?

LXI. Nam quid ego illa de me divina senatusconsulta commemorem? vel quod in templo Iovis Optimi Maximi factum est, quum vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras atque regiones tribus triumphis adiunctas huic imperio notavit, de scripto sententia dicta, mihi uni testimonium patriae conservatae dedit, cuius sententiam ita frequentissimus senatus sequutus est, ut unus dissentiret hostis; idque ipsum tabulis publicis mandaretur, ad memoriam posteri temporis sempiternam. Vel quod est postridie decretum in curia, populi ipsius romani, et eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu, ne quis de caelo servaret, ne quis moram ullam afferret; si quis aliter fecisset, eum plane eversorem reipublicae fore, idque senatum gravissime laturum; et ut statim de eius facto referretur. Qua gravitate sua quum frequens senatus nonnullorum scelus audaciamque tardasset; tamen illud addidit, si diebus quinque, quibus agi de me potuisset, non esset actum, redirem in patriam, dignitate omni recuperata.

LXII. Decrevit eodem tempore senatus, ut iis, qui ex tota Italia salutis meae causa convenerant, age-

rentur gratiae, atque ut iidem, ad res redeuntes ut venirent, rogarentur. Haec erat studiorum in mea salute contentio: ut ii, qui a senatu de me rogabantur, iidem senatui pro me supplicarent. Atque ita in his rebus unus est solus inventus, qui ab hac tam impensa voluntate bonorum palam dissideret, ut etiam Q. Metellus consul, qui mihi vel maxime ex magnis contentionibus reipublicae fuisset inimicus, de mea salute retulerit. Qui excitatus summa quum auctoritate P. Servilii, tum quadam gravitate dicendi, quum ille omnes prope ab inferis evocasset Metellos, et ad illius generis, quod sibi cum eo commune esset, dignitatem, propinqui sui mentem a Clodianis latrociniis reflexisset; quumque eum ad domestici exempli memoriam, et ad Numidici illius Metelli casum vel gloriosum, vel gravem convertisset: collacrymavit vir egregius ac vere Metellus, totumque se P. Servilio dicenti etiam tum tradidit: nec illam divinam gravitatem, plenam antiquitatis, diutius homo eiusdem sanguinis potuit sustinere, et mecum absens beneficio rediit in gratiam. Quod certe, si est aliqui sensus in morte praeclarorum virorum, quum omnibus Metellis, tum vero uni viro fortissimo, et praestantissimo civi, gratissimum, fratri suo, fecit, socio laborum, periculorum, consiliorum meorum.

Ad res redeuntes) Sic in orat. post Red. in Senatu c. 11: *quid? ut ad illam diem res quum redissent, rogarentur, ut pari studio convenirent.*

Quadam gravitate) *Summa* ante *quadam* tacite repetendum est. Nisi velis ut in orat. post Red. ad Sen. c. 10 ante *quadam* addere *divina*, et in priori membro *quum summa auctoritate* reponere; quod placuit Manutio.

Et ad Numidici illius Metelli) Sic optime Manutius correxit vulgatum *et ad unum dicto citius Metelli casum*. Coll. or. post Red. in Senatu c. 10.

Collacrymavit vir egregius) Sic recte Ern. Vulgo *ut vir egregius*.

Beneficio) Manutius maluit *suo beneficio* ut est in orat. post Red. in Sen. c. 10.

LXIII. Reditus vero meus qui fuerit, quis ignorat? quemadmodum mihi advenienti tanquam totius Italiae atque ipsius patriae dexteram porrexerint Brundisini; quum ipsis nonis Sext. idem dies adventus mei fuisset, reditusque natalis, idem carissimae filiae, quam ex gravissimo tum primum desiderio luctuque conspexi, idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idemque Salutis; quumque me domus eadem optimorum et doctissimorum virorum, Lenii Flacci, et patris, et fratris eius, laetissima accepisset, quae proximo anno moerens receperat, et suo praesidio periculoque defenderat; quumque itinere toto urbes Italiae festos dies agere adventus mei videbantur, viae multitudine legatorum undique missorum celebrabantur, ad urbem

Idem dies adventus mei fuisset, reditusque natalis) Petr. Faber h. l. sic constituendum putabat: *idem dies adventus mei fuisset, qui reditus? natalis idem carissimae filiae quam— conspexi, idem etiam ipsius coloniae Brundusinae dies ut scitis.* Abramius sic: *quum ipsis nonis Sextilibus idem dies adventus mei fuisset natalis: idem carissimae filiae — — idem etiam ipsius coloniae Brundusinae; idem et Salutis.* In cod. Franc. at edit. pr. Asc. Crat. est *idem dies reditus mei fuisset, qui et natalis meus, idem et filiae meae carissimae.* Sic etiam cod. Dresd. qui tamen pro *reditus* habet *adventus.* Pantagathus coll. Alt. IV, 1 ita legendum putabat: *quum ipsis nonis Sext. idem dies adventus mei fuisset, qui natalis idem c. f. quam — conspexi; idem etiam ipsius coloniae Brundisinae, idem et Salutis.* Graevius edidit *quum ipsis nonis Sext. idem dies reditus mei fuisset, qui et natalis idem carissimae filiae, quam — conspexi; idem etiam ipsius coloniae Brundusinae, idemque Salutis.* — Alii *reditusque, natalis idem car.*

Ipsius coloniae) Coloniae sic deducebantur. Coloni sub signis a curatoribus agrariis centuriati ducebantur. Deinde quum ad coloniae locum ventum erat, vexillo statuto, aratrum circumducebatur, ut territorium coloniae definiretur: quod mox limitibus decumanis, cardinibus actuariis distinguebatur, at in centurias dividebatur: e quibus certus modus viritim sortito assignabatur. Quod si illic oppidum non esset, locus urbis aratro designabatur, ritu Hetrusco. Atque ista fiebant omnia auspicato; coloniaque lustrabatur ab eo, qui deducebat; et eligebantur bonis nominibus, qui hostias ad eam lustrandam ducerent. Quotannis autem coloni coloniae suae natalem magna religione colebant. TURN.

Idemque Salutis) Scil. *natalis*, i. e. quo die urbs Brundisina colonia facta esset populi Rom. *Salutis* int. aedis deae *Salutis*, quae dedicata erat nonis Sextil. quibus assignatur in Kalendario Romano. ERN.

accessus incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat, iter a porta, in Capitolium adscensus, domum reditus erat eiusmodi, ut summa in laetitia illud dolerem, civitatem tam gratam, tam miseram atque oppressam fuisse.

LXIV. Habes igitur, quod ex me quaesisti, qui essent optimates. Non est natio, ut dixisti; quod ego verbum agnovi; est enim illius, a quo uno maxime P. Sextius se oppugnari videt, hominis eius, qui hanc nationem deleri et concidi cupivit; qui C. Caesarem, mitem hominem, et a caede abhorrentem, saepe increpuit, saepe accusavit, quum affirmaret, illum nunquam, dum haec natio viveret, sine cura futurum. Nihil profecit de universis; de me agere non destitit; me oppugnavit, primum per indicem Vettium, quem in concione de me, et de clarissimis viris interrogavit. In quo tamen eos cives coniunxit eodem periculo et crimine, ut a me inierit gratiam, quod me cum amplissimis et fortissimis viris congregavit. Sed postea mihi, nullo meo merito, nisi quod bonis placere cupiebam, omnes est insidias sceleratissime machinatus. Ille ad eos, a quibus audiebatur, quotidie aliquid de

Est enim illius) Vatinii.

Per indicem Vettium) Fulv. Ursinus malebat *Iudicem Vettium* quia nomen in veteribus nummis ita sit notatum *T. Vettius Iudex.* H. l. tamen verum est *indicem.*

Indicem Vettium) Indicavit L. Vettius negotium sibi a clarissimis viris esse demandatum, ut Cn. Pompeium occideret. Id a Vatinio tribuno pl. et Caesare consule fictum, suspicio fuit: quia, quum indicis falsitas manifestis signis argueretur, Vettius in carcere occulte strangulatus est: de quo in oratione in Vatinium, et Sueton. In Iulio. Man.

De me) An ego Vettio auctor atque impulsor ad necem Pompeii fuissem. Id.

Clarissimis viris) M. Bibulo, tum consule; L. Lucullo consulari, et triumphali; C. Curione, consulari, et triumphali; L. Domitio Ahenobarbo, qui tum praeturam petebat; L. Lentulo qui consulatum petebat; L. Aemilio Paulo, qui tum quaestor Macedoniam obtinebat; aliis privatis, quos enumerat in epistola ad Atticum penultima libri II, et Orat. in Vatinium. Id.

me ficti afferebat: ille hominem mihi amicissimum, Cn. Pompeium, monebat, ut meam domum metueret, atque a me ipso caveret; ille se sic cum inimico meo copularat, ut illum meae proscriptionis, quam adiuvabat Sex. Clodius, homo iis dignissimus, quibuscum vivit, tabulam esse, se scriptorem diceret; ille unus ordinis nostri discessu meo, luctu vestro, palam exsultavit. De quo ego, quum quotidie rueret, verbum feci, iudices, nunquam: neque putavi, quum omnibus machinis ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppugnarer, de uno sagittario me queri convenire. Acta mea sibi ait displicere. Quis nescit? qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat, gladiatores biennio, quo quis petierit, aut petiturus sit, dare? In quo eius temeritatem satis mirari, iudices, non queo. Facit apertissime contra legem; facit is, qui neque elabi ex iudicio iucunditate sua, neque emitti gratia potest, neque opibus et potentia leges ac iudicia perfringere. Quae res hominem impellit, ut sit tam intemperans? Ista nimia gloriae cupiditate familiam gladiatoriam,

De me ficti) Sic optime Manut. emendavit vulg. *defecti*. Hotom. coni. *delecti*. Abram. *aliquid de me afferebat*.

Quam adiuvabat) Legendum arbitror *adiuverat*.

Tabulam esse) Vatinius iactabat, se P. Clodium docuisse, ut esset scribenda lex in Ciceronem: se proinde quippe magistrum illius legis scriptorem dicebat, P. Clodium quasi discipulum, *tabulam*, in qua eam scripserit; Sex. Clodium Publii scribam ministrum, quo usus in scribendo fuerat. FERR.

Rueret) Aliquid furiose faceret. Feruntur enim homines improbi ad facinus eo impetu, ut ruere videantur. MAN.

De uno sagittario) Sic per contemptum appellat Vatinium. Sagittarii sunt in levi armatura. ERN.

Acta mea sibi displicere. Quis nescit?) Ita Lamb. et Memmii coniectura Grut. e Pal. non S. Vict. Gembl. Vulgo olim *acta mea illi displicere, quis nescit? Acta* dicuntur leges a consulibus latae.

Legem eam contemnat) Legem Tulliam de ambitu.

Gladiatores) I. e. ludos gladiatorios.

Quo quis petierit) Pantagalbus et F. Vrsin. malebant *petat*, ut in Vatin.

credo, nactus est, speciosam, nobilem, gloriosam; norat studia populi; videbat clamores et concursus futuros. Hac exspectatione elatus homo, flagrans cupiditate gloriae, tenere se non potuit, quin hos gladiatores induceret, quorum esset ipse pulcherrimus. Si ob eam causam peccaret, et, pro recenti populi romani in se beneficio, populari studio elatus; tamen ignosceret nemo: quum vero ne de venalibus quidem homines electos, sed ex ergastulis emptos, nominibus gladiatoriis ornarit, et sortito alios Samnites, alios provocatores fecerit, tanta licentia, tanta legum contemptio, quem habitura sit exitum, non pertimescit? Sed habet defensiones duas; primum, Do, inquit, bestiarios: lex est scripta de gladiatoribus. Festive. Accipite aliquid etiam acutius. Dicit se non gladiatores, sed unum gladiatorem dare, et totam aedilita-

Samnites) Plura gladiatorum erant genera; Samniles, Provocalores, Retiarii, Mirmillones. Ex his oppositi in pugnis Samniles, el Provocatores: quod hic Ciceronis locus ostendit: Retiarii, el Mirmillones, quod Valerius Maximus lib. I. Max. Consule Lipsium lib. II Saturnalium sermonum cap. 11. Grvt.

Legum contemptio) Olim edebatur *contemptione non habitura sit exitum, non pertimescit*. Gruterus e cod. Erf. Gembl. S. Vicl. Pal. *nono* dedit *nonne quem habitura sit exitum pertimescit*. Ern. delevit *nonne* et ante *pertimescit* servavit *non*.

Defensiones duas) Valinius dicebal, se bestiarios dare, non gladiatores: deinde, se unum tantum gladialorem dare, non plures. Ferr. Vox *gladiatores* ambigua est: modo enim homines ipsos in arena pugnantes, modo ipsum ludum significat, sive potius munus, quod populo exhibelur. Hanc ille vocem ex uno sensu ad alterum transferebat, dicebatque lege Tullia tantummodo prohiberi ne gladiatores, idest plura gladiatorum *munera* darentur, ac proinde se lege Tullia non teneri, cui non plures, sed unicum munus, idest, ut insulse interpretabatur, unum gladiatorem dederat. Abram.

Vnum gladiatorem) Pantagathus et F. Vrsinus corrigendum censebant *unam venationem*. Sed verum est *unum gladiatorem*, el Vatinius hac calumnia legem eludebal, quod diceret se non *gladiatores*, sed *unum gladiatorem* et CC bestiarios dare. Sic Manutius. Alii intpr. *unum munus gladiatorium*.

Et totam aedilitatem) H. e. sumplus omnes, quos si aedilitatem adeplus essel, impendisset in ludos, in hoc munus transtulisse.

tem in munus hoc transtulisse. Praeclara aedilitas. Vnus leo: ducenti bestiarii. Verum utatur hac defensione: cupio eum suae causae confidere. Solet enim tribunos plebis appellare, et vi iudicium disturbare, quum diffidit. Quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quam quod se statuit omnino consularem legem nullam putare. Aciliam, Didiam, Liciniam, Iuniam contempsit. Etiamne eius, quem sua lege et suo beneficio ornatum, munitum, armatum solet gloriari, C. Caesaris legem de pecuniis repetundis non putat esse legem? Et aiunt, alios esse, qui acta Caesaris rescindant, quum haec optima lex, et ab illo socero eius, et ab hoc assecla negligatur? Et cohortari ausus est accusator in hac causa vos, iudices, ut aliquando essetis severi, aliquando medicinam adhiberetis reipublicae. Non est ea medicina, quum sanae parti corporis scalpellum adhibetur atque integrae: carnificina est ista et crudelitas. Hi medentur reipublicae, qui exsecant pestem aliquam, tanquam strumam civitatis.

LXV. Sed, ut extremum habeat aliquid oratio mea, et ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendo, concludam illud de optimatibus, eorumque principibus ac reipublicae defensoribus; vosque, adolescentes, et qui nobiles estis, ad maiorum vestrum imitationem excitabo, et qui ingenio et

Praeclara aedilitas) Praeclara videlicet futura fuit tua aedilitas, si ea adeptus fuisses. ABRAM.

Et aiunt) Commode et loco suo exclamat. Et sunt, inquit, qui conquerantur de C. Memmio et Lucio Domitio praetoribus, quia Caesaris acta rescindere voluerunt, quum interim taceant de Pisone socero Caesaris, et Vatinio eiusdem assecla, qui leges Caesaris contemnunt, et ipso facto nullas esse putant? ID.

Ab illo socero eius) L. Pisone.

Assecla) Vatinio. Grut. dedit e MS. *assecula.*

Tanquam strumam) Vatinium, qui strumis laborabat, de republica tollendum, quasi pestem aliquam, intelligit. ABRAM.

virtute nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi et honore et gloria floruerunt, cohortabor. Haec est una via, mihi credite, et laudis et dignitatis et honoris: a bonis viris, sapientibus, et bene natura constitutis, laudari et diligi; nosse descriptionem civitatis, a maioribus nostris sapientissime constitutam; qui quum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reipublicae praeponerent sempiternum; deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem civium industriae ac virtuti pateret. Senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem collocaverunt; huius ordinis auctoritate uti magistratus, et quasi ministros gravissimi consilii esse voluerunt; senatum autem ipsum proximorum ordinum splendore confirmari, plebis libertatem et commoda tueri atque augere voluerunt.

LXVI. Haec qui pro virili parte defendunt, optimates sunt, cuiuscumque sint ordinis; qui autem praecipue suis cervicibus tanta munia atque rempublicam sustinent, ii semper habiti sunt optimatium principes, auctores et conservatores civitatis. Huic hominum generi fateor, ut ante dixi, multos adversarios, inimicos, invidos esse, multa proponi pericula, multas inferri iniurias, magnos esse experiundos et subeundos labores: sed mihi omnis oratio est cum virtute, non cum desidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum iis, qui se patriae, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriae, non qui somno, et conviviis, et delectationi natos arbitrantur. Nam, si qui volupta-

Ab universo populo) Hotom. coni. *ex universo populo*, probatum Ernestio.

Industriae ac virtuti) *Industriae* in foro, *virtuti* in bello. Ern.

tibus ducuntur, et se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt: misso faciant honores; ne attingant rempublicam, patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui. Qui autem bonam famam bonorum, quae sola vere gloria nominari potest, expetunt, aliis otium quaerere debent et voluptates, non sibi. Sudandum est his pro communibus commodis, adeundae inimicitiae, subeundae saepe pro republica tempestates; cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus, dimicandum. Haec audivimus de clarissimorum virorum consiliis et factis; haec accepimus, haec legimus. Neque eos in laude positos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad seditionem, aut qui largitione caecarunt mentes imperitorum, aut qui fortes et claros viros, et bene de republica meritos in invidiam aliquam vocaverunt. Leves hos semper nostri homines, et audaces et malos et perniciosos cives putaverunt. At vero qui horum impetus et conatus represserunt; qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi, consiliis audacium restiterunt: ii graves, ii principes, ii duces, ii auctores huius ordinis, atque imperii semper habiti sunt.

LXVII. Ac, ne quis ex nostro, aut aliquorum praeterea casu hanc vitae viam pertimescat: unus in hac civitate, quem quidem ego possim dicere, praeclare vir de republica meritus, L. Opimius, indignis-

Patiantur viros fortes labore, se otio suo perfrui) Hanc lectionem Hotom. et Ern. defendunt, etsi paulo insolentius dictum pro *patiantur viros fortes labore perfrui, ipsi otio suo perfruantur*. MSS. Manutii *patiantur viros fortes laborum patientes fieri*. Cod. Franc. *patiantur viros fortes laborum patientes frui*. Vnde collegit Nic. Rubenius scripsisse Tullium *patiantur viros fortes labore patienter frui*, quod elegantius vulgato esse facile Graevio concedo.

Auctores huius ordinis) Recte Ern. intellexit delendum esse, quod vulgo additur, *et dignitatis*, quod natum esse videtur ex interpretamento voc. *ordinis*.

sime concidit; cuius monumentum celeberrimum in foro, sepulcrum desertissimum in littore Dyrrhachino relictum est. Atque hunc tamen flagrantem invidia, propter interitum C. Gracchi, semper ipse populus romanus periculo liberavit. Alia quaedam civem egregium iniqui iudicii procella pervertit. Ceteri vero, aut repentina vi perculsi, ac tempestate populari, per populum tamen ipsum recreati sunt atque revocati; aut omnino invulnerati inviolatique vixerunt. At vero ii, qui senatus consilium, qui auctoritatem bonorum, qui instituta maiorum neglexerunt, et imperitae aut concitatae multitudini iucundi esse voluerunt, omnes fere reipublicae poenas, aut praesenti morte, aut turpi exsilio, dependerunt. Quod si apud Athenienses, homines Graecos, longe a nostrorum hominum gravitate disiunctos, non deerant, qui rempublicam contra populi temeritatem defenderent, quum omnes, qui ita fecerant, e civitate eiicerentur; si Themistoclem illum, conservatorem patriae, non deterruit a republica defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paulo ante servarat, nec Aristidis fuga, qui unus omnium iustissimus fuisse traditur; si postea summi eiusdem civitatis viri, quos nominatim appellari non est necesse, propositis tot exemplis iracundiae levitatisque popularis, tamen suam rempublicam illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus, primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas et magnitudo animi videtur? tum

Repentina vi perculsi, ac tempestate populari) In cod. Franc. Dresd. et nonnullis edd. vett. omissis his: *ac ne quis ex nostro — — civem egregium* reliqua sic leguntur: *ii principes, ii duces, ii auctores huius ordinis et dignitatis atque imperii semper habiti sunt, et si quos eorum aut iniqui iudicii quaedam procella evertit, aut aliqua vis tempestate perculit popularis.* Vltima in cod. Franc. sic leguntur: *aliqua repentina vis atque tempestas perculit popularis.*

in tanta gloria insistentes, ut omnia humana leviora videri debeant? deinde ad eam rempublicam tuendam aggressi, quae tanta dignitate est, ut eam defendentem occidere optabilius sit, quam oppugnantem rerum potiri?

LXVIII. Homines Graeci, quos antea nominavi, inique a suis civibus damnati atque expulsi, tamen, quia bene sunt de suis civitatibus meriti, tanta hodie gloria sunt, non in Graecia solum, sed etiam apud nos, atque in ceteris terris, ut eos, a quibus illi oppressi sunt, nemo nominet, horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Carthaginiensium pluris fuit Annibale, consilio, virtute, rebus gestis; qui unus cum tot imperatoribus nostris per tot annos de imperio et de gloria decertavit? Hunc sui cives e civitate eiecerunt: nos etiam hostem literis nostris, et memoria videmus esse celebratum. Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Aemilios, innumerabiles alios, qui hanc rempublicam stabiliverunt; quos equidem in deorum immortalium cetu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis; praesentes fructus negligamus, posteritatis gloriae servia-

Vt eam defendentem occidere optabilius sit) Vulgo *ut eam defendentem occidere non aliud sit* — in quo iure haesit Hotom. Graevius putabat *occidere* esse i. q. *necare* (secunda syllaba longa) Sensus, autem postulat *occidere* i. q. mori, interire, (secunda brevi). Curruptum est *non aliud*, pro quo substitui *optabilius*. Cicero ait rempublicam Romanam tanta dignitate esse, ut multo optabilius sit in ea tuenda ac defendenda mortem oppetere, quam in ea oppugnanda rerum potiri. Similis est sententiae conformatio in orat. in Pison. c. 14: *utrum — bono viro et sapienti optabilius putas sic exire — an* etc. et statim: *mihi quaevis fuga potius quam ulla provincia esset optatior.*

Posteritatis gloriae) In Graevii codd. et edd. vett. est *posteritati et gloriae*. At Grut. e Pal. 9 S. Vict. Gembl. *posteritatis gloriae*. Illud Graevius per ἓν διὰ δυοῖν explicabat.

mus; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; speremus quae volumus, sed quod acciderit, feramus; cogitemus denique, corpus virorum fortium, magnorumque hominum, esse mortale, animi vero motus, et virtutis gloriam, sempiternam; neque hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus, cuius corpore combusto, vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicitur, minus existimemus eos, qui hanc tantam rempublicam suis consiliis ac laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut servarint, esse immortalem gloriam consequutos.

LXIX. Sed me repente, iudices, de fortissimorum et clarissimorum civium dignitate et gloria dicentem, et plura etiam dicere parantem, horum adspectus in ipso cursu orationis repressit. Video P. Sextium, meae salutis, vestrae auctoritatis, publicae causae defensorem, propugnatorem, auctorem, reum; video hunc praetextatum eius filium oculis lacrymantibus me intuentem; video Milonem, vindicem vestrae libertatis, custodem salutis meae, subsidium afflictae reipublicae, exstinctorem domestici latrocinii, repressorem caedis quotidianae, defensorem templorum atque tectorum, praesidium curiae, sordidatum et reum; video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei, et fratris, rerumque nostrarum, in hoc misero squalore et sordibus: cui superior annus idem, et virilem, patris, et praetex-

Combusto) Sic cod. Franc. Dresd. edd. vett. Recte. Vulgo *ambusto*.

Consiliis ac laboribus) Sic Ern. ex edd. Waldarf. 1480. Iunt. Vulgo *aut*.

Consequutos) Ita Gruter. cum codd. Pall. 1, 2, 9 ed. Vict. In aliis nonnullis est *consequuturos*.

Sordidatum et reum) Scil. die ei dicta a P. Clodio aedile. Ernestius tamen interdum dubitavit de verbis *et reum*, quia id nil attineret hic commemorare.

Et praetextam) Nempe in augurum collegium cooptato, quod Manutius iam confirmavit ex Dionis Cass. XXXI.

tam, populi iudicio, togam dederit, hunc hoc anno, in hac toga, rogationis iniustissimae subitam acerbitatem pro patre fortissimo et clarissimo cive deprecantem.

Atque hic tot et talium civium squalor, hic luctus, hae sordes, susceptae sunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum casum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriae, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, quum ad vos indicia, literas, confessiones communis exitii detuli? quum parui vobis? At, si scelestum est amare patriam, pertuli poenarum satis; eversa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata coniux, frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum; ego pulsus aris, focis, diis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam (ut levisime dicam) certe texeram; pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum.

Si hoc non est satis, quod haec omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi, multo, inquam, iudices, praestat, in eandem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defensoribus et conservatoribus calamitatem. An ego in hac urbe esse possim, his pulsis, qui me huius urbis compotem fecerunt? Non ero; non potero esse, iudices; neque hic unquam puer, qui his lacrymis, qua sit pietate, declarat, amisso patre suo propter me, me ipsum incolumem videbit, nec,

Populi iudicio) Scil. quia populus hoc tempore sacerdotia mandabat ex lege, quam T. Allius Labienus trib. pl. (a.V. 690) tulerat, qua de re scripsit Dio Cass. lib. XXXVII. Ante Labieni legem sacerdotes a pontificum collegio creabantur. MAN.

quotiescumque me viderit, ingemiscet, ac pestem suam, et patris sui, sese dicet videre. Ego vero vos in omni fortuna, quaecumque erit oblata, complectar; nec me ab iis, quos meo nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet; neque eae nationes, quibus me senatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc, exsulem propter me, sine me videbunt.

Sed haec dii immortales, qui me suis templis advenientem receperunt, stipatum ab his viris, et P. Lentulo consule, atque ipsa respublica, qua nihil est sanctius, vestrae potestati, iudices, commiserunt. Vos hoc iudicio omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere potestis: vos his civibus uti optimis, vos me reficere, et renovare rempublicam. Quare vos obtestor, atque obsecro, ut, si me salvum esse voluistis, eos conservetis, per quos me recuperavistis.

Renovare rempublicam) Olim addebatur *potestis*, quod Gruterus auctoritate codd. MSS. resecuit.

ADNOTATIONES

AD COMMENTARIVM ANTIQVVM

HVIVS VOLVMINIS ORATIONIBVS PASSIM INTERSPERSVM

AD COMMENTARIVM IN ORATIONEM PRO SVLLA

Ad pag. 370. *Damnati lege Cornelia.*) Haec lex dicitur Baebia Cornelia, quia lata est a P. Cornelio Cethego et M. Baebio Tamphilo, qui consulatum gesserunt anno urbis DLXXIII. Eius legis meminit Livius XL, 19; sed poenam reticuit, quam noster Interpres expressit. MAIVS.

Ibid. *Aliquanto post severior lex Calpurnia.*) De hac lege ad Orat. I pro Cornel. scribit Asconius: *Tulerat eam ante biennium* (nempe anno urbis DCLXXXVII) *C. Calpurnius Piso consul, in qua praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat adiecta.*

Multa fuit.) Recte hanc codicis lectionem emendavit Garatonius, scribendum censens *multavit.* SCHÜTZ. Corrige mendum suo loco. TYP.

Ad pag. 379. *L. Calpurnium Bestiam*) L. Calpurnius Bestia recensetur a Sallustio inter coniuratos cum Catilina. Hinc Bestiae trib. pl. mandatum erat a Lentulo item coniurato, ut Romae concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis. Vide Sallust. Bell. Catil. XVII et XLIV. MAIVS.

Ibid. *Q. Metellum Nepotem*) Q. item Metellum Nepotem de coniuratorum poena conqestum refert Dio XXXVII, 42. Immo idem Metellus tribunus Ciceronem consulatu abeuntem concionem habere prohibuit, atque ei tantum ut iuraret vetere more permisit. Vide Plutarchum in *Cicerone*, et Dionem I, cap. 38, tum Asconium ad Orat. in Pison. 3. Contra Metelli concionem, qui Ciceronem apud populum maledictis prosciderat exstant ipsius Tullii fragmenta orationis. MAIVS.

Ad pag. 383. *De hoc ideo nihil scripserit.*) Ita cod. *scripserit*, sed ex praecedentibus videtur corrigendum *sciverit.* MAIVS.

AD COMMENTARIVM IN ORATIONEM PRO ARCHIA

Ad pag. 421. *Fuit enim Q. Tullius etc.*) Q. Ciceronis exstant versus epici viginti *de signis caelestibus, quo quodque tempore illustre sit.* Adde etiam si placet epigramma *de mulierum* levitate, quod Cl. quoque *Hummelius* in editione Norimbergensi (a. MDCCLXXXIX.) operum Q. Ciceronis dedit. Tragoediarum autem eiusdem Quinti mentio fit in epistolis Marci ad eum ipsum, nempe lib. III, 6, 9. MAIVS.

Ad pag. 423. *M. Aemilium Scaurum — et ipsum multae eruditionis, ut historia de illo habet*). Codex *de illis haberet.* Ait autem Cicero in Bruto cap. XXIX: *Huius* (Scauri) *et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium libri, scripti de vita ipsius acta, sane utiles, quas nemo legit.* Obiter etiam moneo exstitisse librum logistoricum Varronis inscriptum *Scaurus.* Vid. Fabricii bibliothecam lat. in Varrone. MAIVS.

Ibid. *Cum Q. Catulo patre et filio*) Q. Catulus pater princeps fuit Sullanae factionis, ut ait Asconius ad Lib. I in Verrem cap. 60. Mario victore ipse se vita privavit. Vid. Appianum Bell. Civ. I, 74. Q. Catulus filius Lepidum acta Sullae rescindere conantem, bellumque patriae inferentem armis repulit. Vid. Epitomen lib. XC Livii et Appian. Bell. Civ. I, 107. De hoc Sallustius Fragm. Hist. lib. III, 8. MAIVS.

In oratione Macri Licinii ait: *Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis; ortus est longe saevior Catulus.* MAIVS.

Ad pag. 426. *Aulus Gabinius — duxisse romanum exercitum in Aegyptum diceretur*) A. Gabinius A. V. DCXCIX Ptolemaeum in Aegyptum cum exercitu reduxit, eoque crimine damnatus est. Iam haec oratio vulgo creditur dicta A. V. 693. Igitur vel tempora perturbat noster Interpres, atque de alio Gabinio loquitur Cicero, ut censebat quidam amicus meus; vel haec oratio aliquanto serius a Cicerone dicta est: cui sententiae obstare videntur, ea quae ex huius orationis cap. V dicit Fabricius in vita Ciceronis ad a. 693, Pisone et Messala coss. MAIVS.

Nullum dubium est, quin hic Scholiastes erraverit. Hoc loco enim non de A. Gabinio, sed de *P. Gabinio* agitur, qui quum praetor fuisset, post administratam Achaiam a L. Pisone de repetundis accusatus est. SCHVTZ.

Ad pag. 431. *Comici operis auctorem*) Ita cod. *auctorem;* nisi forte scribendum est *actorem.* MAIVS.

Ad pag. 433. *L. Clodium dilexit.*) Codex aperte *L. Clodium*. Et quidem Clodius (sed cum praenomine Servius) recensetur a Suetonio inter illustres grammaticos cap. 2, gener Q. Aelii item grammatici. Sed vulgata Ciceronis habet *L. Plotium*, aut *Plaucium*. L. autem Plotium primum Romae docuisse latine, se puero, testatur Cicero in fragm. epist. *ad Titinium*, apud eundem Suetonium de claris Rhet. cap. 2. MAIVS.

Ad pag. 438. *Versus quos Saturnios appellaverunt*) Quinam sit versus Saturnius declarat Asconius ad Act. I in Verrem X: *Antiquum Naevii est:*

Fato Metelli Romae fiunt consules

cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hyperacatalecto, qui et Saturnius dicitur:

Dabunt malum Metelli Naevio poëtae.

Horatius item lib. II, epist. I, vers. 157 ait:

Sic horridus ille
Defluxerit numerus Saturnius —

Et Festus in Saturno: *Versus antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Naevio bellum Punicum scriptum est, et a multis aliis plura composita sunt.* MAIVS.

Ibid. *Adoravi*) Editiones habent *hortatus sum*. At noster Interpres legit *adoravi*, quod mira quadam explicatione declarat, nisi forte locus in insigni aliquo mendo cubat.

AD COMMENTARIVM IN ORATIONEM PRO PLANCIO

Ad pag. 466. *Existimabant*) Ita codex; sed videtur potius legendum *existimant*. MAIVS.

Ad pag. 467. *Testimonium perfidens.*) Fortasse corrigendum *testimonio*. M.

Ad pag. 468. *Non mirum si nihil*) Ita codex. Videtur tamen legendum *Mirum si aliquid*, ut recte monet Garatonius. M.

Ibid. *Id est* legem nondum *perlatam significare*) Spatium in codice quod explevi ex coniectura. Et quidem totus locus videbatur corrigendus sic: *et interdum potest rogatio legem nondum perlatam significare*. M.

Ad pag. 476. *M. Licinius Drusus*) Scribere debebat Interpres *M. Livius Drusus*. M.

Ad pag. 482. *Reliquis iudicum*) Puto hic esse lacunam, quia pagina desinit in *iud.*, proxima autem incipit *haberet*. M.

Ad pag. 486. *P. Vatinius eodem defendente M. Cicerone*) Hoc ipso anno, quo etiam Plancius defensus est. Nam Asconius ad Orat. pro *Scauro* testatur Ciceronem pro Vatinio dixisse, L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss. quorum in consulatu Plancius defensus creditur. Conf. Cicero ad Q. Fratr. III, 1, 14, et vide P. Manutium in argumento huius orationis pro Plancio. M.

Ad pag. 512. *Coronam civicam dando, quam traditur de gramine fieri solitam*) Civicam coronam dicit noster Interpres fuisse e gramine. (*Graminea* fuit quidem *obsidionalis*, sed de *civica* scribit Plinius XVI, sect. 5: *Civica* iligna *primo fuit*, *postea magis placuit ex* esculo *Iovi sacra*. *Variatumque et cum* quercu *est*, ac data ubique quae fuerat, custodito tamen honore glandis. Quernam aut ilignam fuisse civicam coronam testatur etiam Gellius V, 7. Sed nostri Interpretis, praesertim, si is est Asconius, non levis auctoritas est. Verumtamen etiamsi hoc loco Iuterpres coronam civicam minus recte *gramineam* dixisset, meminerimus errores nonnullos ipsius etiam Asconii a criticis notari. Loci autem, in quibus reprehenditur Asconius sunt Divin. in Caecil. 3 et 7; Act. I in Verr. 13. Lib. I, 10 et 54. Lib. II, 4 et 5. Vid. Editionem Asconii Lugd. Bat. ann. 1675 p. 209, 218, 225, 255, 262, 266. Errore contrario peccat Plinius XVI, 5, dicens *frondeam* coronam obsidionalem, de qua ibi loquitur, quam tamen lib. XXII, sect. 4 recte *gramineam* idem vocavit. Vide Paschalium *de coronis* lib. VII, 16. Inspicienda item sunt, quae Garatonius ad hunc l. disputat de *gramineis hastis*, quarum meminit Cicero in Verrem IV, 56. M.

Ad pag. 517. *Quem urbs Romulo comparasset*) Cod. videtur habere *impetrasset*. Romulo autem comparatus est Cicero, quum ob oppressam Catilinae coniurationem *patris patriae* nomen obtinuit. Vide *Plinium* VII, sect. 31. *Iuvenal.* Sat. VIII, 244. *Plutarchum* in Cicerone. M.

Ibid. Cum quo *post amicitiae reconciliationem*) Videtur corrigendum *quum is*. Nam Cispius exsulis Ciceronis misertus fuerat, ut vides in hoc loco orationis. M.

Ad pag. 518. *Racilii beneficio fuisse contentum*) In cod. scriptum *Racili beneficii*, cui quidem lectioni Cl. Maius favere videtur, sed etsi *contentus* ab aliquot scriptoribus, ut Livio,

Ovidio, Paterculo aliisque cum genitivo construitur, hoc loco tamen Cicero profecto ea constructione usus non esset, *Racili beneficii*, ut alter genitivus ab altero regeretur. Schvtz.

Ibid. *Libellus eiusdem Ciceronis, qui ita inscribitur*: EDICTVM LVCII RACILII.) Nota opusculum deperditum immo prorsus, quod sciam, inauditum Ciceronis. L. Racilius tribunatum iniit cum Plancio aliisque anno exeunte quo Cicero ab exilio revocatus est, gessitque anno sequente, nempe Marcellino et Philippo consulibus. Belle ad hunc locum faciunt, quae Cicero scribit ad Q. Fratrem lib. II, ep. 1: *Racilius surrexit, et de iudiciis referre coepit. Marcellinum quidem primum rogavit. Is quum graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit — — Postea Racilius de privatis me primum sententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore latrocinioque P. Clodii; eum, tanquam reum, accusavi multis et secundis admurmurationibus cuncti senatus — —. Tum Clodius rogatus diem dicendo eximere coepit, furebat a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. — De tribunis plebis longe optimum Racilium habemus.* — M.

Ad pag. 529. *Quod illius edicto*) Cod. *dicto*. Sed correxi *edicto* quum ad orat. in Pisonem, cap. X scribat Asconius: *L. Lamiam a Gabinio consule edicto relegatam esse iam diximus.* Vbi observa novum argumentum comprobans Interpretem hunc nostrum revera esse Asconium. Nam quod is ad orationem in Pison. memorat se iam dixisse, hoc videlicet in loco nunc nobis occurrit. Favent autem emendationi meae loci etiam a Garatonio producti Tullii pro Sextio, de hoc ipso Lamia cap. XII: *L. Lamiam in concione relegavit* (Gabinius consul) *edixitque ut ab urbe abesset millia passuum ducenta.* Tum XIII: *Exterminabit cives Romanos edicto consul a suis Diis Penatibus.* Maivs.

GASPARIS GARATONII DISQVISITIO

AD LOCVM ORATIONIS PRO PLANCIO

qui pag. 527 occurrit.

Te aiebas de tuis rebus gestis nullas literas misisse etc.) Manutius illas ad Pompeium scriptas fuisse literas recte suspicabatur. Sed nihil suspicione opus esse Cicero ipse declarat pro Sulla cap. 24: *Hic tu epistolam meam saepe recitas, quam ego ad Cn. Pompeium de meis rebus gestis, et de summa republica* (ita cod. Bavar. non *reip.*) *misi.* Qui saepe summa eloquentia res suas gestas extulerit, videatur sane in illa etiam epistola gloriosus fuisse: quamquam, ut longior esset, res ipsae poscebant: haud tamen ita, ut ullo modo Pompeium offenderet, *omnibus a se pictum, et politum artis coloribus*, ut ait II ad Attic. 21: *cuius ad gloriam augendam tanto studio se dederat*, ut eum Q. frater monuerit cap. IV adversarios ob id in petitione consulatus ei non defuturos: cui denique illo ipso tempore consul *supplicationem, confecto bello Mithridatico*, ut cap. 11 de prov. Consular. dicit, *duplicatam*, h. e. dierum duplo, quam solebat, plurium decernendam curaverat. Itaque offensus ipse vere, graviterque, sed familiariter hominem cautum, atque omnia circumspicientem accusavit V, Epist. 7: *Res*, inquit, *eas gessi* (de quibus ad eum copiose iam scripserat), *quarum aliquam in tuis literis et nostrae necessitudinis, et reip. causa gratulationem exspectavi: quam ego abs te praetermissam esse arbitror, quod vererere, ne cuius animum offenderes.* Erat enim ob eas ipsas res magna in invidia Cicero: intima Crasso, et Hortensio simultas inerat, ut ex epistolis ad Atticum novimus: oppugnabatur a C. Caesare praetore, qui iam tum apud plebem ex Marianis partibus, et ex largitione gratiosus remp. valde turbabat: infestos tribunos plebis habebat Calpurnium Bestiam, et Metellum Nepotem: hi tres Pompeio adsentabantur, eumque Ciceroni opponere conabantur: ad eum denique Nepos profugit iratus. Quo referendum est fragmentum illud orationis Metellinae apud Quinctilianum I. O. IX, 3, p. 811: *Venit ex Asia (hoc ipsum quam bonum!) Tribunus plebis venit ex Asia — verumtamen venit.* Nam repente inde redierat. Haec omnia testantur Plutarchus in Cicer. c. 23, 26, et Dio XXXVII, c. 37 ad 44. Quo tum animo Pompeius esset, quum nobis ipsis

licet iam intelligere, tum Cicero, qui probe illum noverat, optime iudicavit. Erigebat ergo virum et victoriis et cognomine Magnum, et confirmabat his verbis: *Sed scito ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae iudicio, ac testimonio comprobari.* Praeclara vero, summoque viro digna postrema illa sunt. *Quae, quum veneris, tanto consilio, tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut tibi multo maiori, quam Africanus fuit, me non multo minorem, quam Laelium, facile et in rep. et in amicitia adiunctum esse patiare.* Iam, quoniam Pompeii silentium, eiusque causam cognovimus, an offensionis tamen aliquid ostenderit, videamus. Atqui eum, antequam in urbem rediret, *nobis amicissimum constat esse*, scripsit Cicero ad Attic. I, 12; in ipso adventu, *ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus, et gratulans meo beneficio patriam se visurum esse dixit*, II Phil. 5; quem locum adtulit Maius: denique, quum primum in Senatum venit, *omnia illius ordinis consulta laudavit*, I ad Att. 14: *Tum Crassus posteaquam vidit illum excepisse laudem ex eo, quod suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeque de meo consulatu loquutus est —— Proxime Pompeium sedebam: intellexi hominem moveri: utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam libente Senatu laudarentur* etc. Cum his superiora si conferas, quibus Pompeii silentium redarguerat, qua esset prudentia Cicero, intelliges. Sequitur epist. 16 de se, et Pompeio: *multa, et iucunda consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis barbatuli iuvenes illum in sermonibus Cnaeum Ciceronem adpellent.* Item epistola 19: *Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium adduxi in eam voluntatem, ut in Senatu non semel, sed saepe, multisque verbis huius mihi salutem imperii, atque orbis terrarum adiudicarit. Quod non tam interfuit mea (neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent), quam reipublicae: quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur.* Insignis etiam est locus II, 1, quo purgat se de Pompeii iam nimium popularis familiaritate obiurgatus ab Attico: eumque *de meis*, inquit, *rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius, quam de suis, praedicare: sibi enim bene gestae, mihi conservatae reip. dat testimonium.* Pergit Epist. 3: *coniunctio*

mihi summa cum Pompeio. Illa vero notari velim, *ex rerum illarum dissensione, in quas eum multi incitarunt*, ut ad ea, quae de pristino Pompeii silentio diximus, adiungantur. Vbinam igitur tanta illius epistolae insolentia, quae post quadriennium denique erupturam inimicitiam pepererit? Nam quae de subdolo quodam, tectoque homine dicuntur I ad Att. 13, perperam de Pompeio Manutium, aliosque intelligere, tot adversa, quae adtulimus, testimonia demonstrant. Sensit Tunstallus, et in severissima ad Middletonium epistola p. 36 Q. Hortensium significari optime docuit. Fuit omnino illa inimicorum calumnia; quorum stultitia ita cum iniquitate certabat, ut nescias, utrumne magis laederent, Ciceronem, an Pompeium. Simillima est alia, quam in Pisonem c. 29 ipse Cicero refutavit. Dixerat enim huius consulatum collaudans L. Piso: *non illa tibi invidia nocuit, sed versus tui: scripsisti enim, Cedant arma togae — tuae dicis togae summum imperatorem esse cessurum.* Deinde post multa c. 30: *Hoc tamen intelligi, scelerate, vis, Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum: ut si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quaesita.* Totum vide locum: nam responsionem necesse non est, re iam patefacta, describere. Quam quidem rem ex epistolis potissimum declaravi, ne cum Tunstallo l. c. p. 48 et 50 mihi quisquam obiiciat, multa in orationibus falsa temporis, commodique causa referri. Ornate, haud tamen falso dixit pro domo c. 11: *Quod enim par amicitiae consularis fuit unquam in hac civitate coniunctius, quam fuimus inter nos ego, et Cn. Pompeius?* etc. At veram dissidii inter eos exorti causam reticuit, culpamque tum ibi, tam pro Sex. 18, et in Pison. 31 in homines improbos contulit. Erat enim veritas, vivis florentibusque Pompeio et Caesare, dissimulanda: neque publici eadem ratio sermonis est, quae familiaris. Postquam vero illi perierant, II Philipp. 10 ausus est dicere, C. Caesaris opera Pompeium *a sua familiaritate fuisse disiunctum.* Comprobat id Plutarchus in Cicer. c. 30. Illa nimirum ab coitione Pompeii cum Caesare, et Crasso causa est repetenda, qui remp. quum occupassent, cuius amantissimus Cicero semper fuit, non potuit inter eos dissensio non consequi. Quae paullatim eo progressa est, ut, quum *Pompeius se totum Caesari tradidisset* (l. c. Philipp.) simulatione, doloque interposito, perniciem denique incauto adtulerit, et immerenti. Vt Clodium vidit tribunatus causa ad plebem translatum, exarsit Cicero iracundia, quum tamen spes eum quaedam falsa

deciperet. Scripsit ad Atticum II, 9: *Si vero quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum: ut sciat hic noster Hierosolymarius* (Pompeius) *traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit, quarum exspecta divinam* παλινῳδίαν. Pompeio tamen adiuranti credebat, neque ipse sibi constabat, ut ex iis epistolis II, 20 etc. patet: illum scilicet perdite amabat, ut epist. 21 ipse indicavit. Experti tandem gravis, et philosopho digna oratio est, ad eumdem Atticum X, 4 belli civilis initio: *Cogito — quid intersit inter me, et istos, quos propter omnia amisimus* (Pompeium, et Caesarem). *Hi sunt, qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt licentiam cupiditatum suarum, quorum societatis, et sceleratae consensionis fides quo eruperit, vides.* Tum de Pompeio: *qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem, qui se nihil contra huius* (Caesaris) *voluntatem aiebat facere posse.* De hoc Pompeii responso, ac de utriusque perfidia notissimus Dionis est locus XXXVIII, 15. Sic itaque pergit Cicero: *Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur* etc. Vera igitur illa sermonis non liberi vox, pro domo l. c. *Ego vero neque me tum desertum puto, sed paene deditum:* vereque προδοσίαν illam Plutarchus adpellat, in Pomp. c. 49. Denique, ut finem faciam, si Pompeius, quamquam nullum dedit initio plausum, iratus ob eas literas Ciceroni non fuit; si postea longe graviore de causa illum prodidit, ne dum deseruit, errat profecto cum accusatore Scholiastes (Vid. p. 527): qui responsionem adeo Ciceronis, nescio qua mente, falsum comminiscitur, quasi quae *leviora* esse dicit, iis aliquid adiiciat ponderis. Ita enim pro sua dignitate, ac prudentia respondet: *mihi obfuisse non intelligo*, quia nihil ea de causa offensionis in Pompeio cognoverat; *reip. video prodesse potuisse:* neque enim profuerunt, quum Pompeius a Senatu desciverit, quem retinere in optimatium partibus potuissent, ut suis opibus consensum bonorum, coniunctionem ordinum, vim adversus improbos cives, et remp. concutientes corroboraret. Tecte hoc significat, ne reconciliatum Pompeii animum pungat restitutionis suae beneficio devinctus.



INDEX ORATIONVM

QVAE

IN HOC SEXTO CICERONIS VOLVMINE

CONTINENTVR

Orationes, quae iuxta vulgatum ordinem in hoc volumine desunt, seorsim post Philippicas, inter orationes Ciceroni vulgo suppositas, prodibunt; hanc enim distributionem Schützius praetulit. Typ.

SEXTI VOLVMINIS FINIS.